This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



[illegible] Gentium [illegible]

[illegible]

[illegible]

En [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] interfecit. Solemnis

[illegible]

[illegible]

[illegible] in Cappadocia [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] Christiani [illegible]

[illegible]

[redacted]

4ª Tabella horaria.

20-Januarii — 2ª 1/4.-
13-februarii - 2ª 1/2.-
1. Martii — 3ª -
4. Aprilis — 3ª 1/4.-
20. aprilis — 3ª 1/2.-
10. maii — 3ª 3/4.-
8. Junii — 4ª —
30. Julii — 3ª 3/4.-
28. Augusti — 3ª 1/2.-
7. Septembris - 3ª 1/4.-
24. Septembris - 3ª —
13. octobris. - 2ª 3/4.-
30. octobris. - 2ª 1/2.-
18. novembris - 2ª 1/4.-
15. Decembris - 2ª —

S. Sabae. Sequentia -

Doctrina simul et virtute pollens, haereticis monophysitis fortiter restitit; et Concilii calcedonensis fidem constanter asseruit. Constantinopolim missus ab imperatore Justiniano I impetravit ut populi Palestinae quam Samaritani vexaverant, tributis nimium gravibus levarentur. Rediens ad suos, et jam nonagenario major, anno 531º morte sanctorum obiit: haec pronuntians verba: in manus tuas, Domine, commendo et remitto spiritum meum.

4° 45

BREVIARIUM
NANNETENSE,

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi in Chriſto Patris DD. Caroli-Eutropii DE LA LAURANCIE, Nannetenſis Epiſcopi auctoritate, ac venerabilis ejuſdem Eccleſiæ Capituli conſenſu, editum.

PARS AUTUMNALIS.



VERSALIIS,

Typis Ph.-D. PIERRES, Chriſtianiſſimi Regis Proto-Typographi.

M. DCC. XC.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

[illegible] I. Lambertus. 17. [illegible]

[illegible] Eugenio [illegible]

[illegible] per annos [illegible]

666 [illegible]

[illegible]

[illegible] palatii major [illegible]

[illegible]

[illegible]

Caroli Martelli [illegible]

[illegible] Comitantur ut refert [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] S. Solemnii.

Solemnis vel Solemnius [illegible]

[illegible] in [illegible]

[illegible]

[illegible] (loco [illegible]

[illegible]

[illegible] agnito, [illegible]

[illegible] Solemnium

[illegible] Ecclesi[illegible]

[illegible] Praedicavit [illegible]

...[illegible], per quo[illegible] [illegible] [illegible] ...

... [illegible] nemine interfecit. Solemnis

... repleta [illegible] [illegible] [illegible] 16. et anno [illegible].

S. Sabae abbatis.

[illegible] in Cappadocia vico [illegible] natus, [illegible]

[illegible] propinquum [illegible] monasterium

[illegible]. octavo decimo aetatis anno, Palaestinam

[illegible] terra [illegible]. In desertum [illegible]

[illegible] [illegible] et sancto abbati Euth[illegible] [illegible]


monasterio Theoctisti [illegible] [illegible]

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

TABULA TEMPORARIA FESTORUM MOBILIUM.

Anni Domini.	Num. Aureus.	Epacta.	Indictio.	Littera Domin.	Dom. post Epiph.	Septuagesima.	Dies Cinerum.
1832	9	xxviij.	5	A. g.	6	19 Feb.	7 Mar.
1833	10	ix.	6	f.	3 †	3 Feb.	20 Feb.
1834	11	xx.	7	e.	2 †	26 Jan.	12 Feb.
1835	12	j.	8	d.	5 †	15 Feb.	4 Mar.
1836	13	xij.	9	c. b.	3 †	31 Jan.	17 Feb.
1837	14	xxiij.	10	A.	2	22 Jan.	8 Feb.
1838	15	iv.	11	g.	5	11 Feb.	28 Feb.
1839	16	xv.	12	f.	2 †	27 Jan.	13 Feb.
1840	17	xxij.	13	e. d.	5 †	16 Feb.	4 Mar.
1841	18	vj.	14	c.	4 †	7 Feb.	24 Feb.
1842	19	xviij.	15	b.	2 †	23 Jan.	9 Feb.
1843	1	*	1	A.	5	12 Feb.	1 Mar.
1844	2	xj.	2	g. f.	4	4 Feb.	21 Feb.
1845	3	xxij.	3	e.	1 †	19 Jan.	5 Feb.
1846	4	iij.	4	d.	4 †	8 Feb.	25 Feb.
1847	5	xiv.	5	c.	3 †	31 Jan.	17 Feb.
1848	6	xxv.	6	b. A.	6	20 Feb.	8 Mar.
1849	7	vj.	7	g.	4	4 Feb.	21 Feb.
1850	8	xvij.	8	f.	2 †	27 Jan.	13 Feb.
1851	9	xxviij.	9	e.	5 †	16 Feb.	5 Mar.
1852	10	ix.	10	d. c.	4 †	8 Feb.	26 Feb.
1853	11	xx.	11	b.	2 †	23 Jan.	9 Feb.
1854	12	j.	12	A.	5	12 Feb.	1 Mar.
1855	13	xij.	13	g.	4	4 Feb.	21 Feb.
1856	14	xxiij.	14	f. e.	1 †	20 Jan.	6 Feb.
1857	15	iv.	15	d.	4 †	8 Feb.	25 Feb.
1858	16	xv.	1	c.	3 †	31 Jan.	17 Feb.
1859	17	xxvj.	2	b.	6	20 Feb.	9 Mar.
1860	18	vij.	3	A. g.	4	5 Feb.	22 Feb.
1861	19	xviij.	4	f.	2 †	27 Jan.	13 Feb.
1862	1	*	5	e.	5 †	16 Feb.	5 Mar.
1863	2	xj.	6	d.	3 †	1 Feb.	18 Feb.
1864	3	xxij.	7	c. b.	2 †	24 Jan.	10 Feb.
1865	4	iij.	8	A.	5	12 Feb.	1 Mar.
1866	5	xiv.	9	g.	3	28 Jan.	14 Feb.

Hoc signum † in sextâ columnâ designat in iis annis faciendam esse *commemorationem unius* è Dominicis post Epiphaniam, sabbato ante



PSALTERIUM

DISPOSITUM

PER HEBDOMADAM.

PARS AUTUMNALIS.

DOMINICA,

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Ante Officium Nocturnum dicitur ſecretò :

PATER noſter, qui es in cœlis, ſanctificétur nomen tuum : advéniat regnum tuum : fiat volúntas tua ſicut in cœlo, & in terra : panem noſtrum quotidiánum da nobis hódie : & dimítte nobis débita noſtra, ſicut & nos dimíttimus debitóribus noſtris : & ne nos indúcas in tentatiónem ; ſed libera nos à malo. Amen. *Matt. 6. 9. ad 13.*

AVe, María, grátiâ plena ; Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui, Jeſus. *Luc. 1. 28. 42.*

Sancta María, mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc, & in hora mortis noſtræ. Amen.

CRedo in Deum, Patrem omnipoténtem, *creatórem cœli & terræ : Et in* Jeſum Chriſtum, Fílium ejus únicum, Dóminum noſtrũ: qui concéptus eſt de Spíritu ſancto, natus ex María Vírgine, paſſus ſub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, & ſepúltus : deſcéndit ad ínferos : tértiâ die reſurréxit à mórtuis : aſcéndit ad cœlos : ſedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis : inde ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum ſanctum, ſanctam Eccléſiam cathólicam, Sanctórũ communiónem, remiſſiónem peccatórum, carnis reſurrectiónem, vitam ætérnam. Amen.

Deinde clarâ voce :

DOmine, lábia mea apéries ; ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. *Pſ. 50. 17.*

Deus, in adjutórium meũ

intende; ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. *Pſ. 69. 2.*

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto; ſicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in sécula ſeculórum. Amen. Allelúia.

Invitatorium. Dóminum, qui requiévit in die ſéptimo, & ſanctificávit eum, * Veníte, adorémus. *Exod. 20. 11.*

Repetitur Invitatorium: Dóminum.

PSALMUS 94.

Chriſtus Rex; ipſi parendum.

VEníte, exultémus Dómino; jubilémus Deo ſalutári noſtro: præoccupémus fáciem ejus in confeſſióne, & in pſalmis jubilémus ei.

Invit. Dóminum.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus ſuper omnes deos; quóniam non repéllet Dóminus plebē ſuam; quia in manu ejus ſunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipſe cónſpicit.

Diviſio. * Veníte, adorémus.

Quóniam ipſíus eſt mare, & ipſe fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus: veníte, adorémus, & procidámus ante Deum; plorémus coram Dómino qui fecit nos; quia ipſe eſt Dóminus Deus noſter; nos autem pópulus ejus & oves páſcuæ ejus.

Invit. Dóminum.

*Hódie ſi vocem ejus au*diéritis, nolíte obduráre corda veſtra, ſicut in exacerbatióne, ſecúndùm diem tentatiónis in desérto, ubi tentavérunt me patres veſtri, probavérunt, & vidérunt ópera mea.

Diviſio. * Veníte, adorémus.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, & dixi: Semper hi errant corde; ipſi verò non cognovérunt vias meas; quibus jurávi in ira mea, ſi introíbunt in réquiem meam.

Invit. Dóminum.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto; Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in sécula ſeculórum. Amen.

Diviſio. * Veníte, adorémus.

Deinde repetitur Invitatorium: Dóminum.

Sic ſemper dicitur Invitatorium in Duplicibus majoribus.

HYMNUS.

ADITE templa ſúpplices,
Huc feſta vos dies vocat,
Quam tot Deus miráculis,
Mundo veréndam réddidit.

ÆTERNUS hâc die Pater
Orbem voléndo cóndidit:
Hinc nata primùm témpora
Curſu perénni prófluunt.

QUI ſponte mortem pértulit,
Chriſtus revíxit hâc die:
Hinc noſtra firmátur fides;
Hinc certa vitæ ſpes manet.

Hæc ipſa lux lapſum polo

Te vidit, alme Spíritus,
Micánte flammâ, grátiæ
Mundo feréntem múnera.

O SEMPITERNA Trínitas,
Hanc víndicas diem tibi:
Fac tota ſit ſemper tui
Cultu ſacráta Núminis.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Antiphona 1. *toni.* a. Complévit Deus.

*Aſteriſcus hic * notat mediationem & pauſam.*

PSALMUS I.

Chriſti & omnium in Chriſto juſtorum encomium.

BEátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non ſtetit, * & in cáthedra peſtiléntiæ non ſedit;

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum, quod plantátum eſt ſecùs decúrſus aquárum, * quod fructum ſuum dabit in témpore ſuo.

Et fólium ejus non défluet; * & ómnia quæcúmque fáciet, proſperabúntur.

Non ſic ímpii, non ſic; * ſed tanquam pulvis, quem prójicit ventus à fácie terræ.

Ideò non resúrgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio juſtórum.

Quóniam novit Dóminus viam juſtórum, * & iter impiórum períbit.

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui ſancto;

Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, * & in sécula ſeculórum. Amen.

Hi ℣℣. Glória Patri, *&* Sicut erat, *dicuntur in fine Pſalmorum, & Diviſionum, atque etiam Canticorum, nisì aliter notetur.*

Ant. Complévit Deus die séptimo opus ſuum quod fécerat. *Gen.* 2. 2.

Ant. 2. D. Requiévit.

PSALMUS 2.

Chriſtus Filius Dei, Rex in Sion & in omnes gentes.

QUare fremuérunt gentes, * & pópuli meditáti ſunt inánia?

Aſtitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum * advérsùs Dóminū, & advérsùs Chriſtum ejus.

Dirumpámus víncula eórum; * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis, irridébit eos: * & Dóminus ſubſannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira ſua, * & in furóre ſuo conturbábit eos.

Ego autem conſtitútus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póſtula à me; & dabo tibi gentes hæreditátem tuam, * & poſſeſſiónem

tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea * & tanquam vas figuli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite; * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre, * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite diſciplínam; * nequándo iraſcátur Dóminus, & pereátis de via juſta.

Cùm exárſerit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Requiévit Deus die séptimâ ab ómnibus opéribus ſuis. *Hebr.* 4. 4.

Ant. 3. a. Benedíxit.

PSALMUS 3.

Chriſti reſurrectio, ſpes membrorum ejus.

DOmine, quid multiplicáti ſunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, ſuſcéptor meus es, * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce meâ ad Dóminum clamávi, * & exaudívit me de monte ſancto ſuo.

Ego dormívi, & ſoporátus ſum; * & exurréxi, quia Dóminus ſuſcépit me.

Non timébo míllia pópuli *circumdántis me: * exúrge, Dómine; ſalvum me fac, Deus meus.*

Quóniam tu percuſsíſti omnes adversántes mihi ſinè cauſa; * dentes peccatórum contrivíſti.

Dómini eſt ſalus; * & ſuper pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Benedíxit Deus diéi séptimo, & ſanctificávit illum. *Gen.* 2. 3.

℣. In nóctibus extóllite manus veſtras in ſancta;

℟. Et benedícite Dóminum. *Pſ.* 133. 2.

Poſt verſiculum cujuslibet Nocturni, dicit Celebrans altâ voce: Pater noſter; *& omnes proſequuntur ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Poſteà Lector petit Benedictionem, dicens: Jube, Domne, benedícere.

Benedictiones habentur poſt Pſalterium.

Qui privatim & ſolus recitat Officium, omiſſo, Jube, Domne, benedícere, *dicit Benedictionem.*

Lectiones cum Reſponſoriis habentur in Proprio de Tempore.

Hæc omnia obſervantur in ſingulis Nocturnis, niſi aliter notetur.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. f. Chriſtus.

PSALMUS 17.

Chriſti reſurgentis & Eccleſiæ à perſecutoribus liberatæ gratiarum actio.

DIligam te, Dómine, fortitúdo mea: * Dóminus firmaméntum meum,

& refúgium meum, & liberátor meus.

Deus meus adjútor meus,* & ſperábo in eum.

Protéctor meus, & cornu ſalútis meæ, * & ſuſcéptor meus.

Laudans invocábo Dóminum; * & ab inimícis meis ſalvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis; * & torréntes iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inférni circumdedérunt me; * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum; * & ad Deum meum clamávi:

Et exaudívit de templo ſancto ſuo vocem meam; * & clamor meus in conſpéctu ejus, introívit in aures ejus.

Commóta eſt, & contrémuit terra: fundaménta móntium conturbáta ſunt, & commóta ſunt; * quóniam irátus es eis.

Aſcéndit fumus in ira ejus, & ignis à fácie ejus exárſit; * carbónes ſuccénſi ſunt ab eo.

Inclinávit cœlos, & deſcéndit: * & calígo ſub pédibus ejus.

Et aſcéndit ſuper Chérubim, & volávit, * volávit ſuper pennas ventórum.

Et póſuit ténebras latíbulum ſuum, in circúitu ejus tabernáculum ejus, * tenebróſa aqua in núbibus áeris.

Præ fulgóre in conſpéctu ejus nubes tranſiérunt, * grando, & carbónes ignis.

Et intónuit de cœlo Dóminus, & Altíſſimus dedit vocem ſuam: * grando, & carbónes ignis.

Et miſit ſagíttas ſuas, & diſſipávit eos: * fúlgura multiplicávit, & conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * & reveláta ſunt fundaménta orbis terrárum.

Ab increpatióne tua, Dómine, * ab inſpiratióne ſpíritûs iræ tuæ.

Ant. Chriſtus reſurréxit à mórtuis primítiæ dormiéntium. 1. *Cor.* 15. 20.

Ant. 5. a. Tráditus eſt.

Diviſio Pſalmi 17.

MIſit de ſummo [Dóminus], & accépit me; * & aſſúmpſit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíſſimis, & ab iis qui odérunt me; * quóniam confortáti ſunt ſuper me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ; * & factus eſt Dóminus protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem: * ſalvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus ſecúndùm juſtítiam meam; * & ſecúndùm puritátem mánuum meárum retríbuet mihi:

Quia cuſtodívi vias Dómini, * nec ímpiè geſſi à Deo meo.

Quóniam ómnia judícia ejus in conſpéctu meo, * & juſtítias ejus non répuli à me.

Et ero immaculátus cum eo, * & obſervábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus ſecúndùm juſtítiam meam, * & ſecúndùm puritátem mánuum meárum in conſpéctu oculórum ejus.

Cum ſancto ſanctus eris, * & cum viro innocénte ínnocens eris.

Et cum elécto eléctus eris, * & cum pervérſo pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem ſalvum fácies, * & óculos ſuperbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam, Dómine: * Deus meus, illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar à tentatióne, * & in Deo meo tranſgrédiar murum.

Ant. Tráditus eſt propter delícta noſtra, & reſurréxit propter juſtificatiónem noſtram. *Rom.* 4. 25.

Ant. 6. F. Reſurréxit.

Altera diviſio Pſal. 17.

DEus meus, impollúta via ejus: elóquia Dómini igne examináta: * protéctor eſt ómnium ſperántium in ſe.

Quóniam quis Deus præter *Dóminum?* * *aut quis Deus præter Deum noſtrũ? Deus qui præcínxit* me virtúte; * & póſuit immaculátam viam meam.

Qui perfécit pedes meos, tanquam cervórum; * & ſuper excélſa ſtátuens me:

Qui docet manus meas ad prælium: * & poſuíſti ut arcum æreum bráchia mea:

Et dediſti mihi protectiónem ſalútis tuæ; * & déxtera tua ſuſcépit me:

Et diſciplína tua corréxit me in finem; * & diſciplína tua ipſa me docébit.

Dilatáſti greſſus meos ſubtùs me; * & non ſunt infirmáta veſtígia mea.

Pérſequar inimícos meos, & comprehéndam illos: * & non convértar donec defíciant.

Confríngam illos, nec póterunt ſtare; * cadent ſubtùs pedes meos.

Et præcinxíſti me virtúte ad bellum; * & ſupplantáſti inſurgéntes in me ſubtùs me.

Et inimícos meos dedíſti mihi dorſum; * & odiéntes me diſperdidíſti.

Clamavérunt, nec erat qui ſalvos fáceret: * ad Dóminum, nec exaudívit eos.

Et comminuam eos ut púlverem ante fáciem venti: * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli; * conſtítues me in caput géntium.

Pópulus quem non cognóvi, ſervívit mihi; * in audítu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti ſunt

mihi; * filii aliéni inveteráti ſunt, & claudicavérunt à sémitis ſuis.

Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus; * & exaltétur Deus ſalútis meæ.

Deus, qui das vindíctas mihi, & ſubdis pópulos ſub me: * liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab inſurgéntibus in me exaltábis me; * à viro iníquo erípies me.

Proptéreà confitébor tibi in natiónibus, Dómine; * & nómini tuo pſalmum dicam.

Magníficans ſalútes Regis ejus, & fáciens miſericórdiam Chriſto ſuo David, * & sémini ejus uſque in séculum.

Ant. Reſurréxit tértiâ die, ſecúndùm Scriptúras. 1. *Cor.* 15. 4.

℣. Médiâ nocte ſurgébam ad confiténdum tibi, ℟. Super judícia juſtificatiónis tuæ, Dómine. *Pſ.* 118. 62.

Pater. *ſecretò.* ℣. Et ne nos, &c. *ut ſuprà.*

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. *d.* Dies.

PSALMUS 27.

Inter adverſa, ſpes reſurgendi.

AD te, Dómine, clamábo; Deus meus, ne síleas à me; * nequándo táceas à *me, & aſſimilábor deſcendéntibus in lacum.*

Exaúdi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ dum oro ad te, * dum extóllo manus meas ad templum ſanctum tuum.

Ne ſimul trahas me cum peccatóribus; * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

Qui loquúntur pacem cum próximo ſuo; * mala autem in córdibus eórum.

Da illis ſecúndùm ópera eórum, * & ſecúndùm nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndùm ópera mánuum eórum, tríbue illis; * redde retributiónem eórum ipſis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, & in ópera mánuum ejus; * déſtrues illos, & non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus; * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, & protéctor meus; * in ipſo ſperávit cor meum, & adjútus ſum.

Et reflóruit caro mea; * & ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis ſuæ; * & protéctor ſalvatiónum Chriſti ſui eſt.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ; * & rege eos, & extólle illos uſque in ætérnum.

Ant. Dies ſanctificátus eſt Dómino Deo noſtro. 2. *Eſdr.* 8. 9.

Ant. 8. G. Eſt Dóminus.

PSALMUS 29.

Reſurrectionis Pſalmus.

EXaltábo te, Dómine, quóniã ſuſcepíſti me, * nec delectáſti inimicos meos ſuper me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te; * & ſanáſti me.

Dómine, eduxíſti ab inférno ánimam meam: * ſalváſti me à deſcendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, ſancti ejus; * & confitémini memóriæ ſanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus; * & vita in voluntáte ejus.

Ad véſperum demorábitur fletus: * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea: * Non movébor in ætérnum.

Dómine, in voluntáte tua, * præſtitíſti decóri meo virtútem.

Avertíſti fáciẽ tuam à me, * & factus ſum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo; * & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum deſcéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, & misértus eſt meî; * Dóminus factus eſt adjútor meus.

Convertíſti planctum *meum in gaúdium mihi; * conſcidíſti ſaccum meum & circumdedíſti me lætítiâ:* Ut cantet tibi glória mea, & non compúngar; * Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Ant. Eſt Dóminus vivus, ipſe in cœlo potens, qui juſſit agi séptimam diem. 2. *Mach.* 15. 4.

Ant. 5. C. Gaudeámus.

PSALMUS 65.

Invitatio ad celebrandam Chriſti reſurgentis victoriam.

JUbiláte Deo, omnis terra; pſalmum dícite nómini ejus; * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo: Quàm terribília ſunt ópera tua, Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, & pſallat tibi, * pſalmum dicat nómini tuo.

Veníte, & vidéte ópera Dei, * terríbilis in consíliis ſuper filios hóminum.

Qui convértit mare in áridam, in flúmine pertransíbunt pede, * ibi lætábimur in ipſo.

Qui dominátur in virtúte ſua in ætérnum; óculi ejus ſuper gentes reſpiciunt: * qui exáſperant, non exalténtur in ſemetípſis.

Benedícite, gentes, Deum noſtrum, * & audítam fácite vocem laudis ejus.

Qui póſuit ánimam meã ad vitam, * & non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probáſti nos, Deus, * igne nos examiná-

ſti, ſicut examinátur argéntum.

Induxíſti nos in láqueum, poſuíſti tribulatiónes in dorſo noſtro, * impoſuíſti hómines ſuper cápita noſtra.

Transívimus per ignem & aquam, * & eduxíſti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocaúſtis, * reddam tibi vota mea:

Quæ diſtinxérunt lábia mea, * & locútum eſt os meum in tribulatióne mea.

Holocaúſta medulláta ófferam tibi cum incénſo aríetum; * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi, * & exaltávi ſub lingua mea.

Iniquitátem ſi aſpéxi in corde meo, * non exaúdiet Dóminus.

Proptéreà, exaudívit Deus, * & atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit oratiónē meam, & miſericórdiam ſuam à me.

Ant. Gaudeámus, & exultémus, & demus glóriam Deo. *Apoc.* 19. 7.

℣. Deus illúminet vultum ſuum ſuper nos, ℟. Et miſereátur noſtrî. *Pſ.* 66. 2.

Pater. ſecretò. ℣. *Et ne nos, &c. ut ſuprà.*

Poſt ultimum Reſponſorium, dicitur, Te Deum, *ſi dicendum ſit.*

TE Deum laudámus: * te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli, * tibi Cœli & univérſæ Poteſtátes,

Tibi Chérubim & Séraphim * inceſsábili voce proclámant:

Sanctus:

Sanctus:

Sanctus:

Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni ſunt cœli & terra * majeſtátis glóriæ tuæ.

Te glorióſus * Apoſtolórum chorus:

Te Prophetárum * laudábilis númerus:

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus;

Te per orbem terrárum * ſancta confitétur Eccléſia,

Patrem * imménſæ majeſtátis;

Venerándum tuum verum * & únicum Fílium;

Sanctum quoque * paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Chriſte.

Tu Patris * ſempitérnus es Fílius.

Tu ad liberándum ſuſceptúrus hóminem, * non horruíſti Vírginis úterum.

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuíſti credéntibus regna cœlórum.

Tu ad déxteram Dei ſedes * in glória Patris.

Judex créderis * eſſe ventúrus.

Te ergo quǽſumus, fámulis tuis ſubveni, * quos pretióſo sánguine redemíſti.

Ætérnâ fac cum Sanctis tuis * glóriâ munerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * & bénedic hæreditáti tuæ.

Et rege eos, * & extólle illos uſque in ætérnum.

Per síngulos dies * benedícimus te,

Et laudámus nomen tuum in séculum, * & in séculum séculi.

Dignáre, Dómine, die iſto * ſinè peccáto nos cuſtodíre.

Miſerére noſtrî, Dómine, * miſerére noſtrî.

Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, * quemádmodum ſperávimus in te.

In te, Dómine, ſperávi; * non confúndar in ætérnum.

Si Laudes non ſequantur continuò, hîc dicitur: Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo. Orémus. *Deinde oratio propria cum integra concluſione. Ac poſteà iterùm*: Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias. *Tum ſecretò*: Fidélium ánimæ *per miſericórdiam* Dei re*quiéſcant in pace.* ℟. Amen. *Ac tandem*, Pater noſter. *Ave, etiam ſecretò.*

AD LAUDES MATUTINAS.

Si ſeparentur ab Officio Nocturno, dicitur ſecretò; Pater & Ave; *& ſic aliis diebus.*

℣. *Sacerdotalis.* Magnus Dóminus, & laudábilis nimis; ℟. Et magnitúdinis ejus non eſt finis. *Pſ.* 144. 3.

DEus, in adjutórium meum intende, &c. Glória Patri, & Fílio, &c. Sicut erat, &c. Allelúia.

Ant. 1. *g.* Opórtet.

PSALMUS 62.

Æternorum bonorum deſiderium.

DEus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea; * quàm multiplíciter tibi caro mea!

In terra desérta, & ínvia, & inaquóſa, ſic in ſancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam.

Quóniam mélior eſt miſericórdia tua ſuper vitas; * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea, * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea, * & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tuî ſuper ſtratum meum, in matutínis meditábor in te; * quia fuíſti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo, adhǽſit

ánima mea poſt te; * me ſuſcépit déxtera tua.

Ipſi verò in vanum quæſiérunt ánimam meam; introíbunt in inferióra terræ:* tradéntur in manus gládii; partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo; * quia obſtrúctum eſt os loquéntium iníqua.

Ant. Opórtet præveníre ſolem ad benedictiónem tuam, Dómine, & ad ortum lucis te adoráre. *Sap.* 16. 28.

Ant. 8. G. Tua eſt.

PSALMUS 92.

Chriſti regnum & eloquia extolluntur.

DOminus regnávit, decórem indútus eſt; * indútus eſt Dóminus fortitúdinem, & præcínxit ſe.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta ſedes tua ex tunc; * à ſéculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine, * elevavérunt flúmina vocem ſuam.

Elevavérunt flúmina fluctus ſuos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris; * mirábilis in altis Dóminus.

Teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis: * domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

Ant. Tua eſt, Dómine, magnificéntia, & poténtia, & glória, atque victória; & tibi laus. 1. *Par.* 29. 11.

Ant. 7. *d.* Quis.

PSALMUS 99.

Ad Dei cultum & laudes exhortatio.

JUbiláte Deo, omnis terra, * ſervíte Dómino in lætítia.

Introíte in conſpéctu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus; * ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

Pópulus ejus & oves páſcuæ ejus, introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis; * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus; * in ætérnum miſericórdia ejus, & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Ant. Quis non timébit te, Dómine, & magnificábit nomen tuum? *Apoc.* 15. 4.

Ant. 6. F. Benedíctus es.

CANTICUM TRIUM PUERORUM. *Dan. c.* 3. *v.* 57. *ad* 88.

Cunctæ creaturæ ad benedicendum Domino invitantur.

BEnedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cœli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, Dómino; * benedícite, om-

nes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, ſol & luna, Dómino: * benedícite, ſtellæ cœli, Dómino.

Benedícite, omnis imber & ros, Dómino: * benedícite, omnes ſpíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis & æſtus, Dómino: * benedícite, frigus & æſtus, Dómino.

Benedícite, rores & pruína, Dómino: * benedícite, gelu & frigus, Dómino.

Benedícite, glácies & nives, Dómino: * benedícite, noctes & dies, Dómino.

Benedícite, lux & ténebræ, Dómino: * benedícite, fúlgura & nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminum; * laudet & ſuperexáltet eum in sécula.

Benedícite, montes & colles, Dómino: * benedícite, univérſa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino: * benedícite, mária & flúmina, Dómino.

Benedícite, cete & omnia quæ movéntur in aquis, Dómino: * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes béſtiæ & pécora, Dómino: * benedícite, filii hóminum, Dómino.

Benedícat Iſraël Dóminum; * *laudet & ſuperexáltet eum in sécula.*

Benedícite, ſacerdótes Dómini, Dómino: * benedícite, ſervi Dómini, Dómino.

Benedícite, ſpíritus & ánimæ juſtórum, Dómino: * benedícite, ſancti & húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Ananía, Azaría, Miſaël, Dómino; * laudáte & ſuper exaltáte eum in sécula.

Hîc, loco Glória Patri, *dicitur:*

Benedicámus Patrem, & Fílium, cum ſancto Spíritu; * laudémus & ſuperexaltémus eum in sécula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cœli; * & laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in sécula.

Ant. Benedíctus es in templo ſancto glóriæ tuæ; & ſuperlaudábilis, & ſupergloríóſus in sécula. *Dan.* 3. 53.

Ant. 3. *à*. Sanctus.

PSALMUS 150.

Deus omnimodè laudandus.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus; * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus; * laudáte eum secúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ; * laudáte eum in pſaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cýmbalis beneſonántibus, laudáte eum in cýmbalis jubilatió-

nis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Ant. Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dóminus Deus omnípotens, qui erat, & qui eſt, & qui ventúrus eſt. *Apoc.* 4. 8.

CAPITULUM. *Apoc.* 7. 12.

BEnedíctio, & cláritas, & ſapiéntia, & gratiárum áctio, honor, & virtus, & fortitúdo Deo noſtro in sécula ſeculórum. Amen. ℟. Deo grátias.

Sic reſpondetur in fine omnium Capitulorum.

HYMNUS.

LAUDATE quem cœli colunt,
Quem, turba ſupplex, Angeli
Prono ſalútant vértice;
Laudáte, mortáles, Deum.

Hic vos levi de púlvere
Alit creátos & regit:
Hic cuncta nutu cóndidit,
Et cuncta nutu súſtinet.

QUÆ finxit error ímpius,
Gentes colunt ludíbria;
Aſt unus eſt nobis Deus,
Quem ſumma laus unum decet.

NOMEN veréndi Núminis
Laudáre ſit ſolus labor;
Nec ora ceſſent débitas
Grates ei persólvere.

SIC gens beáta Cœ́litûm
Optáta guſtat ótia,
Deóque plena dúlcibus
Resólvit ora cánticis.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

℣. Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo; ℟. Ut meditárer elóquia tua. *Pſ.* 118. 148.

Ad Benedíctus, *Antiphona habetur in Proprio de Tempore.*

CANTICUM ZACHARIÆ. *Luc. c.* 1. *v.* 68. *ad* 79.

De Redemptoris adventu, gratiarum actio.

BEnedíctus Dóminus Deus Iſraël: * quia viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ;

Et eréxit cornu ſalútis nobis, * in domo David púeri ſui;

Sicut locútus eſt per os ſanctórum, * qui à ſéculo ſunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis noſtris, * & de manu ómnium qui odérunt nos;

Ad faciéndam miſericórdiam cum pátribus noſtris, * & memorári teſtaménti ſui ſancti:

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem noſtrum, * datúrum ſe nobis;

Ut ſinè timóre de manu inimicórum noſtrórum liberáti, * ſerviámus illi,

In ſanctitáte & juſtítia coram ipſo, * ómnibus diébus noſtris.

Et tu, puer, Prophéta Altíſſimi vocáberis, * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus;

Ad dandam ſciéntiam ſalútis plebi ejus, * in re-

miſſiónem peccatórum eórum;

Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, * in quibus viſitávit nos Oriens ex alto,

Illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis ſedent, * ad dirigéndos pedes noſtros in viam pacis.

Glória Patri.

Poſt Canticum dicitur Antiphona : deinde, Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo. Orémus. *Tum Oratio propria cum integra concluſione : & poſt Orationem*, Dóminus vobíſcum: ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias.

Si qua Commemoratio occurrat, hoc loco fit, eo modo qui deſcribitur in Rubricis.

Poſt Commemorationem, ſi ſit unica, vel poſt ultimam, ſi plures ſint; Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Poſt quamlibet Horam, ſi aliud Officium non ſequatur, dicitur ſecretò : Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

Deinde, Pater noſter. Ave. *ſecretò.*

AD PRIMAM.

Pater. Ave. ſecretò.

℣. *Deus, in adjutórium. ſuprà.*

HYMNUS.

JAM lucis orto ſídere,
Deum precémur ſúpplices,
Noſtras ut ipſe dírigat
Lux increáta ſémitas.

NIL lingua peccet, nil manus,
Nil mens ináne cógitet:
In ore ſimplex véritas,
In corde regnet cáritas.

INCŒPTA dum fluet dies,
O Chriſte, cuſtos pérvigil,
Quas ſævus hoſtis óbſidet,
Portas tuére ſénſuum.

PRÆSTA diúrnus ut tuæ
Subſérviat laudi labor:
Autóre quæ te cœpimus
Da, te favénte, próſequi.

SUPERBA ne nimis caro
Menti licénter ímperet;
Carnis domet ſupérbiam
Potûs cibíque párcitas.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

Ant. I. f. Dignus es.

PSALMUS 117.

Gratiarum actio ob Salvatoris manifeſtationem.

CONfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum miſericórdia ejus.

Dicat nunc Iſraël, quóniam bonus, * quóniam in séculum miſericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron, * quóniam in séculum miſericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent

Dóminum, * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum, * & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor; * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor; * & ego deſpíciam inimícos meos.

Bonum eſt confídere in Dómino, * quàm confídere in hómine.

Bonum eſt ſperáre in Dómino, * quàm ſperáre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me; * & in nómine Dómini, quia ultus ſum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me; * & in nómine Dómini, quia ultus ſum in eos.

Circumdedérunt me ſicut apes, & exarsérunt ſicut ignis in ſpinis; * & in nómine Dómini, quia ultus ſum in eos.

Impúlſus evérſus ſum ut cáderem; * & Dóminus ſuſcépit me.

Fortitúdo mea & laus mea Dóminus, * & factus eſt mihi in ſalútem.

Vox exultatiónis & ſalútis, * in tabernáculis juſtórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me; * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, *ſed vivam;* * *& narrábo ópera Dómini.*

Caſtígans caſtigávit me Dóminus, * & morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas juſtítiæ, ingréſſus in eas confitébor Dómino: * hæc porta Dómini, juſti intrábunt in eam.

Confitébor tibi, quóniam exaudíſti me, * & factus es mihi in ſalútem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, * hic factus eſt in caput ánguli.

A Dómino factum eſt iſtud, * & eſt mirábile in óculis noſtris.

Hæc eſt dies quam fecit Dóminus; * exultémus & lætémur in ea.

O Dómine, ſalvum me fac; ô Dómine, benè proſperáre: * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini: * Deus Dóminus, & illúxit nobis.

Conſtitúite diem ſolémnem in condénſis, * uſque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, & confitébor tibi; * Deus meus es tu, & exaltábo te.

Confitébor tibi, quóniam exaudíſti me, * & factus es mihi in ſalútem.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

P S A L M U S 118.

Divinæ legis laus & amor.

BEáti immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui ſcrutántur teſti-

mónia ejus, * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandáſti * mandáta tua cuſtodíri nimis.

Utinàm dirigántur viæ meæ * ad cuſtodiéndas juſtificatiónes tuas!

Tunc non confúndar, * cùm perſpéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis, * in eo quòd dídici judícia juſtítiæ tuæ.

Juſtificatiónes tuas cuſtódiam; * non me derelínquas uſquequáque.

In quo córrigit adoleſcéntior viam ſuam? * in cuſtodiéndo ſermónes tuos.

In toto corde meo exquiſívi te; * ne repéllas me à mandátis tuis.

In corde meo abſcóndi elóquia tua, * ut non peccem tibi.

Benedíctus es, Dómine, * doce me juſtificatiónes tuas.

In lábiis meis * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via teſtimoniórum tuórum delectátus ſum, * ſicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor; * & conſiderábo vias tuas.

In juſtificatiónibus tuis meditábor; * non oblivíſcar ſermónes tuos.

Prima diviſio Pſal. 118.

*Retríbue ſervo tuo; * vivífica me, & cuſtódiam ſermónes tuos.*

Revéla óculos meos, * & conſiderábo mirabília de lege tua.

Incola ego ſum in terra; * non abſcóndas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea deſideráre juſtificatiónes tuas, * in omni témpore.

Increpáſti ſupérbos; * maledícti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium & contémptum; * quia teſtimónia tua exquisívi.

Etenim ſedérunt príncipes, & advérsùm me loquebántur; * ſervus autem tuus exercebátur in juſtificatiónibus tuis.

Nam & teſtimónia tua meditátio mea eſt, * & consílium meum juſtificatiónes tuæ.

Adhǽſit paviménto ánima mea, * vivífica me ſecúndùm verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, & exaudíſti me; * doce me juſtificatiónes tuas.

Viam juſtificatiónum tuárum inſtrue me, * & exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tǽdio; * confírma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me, * & de lege tua miſerére meî.

Viam veritátis elégi, * judícia tua non ſum oblítus.

Adhǽſi teſtimóniis tuis, Dómine; * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuó-

tum cucúrri, * cùm dilatáſti cor meum.

Quando ſit Officium de Dominica, niſì aliter notetur, dicitur ſequens

SYMBOLUM.

QUicúmque vult ſalvus eſſe,* ante ómnia opus eſt ut téneat cathólicam fidē:

Quam niſì quiſque íntegram inviolatámque ſerváverit, * abſque dúbio in ætérnum períbit.

Fides autem cathólica hæc eſt, * ut unum Deum in Trinitáte, & Trinitátem in Unitáte venerémur;

Neque confundéntes persónas, * neque ſubſtántiam ſeparántes:

Alia eſt enim persóna Patris, ália Fílii,* ália Spíritûs ſancti.

Sed Patris, & Fílii, & Spíritûs ſancti una eſt divínitas, * æquális glória, coætérna majéſtas.

Qualis Pater, talis Fílius,* talis Spíritus ſanctus.

Increátus Pater, increátus *Filius*, * increátus Spíritus ſanctus.

Imménſus Pater, imménſus Fílius, * imménſus Spíritus ſanctus.

Ætérnus Pater, ætérnus Fílius, * ætérnus Spíritus ſanctus:

Et tamen non tres ætérni; * ſed unus ætérnus.

Sicut non tres increáti, nec tres imménſi; * ſed unus *increátus, & unus imménſus.*

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, * omnípotens Spíritus ſanctus:

Et tamen non tres omnipoténtes; * ſed unus omnípotens.

Ità Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus ſanctus.

Et tamen non tres Dii; * ſed unus eſt Deus.

Ità Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus ſanctus:

Et tamen non tres Dómini;* ſed unus eſt Dóminus.

Quia ſicut ſingillátim unamquámque persónam, Deum ac Dóminum confitéri chriſtiánâ veritáte compéllimur; * ità tres Deos aut Dóminos dícere cathólicâ religióne prohibémur.

Pater à nullo eſt factus, * nec creátus, nec génitus.

Fílius à Patre ſolo eſt; * non factus, nec creátus, ſed génitus.

Spíritus ſanctus à Patre & Fílio; * non factus, nec creátus, nec génitus, ſed procédens.

Unus ergo Pater, non tres Patres; unus Fílius, non tres Fílii; * unus Spíritus ſanctus, non tres Spíritus ſancti.

Et in hac Trinitáte, nihil prius aut poſtérius, nihil majus aut minus; * ſed totæ tres persónæ coætérnæ ſibi ſunt & coæquáles.

Ità ut per ómnia, ſicut *jam* ſuprà dictum eſt, * & Unitas in Trinitáte, &

Trínitas in Unitáte veneránda ſit.

Qui vult ergo ſalvus eſſe,* ità de Trinitáte séntiat.

Sed neceſsárium eſt ad ætérnam ſalútem, * ut Incarnatiónem quoque Dómini noſtri Jeſu Chriſti fidéliter credat.

Eſt ergo fides recta, ut credámus & confiteámur, * quia Dóminus noſter Jeſus Chriſtus Dei fílius, Deus & homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtántia Patris ante ſécula génitus; * & homo eſt ex ſubſtántia matris in ſéculo natus.

Perféctus Deus, perféctus homo; * ex ánima rationáli & humána carne ſubsíſtens.

Æquális Patri ſecúndùm divinitátem; * minor Patre ſecúndùm humanitátem.

Qui licèt Deus ſit & homo, * non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.

Unus autem non converſióne divinitátis in carnē, * ſed aſſumptióne humanitátis in Deum.

Unus omnínò non confuſióne ſubſtántiæ, * ſed unitáte perſónæ.

Nam ſicut ánima rationális & caro unus eſt homo; * ità Deus & homo unus eſt Chriſtus:

Qui paſſus eſt pro ſalúte noſtra; deſcéndit ad ínferos; * tértiâ die reſurréxit *à mórtuis.*

Aſcéndit ad cœlos, ſedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis; * inde ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos.

Ad cujus advéntum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus ſuis, * & redditúri ſunt de factis própriis ratiónem.

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam ætérnam; * qui verò mala, in ignem ætérnum.

Hæc eſt fides cathólica, * quam nisì quiſque fidéliter firmitérque credíderit, ſalvus eſſe non póterit.

Ant. Dignus es, Dómine Deus noſter, accípere glóriam, & honórem, & virtútem. *Apoc.* 4. 11.

CAPITULUM. I. *Tim.* 1. 17.

Regi ſeculórum immortáli, invisíbili, ſoli Deo honor & glória, in ſécula ſeculórum. Amen.
℟. Deo grátias.

℟. *breve.* Chriſte, Fili Dei vivi, * Miſerére nobis. ℟. Chriſte. ℣. Qui ſurrexíſti à mórtuis. *Hic verſus quandoque mutatur; at mutatio notatur in propriis locis.* * Miſerére nobis. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto. *Reſumitur:* ℟. Chriſte, Fili Dei vivi, miſerére nobis. *Matt.* 16. 16. *Tob.* 8. 10. *Rom.* 6. 4.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos, ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Pſ.* 43. 26.

℣. Dóminus vobíſcum.
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

Oratio ſequens ſemper dicitur ad Primam.

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecíſti, tuâ nos hódie ſalva virtúte; ut ad nullum declinémus peccátum, ſed ſemper ad tuam juſtítiam faciéndam noſtra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes & ópera; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

AD OFFIC. CAPITULI.

Primò fit lectio Martyrologii, in cujus fine nihil reſpondetur; ſed ſtatim Hebdomadarius dicit altâ voce:

℣. Pretióſa in conſpéctu Dómini ℟. Mors Sanctórum ejus. *Pſ.* 115. 15.

Et abſolutè, ſinè Dóminus vobíſcum, *& ſinè* Orémus.

SAncta María (iſti) & omnes Sancti, ádjuvent nos in oratiónibus ſuis pro nobis ad Deum; ut ſecúndùm eum, qui vocávit nos, Sanctum, & ipſi in omni converſatióne ſancti ſimus. *Rom.* 15. 30. 1. *Petr.* 1. 15. ℟. Amen.

Hæc vox (iſti) omittitur ubi non legitur Martyrologium; & tunc Officium Capituli inchoatur à ℣. Pretióſa: *quod & obſervant qui privatim recitant.*

Tum ſit Lectio Canonis, qui, quâlibet die, varius legitur, & habetur ad calcem Breviarii.

Lector petit Benedictionem, dicens:

Jube, Domne, benedícere.

Hebdomadarius benedicit:

Bonitátem, & diſciplínam, & ſciéntiam dóceat nos Dóminus. *Pſ.* 118. 66. ℟. Amen.

Lector legit Canonem, & in fine ſubjungit: Tu autem, Dómine, miſerére noſtrî. ℟. Deo grátias.

A privatim recitantibus, legitur Canon, omiſſo, Jube, Domne, benedícere, *ſed præmiſſâ Benedictione ut ſuprà.*

Abſoluto Canone, Hebdomadarius dicit:

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Pſ.* 123. 8.

Submiſſiori voce dicit: Benedícite. *Lector verſus ad eum:* Dóminus. *Et ſtatim ſubjungit Hebdomadarius ad Abſolutionem Capituli:*

Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem, fáciens in vobis quod pláceat coram ſe; per Jeſum Chriſtum, cui eſt glória in ſécula ſeculórum. *Hebr.* 13. 20. 21. ℟. Amen.

Secretò, Fidélium ánimæ, &c.

AD TERTIAM.

Pater. Ave. *ſecretò.*

℣. Deus, in adjutórium meum, &c.

HYMNUS.

O Fons amóris Spíritus,
O Sancte donórum Parens,
Tuas refúſus íntimis
Accénde flammas córdibus.

Qui caritátis vínculo
Cum Patre nectis Fílium,
Et nos amóris mútui
Arctis coápta néxibus.

Æterne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória. Amen.

Ant. 8. G. Sic fiat.

Secunda diviſio Pſal. 118.

LEgem pone mihi, Dómine, viam juſtificatiónum tuárum, * & exquíram eam ſemper.

Da mihi intelléctũ, & ſcrutábor legem tuã, * & cuſtódiã illam in toto corde meo.

Deduc me in ſémitam mandatórum tuórum, * quia ipſam vólui.

Inclína cor meum in teſtimónia tua, * & non in avarítiam.

Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem: * in via tua vivífica me.

Státue ſervo tuo elóquium tuum, * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meũ quod ſuſpicátus ſum: * quia judícia tua jucúnda.

*Ecce concupívi mandáta tua: * in æquitáte tua vivífica me.*

Et véniat ſuper me miſericórdia tua, Dómine; * ſalutáre tuum ſecúndùm elóquium tuum.

Et reſpondébo exprobrántibus mihi verbum; * quia ſperávi in ſermónibus tuis.

Et ne aúferas de ore meo verbum veritátis uſquequáque; * quia in judíciis tuis ſuperſperávi.

Et cuſtódiam legem tuam ſemper, * in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

Et ambulábam in latitúdine; * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar de teſtimóniis tuis in conſpéctu regum, * & non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ diléxi, * & exercébar in juſtificatiónibus tuis.

Tertia diviſio Pſal. 118.

MEmor eſto verbi tui ſervo tuo, * in quo mihi ſpem dedíſti.

Hæc me conſoláta eſt in humilitáte mea; * quia elóquium tuum vivificávit me.

Supérbi iniquè agébant uſquequáque; * à lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum à ſéculo, Dómine; * & conſolátus ſum.

Deféctio ténuit me, * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant juſtificatiónes tuæ, * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui noćte nóminis tui, Dómine, * & cuſtodívi legem tuam.

Hæc facta eſt mihi; * quia juſtificatiónes tuas exquiſívi.

Pórtio mea, Dómine, * dixi cuſtodíre legem tuam.

Deprecátus ſum fáciem tuam in toto corde meo; * miſerére meî ſecúndùm elóquium tuum.

Cogitávi vias meas; * & convérti pedes meos in teſtimónia tua.

Parátus ſum, & non ſum turbátus; * ut cuſtódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumpléxi ſunt me; * & legem tuam non ſum oblítus.

Médiâ noćte ſurgébam ad confiténdum tibi, * ſuper judícia juſtificatiónis tuæ.

Párticeps ego ſum ómniũ timéntium te, * & cuſtodiéntium mandáta tua.

Miſericórdiâ tuâ, Dómine, plena eſt terra; * juſtificatiónes tuas doce me.

Quarta diviſio Pſal. 118.

BOnitátem fecíſti cum ſervo tuo, Dómine, * ſecúndùm verbum tuum.

Bonitátem, & diſciplínã & ſciéntiam doce me; * quia mandátis tuis crédidi.

Priúſquàm humiliárer, ego delíqui; * proptéreà elóquium tuum cuſtodívi.

Bonus es tu, * & in bonitáte tua doce me juſtificatiónes tuas.

Multiplicáta eſt ſuper me iníquitas *ſuperbórum; * ego autem in toto corde* meo ſcrutábor mandáta tua.

Coagulátum eſt ſicut lac cor eórum; * ego verò legem tuam meditátus ſum.

Bonum mihi quia humiliáſti me, * ut diſcam juſtificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui, * ſuper míllia auri & argénti.

Manus tuæ fecérunt me, & plaſmavérunt me; * da mihi intelléćtum, & diſcam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me, & lætabúntur; * quia in verba tua ſuperſperávi.

Cognóvi, Dómine, quia ǽquitas judícia tua, * & in veritáte tua humiliáſti me.

Fiat miſericórdia tua ut conſolétur me, * ſecúndùm elóquium tuum ſervo tuo.

Véniant mihi miſeratiónes tuæ, & vivam; * quia lex tua meditátio mea eſt.

Confundántur ſupérbi, quia injúſtè iniquitátem fecérunt in me; * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te, * & qui novérunt teſtimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in juſtificatiónibus tuis, * ut non confúndar.

Ant. Sic fiat ſacrifícium noſtrum in conſpéćtu tuo hódie, ut pláceat tibi, Dómine. *Dan.* 3. 40.

Capitulum. *Levit.* 23. 37.

HÆ ſunt fériæ Dómini, quas vocábitis celebérrimas atque ſanćtíſſimas, offeretíſque in eis oblatió-

nes Dómino. ℟. Deo grátias.

℟. *breve.* Buccináte in neoménia tubâ, * In insígni die ſolemnitátis veſtræ. ℟. Buccináte. ℣. Quia præcéptum in Iſraël eſt, & judícium Deo Jacob. * In insígni. Glória. ℟. Buccináte. *Pſ.* 80. 4. 5.

℣. Sacrificáte ſacrifícium juſtítiæ, ℟. Et ſperáte in Dómino. *Pſ.* 4. 6.

AD SEXTAM.

Pater. Ave. *ſecretò.*

℣. Deus, in adjutórium meum, &c.

HYMNUS.

JAM ſolis áureum jubar
Toto corúſcat lúmine;
Sic, Chriſte, tu mundũ novâ
Sol verus accéndis face.

FAC plena noſtris fúlgeat
Lux veritátis méntibus;
Fac noſtra plenam cáritas
Creſcéndo ſurgat ad diem.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

Ant. 6. F. Beáti.

Quinta diviſio Pſal. 118.

DEfécit in ſalutáre tuum ánima mea; * & in verbum tuum ſuperſperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicéntes: Quando conſoláberis me?

Quia factus ſum ſicut uter in pruína; * juſtificatiónes tuas non ſum oblítus.

Quot ſunt dies ſervi tui? * *quando* fácies de perſequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes; * ſed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas: * iníquè perſecúti ſunt me, ádjuva me.

Paulò minùs conſummavérunt me in terra; * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secúndùm miſericórdiam tuam vivífica me, * & cuſtódiam teſtimónia oris tui.

In ætérnum, Dómine, * verbum tuum pérmanet in cœlo.

In generatiónem & generatiónem véritas tua: * fundáſti terram, & pérmanet.

Ordinatióne tuâ perſevérat dies; * quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisì quòd lex tua meditátio mea eſt, * tunc fortè periiſſem in humilitáte mea.

In ætérnum non obliviſcar juſtificatiónes tuas; * quia in ipſis vivificáſti me.

Tuus ſum ego, * ſalvum me fac, quóniam juſtificatiónes tuas exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me; * teſtimónia tua intelléxi.

Omnis conſummatiónis vidi finem; * latum mandátum tuum nimis.

Sexta diviſio Pſal. 118.

QUómodo diléxi legem tuam, Dómine! * totâ die meditátio mea eſt.

Super inimícos meos prudéntem me fecíſti mandáto tuo; * quia in ætérnum mihi eſt.

Super omnes docéntes me

intelléxi; * quia teſtimónia tua meditátio mea eſt.

Super ſenes intelléxi; * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos, * ut cuſtódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi; * quia tu legem poſuíſti mihi.

Quàm dúlcia faúcibus meis elóquia tua! * ſuper mel ori meo.

A mandátis tuis intelléxi; * proptéreà odívi omnem viam iniquitátis.

Lucérna pédibus meis verbum tuum, * & lumen sémitis meis.

Jurávi, & ſtátui * cuſtodíre judícia juſtítiæ tuæ.

Humiliátus ſum uſquequáque, Dómine: * vivífica me ſecúndùm verbum tuũ.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine; * & judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis ſemper, * & legem tuam non ſum oblítus.

Poſuérunt peccatóres láqueum mihi, * & de mandátis tuis non errávi.

Hæreditáte acquisívi teſtimónia tua in ætérnum;* quia exultátio cordis mei ſunt.

Inclinávi cor meum ad faciéndas juſtificatiónes tuas in ætérnum, * propter retributiónem.

Septima diviſio Pſal. 118.

INíquos ódio hábui; * & legem *tuam diléxi.*

Adjútor & ſuſcéptor meus es tu; * & in verbum tuum ſuperſperávi.

Declináte à me, malígni, * & ſcrutábor mandáta Dei mei.

Súſcipe me ſecúndùm elóquium tuum, & vivam; * & non confúndas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, & ſalvus ero;* & meditábor in juſtificatiónibus tuis ſemper.

Sprevíſti omnes diſcedéntes à judíciis tuis; * quia injúſta cogitátio eórum.

Prævaricántes reputávi omnes peccatóres terræ; * ídeò diléxi teſtimónia tua.

Confige timóre tuo carnes meas, * à judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium & juſtítiam; * non tradas me calumniántibus me.

Súſcipe ſervum tuum in bonum; * non calumniéntur me ſupérbi.

Oculi mei defecérunt in ſalutáre tuum, * & in elóquium juſtítiæ tuæ.

Fac cum ſervo tuo ſecúndùm miſericórdiam tuam; * & juſtificatiónes tuas doce me.

Servus tuus ſum ego; * da mihi intelléctum, ut ſciam teſtimónia tua.

Tempus faciéndi, Dómine; * diſſipavérunt legem tuam.

Ideò diléxi mandáta tua,* ſuper aurum & topázion.

Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar;* omnem viam iníquam ódio hábui.

Ant. Beáti qui aúdiunt verbum Dei, & cuſtódiunt illud. *Luc.* 11. 28.

CAPITULUM. *Jac.* 1. 21. 22.

SUſcípite ínſitum verbum quod poteſt ſalváre ánimas veſtras. Eſtóte autem factóres verbi, & non auditóres tantùm, falléntes voſmetípſos. ℟. Deo grátias.

℟. *breve.* Hódie * Si vocem Dómini audiéritis. ℟. Hódie. ℣. Nolíte obduráre corda veſtra. * Si vocem. Glória. ℟. Hódie. *Pſ.* 94. 8.

℣. Juſtítia illíus in fílios filiórum, ℣. His qui ſervant teſtaméntum ejus. *Pſ.* 102. 17. 18.

AD NONAM.

Pater. Ave. *ſecretò.*

℣. Deus, in adjutórium meum, &c.

HYMNUS.

PRONO volútus ímpetu,
Inclínat in noctem dies;
Sic vita ſuprémam cito
Feſtínat ad metam gradu.

O CHRISTE, dum fixus cruci,
Expándis orbi bráchia,
Amáre da crucem, tuo
Da nos in ampléxu mori.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

Ant. 7. *d.* Finis.

Octava diviſio Pſal. 118.

MIrabília teſtimónia tua: * ídeò ſcrutáta eſt ea ánima mea.

Declarátio ſermónum tuórum illúminat; * & intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, & attráxi ſpíritum: * quia mandáta tua deſiderábam.

Aſpice in me, & miſerére meî, * ſecúndùm judícium diligéntium nomen tuum.

Greſſus meos dírige ſecúndùm elóquium tuum; * & non dominétur meî omnis injuſtítia.

Rédime me à calúmniis hóminum, * ut cuſtódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina ſuper ſervum tuum, * & doce me juſtificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei; * quia non cuſtodiérunt legem tuam.

Juſtus es, Dómine, * & rectum judícium tuum.

Mandáſti juſtítiam teſtimónia tua, * & veritátem tuam nimis.

Tabéſcere me fecit zelus meus; * quia oblíti ſunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum veheménter; * & ſervus tuus diléxit illud.

Adoleſcéntulus ſum ego, & contémptus; * juſtificatiónes tuas non ſum oblítus.

Juſtítia tua, juſtítia in ætérnum; * & lex tua véritas.

Tribulátio & angúſtia invenérunt me; * mandáta tua meditátio mea eſt.

Æquitas teſtimónia tua in ætérnum; * intelléctum da mihi, vivam.

Nona

Nona diviſio Pſal. 118.

CLamávi in toto corde meo, exaúdi me, Dómine; * juſtificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, ſalvum me fac, * ut cuſtódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, & clamávi; * quia in verba tua ſuperſperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo, * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi ſecúndùm miſericórdiam tuam, Dómine; * & ſecúndùm judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt perſequéntes me iniquitáti; * à lege autem tua longè facti ſunt.

Propè es tu, Dómine; * & omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de teſtimóniis tuis; * quia in ætérnum fundáſti ea.

Vide humilitátem meam & éripe me; * quia legem tuam non ſum oblítus.

Júdica judícium meum, & rédime me: * propter elóquium tuum vivífica me.

Longè à peccatóribus ſalus; * quia juſtificatiónes tuas non exquiſiérunt.

Miſericórdiæ tuæ multæ, Dómine; * ſecúndùm judícium tuum vivífica me.

Multi qui perſequúntur me, & tríbulant me; * à teſtimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricántes, & tabeſcébam; * *quia elóquia tua non cuſtodiérunt.*

Vide quóniam mandáta tua diléxi, Dómine; * in miſericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum véritas; * in ætérnum ómnia judícia juſtítiæ tuæ.

Decima diviſio Pſal. 118.

PRíncipes perſecúti ſunt me gratìs, * & à verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego ſuper elóquia tua; * ſicut qui invénit ſpólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, & abominátus ſum; * legem autem tuam diléxi.

Séptiès in die laudem dixi tibi, * ſuper judícia juſtítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam; * & non eſt illis ſcándalum.

Expectábam ſalutáre tuum, Dómine; * & mandáta tua diléxi.

Cuſtodívit ánima mea teſtimónia tua, * & diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua & teſtimónia tua; * quia omnes viæ meæ in conſpéctu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conſpéctu tuo, Dómine: * juxta elóquium tuum da mihi intelléctum.

Intret poſtulátio mea in conſpéctu tuo: * ſecúndùm elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cùm docúeris me juſtificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum, * quia ómnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua ut ſalvet

me; * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi ſalutáre tuũ, Dómine; * & lex tua meditátio mea eſt.

Vivet ánima mea, & laudábit te; * & judícia tua adjuvábunt me.

Errávi ſicut ovis quæ périit; * quære ſervum tuum, quia mandáta tua non ſum oblítus.

Ant. Finis præcépti eſt cáritas de corde puro, & conſciéntia bona, & fide non ficta. 1. *Tim.* 1. 5.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 16. 1. 2.

DE colléctis quæ fiunt in ſanctos, ità & vos fácite. Per unam ſábbati unuſquíſque veſtrũ apud ſe ſepónat, recóndens quod ei benè placúerit. ℟. Deo grátias.

℟. *breve.* Jucúndus homo * Qui miſerétur & cómmodat. ℟. Jucúndus. ℣. Diſpónet ſermónes ſuos in judício. * Qui miſerétur. Glória. ℟. Jucúndus. *Pſ* 111. 5.

℣. Beátus qui intélligit ſuper egénum & paúperem; ℟. In die mala liberábit eum Dóminus. *Pſ.* 40. 2.

AD VESPERAS.

Pater. Ave. *ſecretò.*

℣. Deus, in adjutórium meum, &c.

Ant. 1. D. Qui ingréſſus eſt.

PSALMUS 109.

Chriſti divinitas, regnum & ſacerdotium.

*DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis.*

Donec ponam inimícos tuos * ſcabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * dominàre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ, in ſplendóribus ſanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es ſacérdos in ætérnum ſecúndùm órdinem Melchíſedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ ſuæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas, * conquaſſábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet; * proptéreà exaltábit caput.

Ant. Qui ingréſſus eſt in réquiem Dei, étiam ipſe requiévit ab opéribus ſuis, ſicut à ſuis Deus. *Hebr.* 4. 10.

Ant. 5. a. Ingrediémur.

PSALMUS 110.

Laus Deo ob ſua per Chriſtum beneficia.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * in concílio juſtórum & congregatióne.

Magna ópera Dómini, * exquiſíta in omnes voluntátes ejus.

Conféſſio & magnificéntia opus ejus; * & juſtítia ejus manet in séculum séculi.

Memóriam fecit mirabílium ſuórum miséricors & miſerátor Dóminus; * eſcam dedit timéntibus ſe.

Memor erit in ſéculum teſtaménti ſui: * virtútem óperum ſuórum annuntiábit pópulo ſuo;

Ut det illis hæreditátem géntium: * ópera mánuum ejus véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in ſéculum ſéculi, * facta in veritáte & æquitáte.

Redemptiónem miſit pópulo ſuo; * mandávit in ætérnum teſtaméntum ſuũ.

Sanctum & terríbile nomen ejus: * inítium ſapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in ſéculum ſéculi.

Ant. Ingrediémur in réquiem, qui crédidimus. *Hebr.* 4. 3.

Ant. 2. D. Cùm vénerit.

PSALMUS III.

Chriſti & omnium in Chriſto juſtorum encomium.

BEátus vir qui timet Dóminum; * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit ſemen ejus: * generátio rectórum benedicétur.

Glória & divítiæ in domo ejus: * & juſtítia ejus manet in ſéculum ſéculi.

Exórtum eſt in ténebris lumen rectis, * *miséricors, & miſerátor, & juſtus.*

Jucúndus homo qui miſerétur, & cómmodat; diſpónet ſermónes ſuos in judício; * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit juſtus, * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus ſperáre in Dómino; * confirmátum eſt cor ejus; non commovébitur donec deſpíciat inimícos ſuos.

Diſpérſit, dedit paupéribus; * juſtítia ejus manet in ſéculum ſéculi; cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, & iraſcétur; déntibus ſuis fremet, & tabéſcet: * deſidérium peccatórum períbit.

Ant. Cùm vénerit quod perféctum eſt, evacuábitur quod ex parte eſt. 1. *Cor.* 13. 10.

Ant. 4. *E.* Vidémus.

PSALMUS 112.

Dei laus, ob fidelium per Chriſtum exaltationem & multiplicationem.

LAudáte, púeri, Dóminum; * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc, nunc, & uſque in ſéculum.

A ſolis ortu uſque ad occáſum, * laudábile nomen Dómini.

Excélſus ſuper omnes gentes Dóminus, * & ſuper cœlos glória ejus.

Quis ſicut Dóminus Deus noſter, * qui in altis hábitat, & humília réſpicit in cœlo & in terra?

Depóſuit poténtes de ſede ; * & exaltávit húmiles.

Eſuriéntes implévit bonis ; * & dívites dimíſit inánes.

Suſcépit Iſraël púerum ſuum, * recordátus miſericórdiæ ſuæ.

Sicut locútus eſt ad patres noſtros, * Abraham, & sémini ejus, in sécula.

Glória Patri.

Deinde Antiphona, & Oratio conveniens.

Si qua Commemoratio occurrat, hoc loco fit, eo modo qui deſcribitur in Rubricis.

Deinde, Dóminus vobíscum. Benedicámus, &c.

AD COMPLETORIUM.

Si ſeparetur à Veſperis, dicitur : Pater. Ave. *ſecretò.*

CONvérte nos, Deus ſalutáris noſter ; ℟. Et avérte iram tuam à nobis. *Pſ.* 84. 5.

℣. Deus, in adjutórium meum, &c.

Ant. 8. c. Sive.

PSALMUS 4.

In Deo fidelium ſpes & requies.

CUm invocárem, exaudívit me Deus juſtítiæ meæ : * in tribulatióne dilatáſti mihi.

Miſerére meî, * & exaúdi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úſquequò gravi corde ? * ut quid dilígitis vanitátem, & quærítis mendácium ?

Et ſcitóte quóniam mirificávit Dóminus Sanctum ſuum ; * Dóminus exaúdiet me, cùm clamávero ad eum.

Iraſcímini, & nolíte peccáre : * quæ dicitis in córdibus veſtris, in cubílibus veſtris compungímini.

Sacrificáte ſacrifícium juſtítiæ, & ſperáte in Dómino. * Multi dicunt : Quis oſténdit nobis bona ?

Signátum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Dómine : * dediſti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei ſui, * multiplicáti ſunt.

In pace in idipſum dórmiam, * & requiéſcam :

Quóniam tu, Dómine, * ſinguláriter in ſpe conſtituíſti me.

PSALMUS 90.

Sub Dei tutela nihil per diem vel noctem timendum.

QUi hábitat in adjutório Altíſſimi, * in protectióne Dei cœli commorábitur.

Dicet Dómino : Suſcéptor meus es tu, & refúgium meum ; * Deus meus, ſperábo in eum.

Quóniam ipſe liberávit me de láqueo venántium, * & à verbo áſpero.

Scápulis ſuis obumbrábit tibi ; * & ſub pennis ejus ſperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus ; * non timébis à timóre noctúrno,

A ſagitta volánte in die,

à negótio perambulánte in ténebris, * ab incúrſu, & dæmónio meridiáno.

Cadent à látere tuo mille, & decem míllia à dextris tuis; * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis conſiderábis, * & retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es, Dómine, ſpes mea: * Altíſſimum poſuíſti refúgium tuum;

Non accédet ad te malum, * & flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo:

Quóniã Angelis ſuis mandávit de te,* ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis:

In mánibus portábunt te, * ne forté offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áſpidem & baſilíſcum ambulábis,* & conculcábis leónem & dracónem.

Quóniam in me ſperávit, liberábo eum; * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me; * & ego exaúdiam eum;

Cum ipſo ſum in tribulatióne; * erípiam eum, & glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum, * & oſténdam illi ſalutáre meum.

PSALMUS 133.

Deus die & nocte benedicendus.

ECce nunc benedícite Dóminum, * *omnes ſervi Dómini,*

Qui ſtatis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri.

In nóctibus extóllite manus veſtras in ſancta; * & benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion, * qui fecit cœlum & terram.

Ant. Sive vigilémus, ſive dormiámus, ſimul cum Chriſto vivámus. 1. *Theſſ.* 5. 10.

HYMNUS.

GRATES, perácto jam die,
Deus, tibi perſólvimus;
Pronóque dum nox íncipit,
Proſtérnimus vultu preces.

QUOD longa peccávit dies,
Amárus éxpiet dolor;
Somno gravátis ne nova
Infligat hoſtis vúlnera.

INFESTUS uſque círcuit
Quærens leo quem dévoret;
Umbra ſub alárum tuos
Defénde filios, Pater.

O QUANDO lucéſcet tuus
Qui neſcit occáſum dies!
O quando ſancta ſe dabit
Quæ neſcit hoſtem pátria!

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui caritáte nos foves,
Par ſit tibi laus, Spíritus.
Amen.

CAPITULUM. 1. *Theſſ.* 5. 5. 6.

OMnes vos filii lucis eſtis, & filii diéi: non ſumus noctis neque tenebrárum: ígitur non dormiámus ſicut & cæteri, ſe

vigilémus, & ſóbrii ſimus. ℟. Deo grátias.

℟. *breve.* In manus tuas, Dómine, * Comméndo ſpíritum meum. ℟. In manus. ℣. Redemíſti me, Dómine, Deus veritátis. * Comméndo ſpíritum meum. Glória Patri. ℟. In manus. *Pſ.* 30. 6.

℣. Cuſtódi me, Dómine, ut pupíllam óculi; ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me. *Pſ.* 16. 8.

Ant. 6. F. Nos.

CANTICUM SIMEONIS.

Luc. c. 2. *v.* 29. *ad* 32.

De Salvatoris adventu gratiarum actio.

NUnc dimíttis ſervum tuum, Dómine, * ſecúndùm verbum tuum, in pace.

Quia vidérunt óculi mei * Salutáre tuum,

Quod paráſti, * ante fáciem ómnium populórum,

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Iſraël.

Glória Patri.

Ant. Nos qui diéi ſumus, ſóbrii ſimus, indúti lorícam fidei & caritátis, & gáleam ſpem ſalútis. 1. *Theſſ.* 5. 8.

℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

Oratio ſequens ſemper dicitur ad Completorium, nisì aliter notetur.

ILlúmina, quǽſumus, Dómine, ténebras noſtras, & hujus noctis insídias à nobis repélle propítius; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus; Per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Deinde ſubmiſſiori voce.

Grátia Dómini noſtri Jeſu Chriſti, & cáritas Dei, & communicátio ſancti Spíritûs ſit cum ómnibus vobis. 2. *Cor.* 13. 13. ℟. Amen.

Poſteà dicitur ad devotionem una ex Antiphonis de Beata Maria Virgine, quæ extant ad calcem Pſalterii. Demùm Pater, Ave, Credo.

FERIA SECUNDA,

AD OFFIC. NOCTURN.

Pater. Ave. Credo.

DOmine, lábia mea apéries, &c. *ut ſuprà p.* 2. *& ſic aliis diebus.*

Invitatorium. Altíſſimum Creatórem omnipoténtem, * Veníte, adorémus. *Eccli.* 1. 8.

Repetitur Invitatorium: Altíſſimum.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2.

Poſt ſingulos verſus Pſalmi Veníte, *fit tantummodo reclamatio*, * Veníte, adorémus. *Quâ factâ reclamatione poſt* ℣. Sicut erat, *reſumitur* Invitatorium *integrum:* Altíſſimum.

Et hoc modo dicitur Invitatorium in ſingulis Feriis, quando Officium ſit de Feria.

HYMNUS.

QUID mente volvis, ô Deus,
Qui ſúfficis ſolus tibi?
Amóre noſtrî pércitus,
Mundum creáre cógitas.

Tu magna cœli lúmina,
Tu noctis umbras & diem,
Terræque tractus & maris,
Imménſus ipſe cóntines.

Ut tempus incœptum fluat,
Te velle, te loqui, ſat eſt:
Virtus ab ætérno latens
Expándet inclúſas opes.

Ubi merum ſubeſt nihil,
Creáre non tibi labor;
Quodcúmque mente cóncipis,
Vis eſſe? jam factum vides.

Extende fortem déxteram,
Te mundus oſténdat Deum;
Jubéntis ore pródeat
Opus ſupérbum quod moves.

Orbem poténter qui creas,
Tibi, Pater, cum Fílio,
Almo ſimul cum Spíritu,
Sit ſumma laus in sécula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. G. Qui vivit.

PSALMUS 8.

Mundus Verbo Dei creatus & redemptus.

DOmine Dóminus noſter, *quàm admirábile eſt nomen tuum in univérſa terra!*

Quóniam eleváta eſt magnificéntia tua* ſuper cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfeciſti laudem propter inimícos tuos, * ut déſtruas inimícum & ultórẽ.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam & ſtellas quæ tu fundáſti.

Quid eſt homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam viſitas eum?

Minuíſti eum paulò minùs ab Angelis, * glóriâ & honóre coronáſti eum, & conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum.

Omnia ſubjeciſti ſub pédibus ejus, * oves & boves univérſas, inſuper & pécora campi;

Vólucres cœli, * & piſces maris, qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noſter, * quam admirábile eſt nomen tuum in univérſa terra!

PSALMUS 32.

Dei laus ob mundi, per Dei Verbum, creationem & redemptionem.

EXultáte, juſti, in Dómino: * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara: * in pſaltério decem chordárum pſállite illi.

Cantáte ei cánticum novum; * benè psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum eſt verbum Dómini: * & ómnia ópera ejus in fide.

Diligit miſericórdiam & judícium : * miſericórdiâ Dómini plena eſt terra.

Verbo Dómini cœli firmáti ſunt , * & ſpíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans ſicut in utre aquas maris , * ponens in theſaúris abýſſos.

Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipſe dixit , & facta ſunt ; * ipſe mandávit , & creáta ſunt.

Dóminus díſſipat consília géntium ; * réprobat autem cogitatiónes populórum , & réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet : * cogitatiónes cordis ejus in generatióne & generatiónem.

Diviſio Pſalmi 32.

BEáta gens cujus eſt Dóminus Deus ejus , * pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi.

De cœlo reſpéxit Dóminus ; * vidit omnes filios hóminum.

De præparáto habitáculo ſuo , * reſpéxit ſuper omnes qui hábitant terram.

Qui finxit ſingillátim corda eórum ; * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non ſalvátur rex per multam virtútem ; * & gigas non ſalvábitur in multitúdine virtútis ſuæ.

Fallax equus ad ſalútem ; * in abundántia autem virtútis ſuæ non ſalvábitur.

Ecce óculi Dómini ſuper metuéntes eum , * & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus ;

Ut éruat à morte ánimas eórum , * & alat eos in fame.

Anima noſtra ſúſtinet Dóminum ; * quóniam adjútor & protéctor noſter eſt ;

Quia in eo lætábitur cor noſtrum , * & in nómine ſancto ejus ſperávimus.

Fiat miſericórdia tua , Dómine, ſuper nos,* quemádmodum ſperávimus in te.

Ant. Qui vivit in ætérnum , creávit ómnia ſimul. *Eccli.* 18. 1.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Omnia.

PSALMUS 101.

Eccleſiæ, inter hujus mundi adverſa , ſpes in Dei Verbo , per quod omnia facta ſunt.

DOmine , exaúdi oratiónem meam , * & clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me ; * in quacúmque die tríbulor , inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te , * velóciter exaúdi me.

Quia defecérunt ſicut fumus dies mei , * & oſſa mea ſicut crémium aruérunt.

Percúſſus ſum ut fœnum , & áruit cor meum , * quia

oblítus ſum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhǽſit os meum carni meæ.

Símilis factus ſum pelicáno ſolitúdinis; * factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.

Vigilávi, * & factus ſum ſicut paſſer ſolitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, advérsùm me jurábant:

Quia cínerem tanquam panem manducábam, * & potum meum cum fletu miſcébam,

A fácie iræ & indignatiónis tuæ; * quia élevans alliſíſti me.

Dies mei ſicut umbra declinavérunt; * & ego ſicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes, * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Diviſio Pſalmi 101.

TU exúrgens, [Dómine], miſeréberis Sion; * quia tempus miſeréndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt ſervis tuis lápides ejus, * & terræ ejus miſerebúntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion; * *& vidébitur in glória ſua.*

Reſpéxit in oratiónem húmilium, * & non ſprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera, * & pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum;

Quia proſpéxit de excélſo ſancto ſuo: * Dóminus de cœlo in terram aſpéxit;

Ut audíret gémitus compeditórum, * ut sólveret fílios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jeruſalem;

In conveniéndo pópulos in unum, & reges; * ut sérviant Dómino.

Reſpóndit ei in via virtútis ſuæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi:

Ne révoces me in dimídio diérum meórum: * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Altera diviſio Pſal. 101.

INítio tu, Dómine, terram fundáſti: * & ópera mánuum tuárum ſunt cœli.

Ipſi períbunt; tu autem pérmanes; * & omnes ſicut veſtiméntum veteráſcent:

Et ſicut opertórium mutábis eos, & mutabúntur; * tu autem idem ipſe es, & anni tui non defícient.

Fílii ſervórum tuórum habitábunt; * & ſemen eórum in ſéculum dirigétur.

Ant. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. *Joan.* 1. 3.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Ex ipſo.

PSALMUS 103.

Deus ob multiplicia naturæ & gratiæ miracula benedicendus.

BEnedic, ánima mea, Dómino: * Dómine Deus meus, magnificâtus es veheménter.

Confeſſiónem & decórem induíſti, * amíctus lúmine ſicut veſtiménto;

Exténdens cœlum ſicut pellem: * qui tegis aquis ſuperióra ejus:

Qui ponis nubem aſcénſum tuum; * qui ámbulas ſuper pennas ventórum;

Qui facis Angelos tuos ſpíritus, * & miniſtros tuos ignem uréntem;

Qui fundáſti terram ſuper ſtabilitátem ſuam, * non inclinábitur in ſéculum ſéculi.

Abýſſus, ſicut veſtiméntum amíctus ejus; * ſuper montes ſtabunt aquæ.

Ad increpatióne tua fúgient; * à voce tonítrui tui formidábunt.

Aſcéndunt montes, & deſcéndunt campi, * in locum quem fundáſti eis.

Términum poſuíſti quem non tranſgrediéntur; * neque converténtur operíre terram.

Qui emíttis fontes in convállibus; * inter médium móntiũ pertransíbunt aquæ:

Potábunt omnes béſtiæ agri: * expectábunt ónagri in ſiti ſua.

Super ea vólucres cœli habitábunt, * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de ſuperióribus ſuis; * de fructu óperum tuórum ſatiábitur terra.

Prodúcens fœnum juméntis, * & herbam ſervitúti hóminum,

Ut edúcas panem de terra, * & vinum lætíficet cor hóminis;

Ut exhílaret fáciem in óleo, * & panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi, * & cedri Líbani quas plantávit:

Illic páſſeres nidificábunt; * heródii dómus dux eſt eórum.

Montes excélſi cervis, * petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora: * ſol cognóvit occáſum ſuum.

Poſuíſti ténebras, & facta eſt nox; * in ipſa pertransíbunt omnes béſtiæ ſylvæ.

Cátuli leónum rugiéntes ut rápiant, * & quærant à Deo eſcam ſibi.

Ortus eſt ſol, & congregáti ſunt, * & in cubílibus ſuis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus ſuum, * & ad operatiónem ſuam uſque ad véſperum.

Diviſio Pſal. 103.

QUàm magnificáta ſunt ópera tua, Dómine! ómnia in ſapiéntia fecíſti: * impléta eſt terra poſſeſſióne tuâ.

Hoc mare magnum & ſpatióſum mánibus: * illic reptília quorum non eſt númerus, animália puſílla cum magnis.

Illic naves pertranſíbunt;* draco iſte quem formáſti ad illudéndum ei.

Omnia à te expéctant * ut des illis eſcam in témpore.

Dante te illis, cólligent; * aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Avertente autem te fáciem, turbabúntur; * aúferes ſpíritum eórum, & defícient, & in púlverem ſuum reverténtur.

Emittes ſpíritum tuum, & creabúntur; * & renovábis fáciem terræ.

Altera diviſio Pſal. 103.

SIt glória Dómini in ſéculum; * lætábitur Dóminus in opéribus ſuis:

Qui réſpicit terram, & facit eam trémere; * qui tangit montes, & fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea, * pſallam Deo meo quándiu ſum.

Jucúndum ſit ei elóquium meum; * ego verò delectábor in Dómino.

Deficiant peccatóres à terra & iníqui, ità ut non ſint: * bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt ómnia: ipſi glória in ſécula. *Rom.* 11. 36.

℣. Ipſe dixit, & facta ſunt: ℟. Ipſe mandávit, & creáta ſunt. *Pſ.* 32. 9.

Pater. *ſecretò.* Et ne nos indúcas, &c. *ut ſuprà.*

Benedictiones ut ordinantur poſt Pſalterium.

Lectiones cum ℟℟℟. *ut in Proprio de Tempore. Et ſic in ſequentibus Feriis.*

Non dicitur : Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Quàm magnificáta ſunt ópera tua, Dómine! ℟. Omnia in ſapiéntia feciſti. *Pſ.* 103. 24.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. 7. *c.* Dómine.

PSALMUS 18.

Mundi & Eccleſiæ, legis & Evangelii commendatio.

✗ CŒli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum,* & nox nocti índicat ſciéntiam.

Non ſunt loquélæ, neque ſermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit ſonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In ſole póſuit tabernáculum ſuum, * & ipſe tanquam ſponſus procédens de thálamo ſuo.

Exultávit ut gigas ad curréndam viam: * à ſummo cœlo egréſſio ejus:

Et occúrſus ejus uſque ad ſummum ejus; * nec eſt qui ſe abſcóndat à calóre ejus.

✗ Loco ps. Cœli enarrant &c. Bonum est usque divisionem — 44.

Ant. Dómine, tu es qui fecíſti cœlum & terram, mare & ómnia quæ in eis ſunt. *Act.* 4. 24.

Ant. 8. G. Tu, Dómine.

Diviſio Pſalmi 18.

LEx Dómini immaculáta, convértens ánimas: * teſtimónium Dómini fidéle, ſapiéntiam præſtans párvulis.

Juſtítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini ſanctus, pérmanens in séculum séculi: * judícia Dómini vera, juſtificáta in ſemetípſa.

Deſiderabília ſuper aurum & lápidem pretióſum multum; * & dulcióra ſuper mel & favum.

Etenim ſervus tuus cuſtódit ea: * in cuſtodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? * ab occúltis meis munda me, & ab aliénis parce ſervo tuo.

Si meî non fúerint domináti, tunc immaculátus ero, * & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * & meditátio cordis mei in conſpéctu tuo ſemper.

Dómine adjútor meus, * & redémptor meus.

Ant. Tu, Dómine, fecíſti cœlum & terram, & quidquid cœli ámbitu continétur: Dóminus ómnium es. *Eſth.* 13. 10. 11.

Ant. 1. a. Tecum.

PSALMUS 135.

Miſericordia Creatoris & Redemptoris, ob multa in populum ſuum beneficia, celebratur.

× COnfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum; * confitémini Dómino dominórum;

Qui facit mirabília magna ſolus; * qui fecit cœlos in intelléctu;

Qui firmávit terram ſuper aquas; * qui fecit luminária magna;

Solem in poteſtátem diéi, * lunam & ſtellas in poteſtátem noctis; Gloria patri.

= Qui percúſſit Ægýptum * cum primogénitis eórum;

Qui edúxit Iſraël de médio eórum, * in manu poténti, & bráchio excélſo;

Qui divíſit mare rubrum in diviſiónes, * & edúxit Iſraël per médium ejus;

Et excúſſit Pharaónem, & virtútem ejus, * in mari rubro;

Qui tradúxit pópulum ſuum per desértum; * qui percúſſit reges magnos;

Et occídit reges fortes, * Sehon regem Amorrhæórum, & Og regem Baſan:

Et dedit terram eórum hæreditátem, * hæreditátem Iſraël ſervo ſuo:

Quia in humilitáte noſtra memor fuit noſtrî, * & redémit nos ab inimícis noſtris;

× repetitur: quoniam in æternum & in singula asterisco — = repetitur 1us versiculus.

Qui dat eſcam omni carni, * confitémini Deo cœli.

Confitémini Dómino dominórum, * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Ant. Tecum ſapiéntia tua, quæ novit ópera tua, quæ & áffuit tunc, cùm orbem terrárum fáceres. *Sap.* 9. 9.

Ant. 2. D. Tu fecíſti.

Canticum ſequens dicitur tantùm quando Officium fit de Feria. In Feſtis autem Sanctorum, habentur Cantica propria, ſive in Communi Sanctorum. Et ſic aliis diebus.

CANTICUM ANNÆ. 1. *Reg. c.* 2. *v.* 1. *ad* 10.

Supremam Dei poteſtatem laudans, de Eccleſia & Chriſto prophetat.

EXultávit cor meum in Dómino, * & exaltátum eſt cornu meum in Deo meo.

Dilatátum eſt os meum ſuper inimícos meos; * quia lætáta ſum in ſalutári tuo.

Non eſt ſanctus, ut eſt Dóminus; neque enim eſt álius extra te; * & non eſt fortis ſicut Deus noſter.

Nolíte multiplicáre loqui ſublímia, * gloriántes.

Recédant vétera de ore veſtro; * quia Deus ſcientiárum Dóminus eſt, & ipſi præparántur cogitatiónes.

Arcus fórtium ſuperátus eſt; * & infirmi accíncti ſunt róbore.

Repléti priùs, pro pánibus ſe locavérunt; * & famélici ſaturáti ſunt.

Donec ſtérilis péperit plúrimos; * & quæ multos habébat filios, infirmáta eſt.

Dóminus mortíficat & vivíficat, * dedúcit ad ínferos & redúcit.

Dóminus paúperem facit & ditat, * humíliat & súblevat.

Súſcitat de púlvere egénum; * & de ſtércore élevat paúperem,

Ut ſédeat cum princípibus, * & sólium glóriæ téneat.

Dómini enim ſunt cárdines terræ, * & póſuit ſuper eos orbem.

Pedes ſanctórum ſuórum ſervábit, & ímpii in ténebris conticéſcent; * quia non in fortitúdine ſua roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adversárii ejus, * & ſuper ipſos in cœlis tonábit.

Dóminus judicábit fines terræ, * & dabit impérium Regi ſuo, & ſublimábit cornu Chriſti ſui.

Ant. Tu fecíſti Adam de limo terræ; dediſtíque ei adjutórium Hevam. *Tob.* 8. 8.

Ant. 8. c. Sapiéntiâ.

PSALMUS 148.

Omnium creaturarum ad Deum laudandum invitatio.

LAudáte Dóminum de cœlis; * laudáte eum in excélſis:

Laudáte eum, omnes Angeli ejus; * laudáte eum, omnes virtútes ejus:

Laudáte eum, ſol & luna; * laudáte eum, omnes ſtellæ & lumen:

Laudáte eum, cœli cœlórum; * & aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipſe dixit, & facta ſunt: * ipſe mandávit, & creáta ſunt.

Státuit ea in ætérnum, & in ſéculum ſéculi: * præcéptum póſuit, & non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes & omnes abýſſi;

Ignis, grando, nix, glácies, ſpíritus procellárum, * quæ fáciunt verbum ejus.

Montes & omnes colles, * ligna fructífera, & omnes cedri.

Béſtiæ & univérſa pécora, * ſerpéntes & vólucres pennátæ.

Reges terræ, & omnes pópuli, * príncipes, & omnes júdices terræ.

Júvenes & vírgines, ſenes cum junióribus laudent nomen Dómini, * quia exaltátum eſt nomen ejus ſolíus.

Conféſſio ejus ſuper cœlum & terram: * & exaltávit cornu pópuli ſui.

Hymnus ómnibus ſanctis ejus, * fíliis Iſraël, pópulo appropinquánti ſibi.

Ant. Sapiéntiâ tuâ conſtituíſti hóminem, ut dominarétur creatúræ quæ à te facta eſt. Sap. 9. 2.

CAPITULUM. *Iſ. 42. 5. 6.*

HÆc dicit Dóminus Deus, creans cœlos & exténdens eos, firmans terram & quæ gérminant ex ea, dans flatum pópulo qui eſt ſuper eam, & ſpíritum calcántibus eam: Ego Dóminus.

HYMNUS.

DEO loquénte, prótinùs
Fiunt tenébræ, fit dies;
Et ſpléndidæ cœlo faces
Noctem diémque dívidunt.

STAT terra, currunt flúmina,
Quæ fundit imménſum mare.
Velántur aſtra núbibus,
Subſíſtit unda pénſilis.

HERBÆ viréntis tégmine
Veſtíta tellus píngitur:
Lætis onúſtæ frúctibus
Paſſim renídent árbores.

LEVES in imo gúrgite
Repéntè piſces ínnatant:
Ferúntur ad cœlos aves,
Vagántur in ſylvis feræ.

HOMO creátus náſcitur,
Spirans imágo Núminis:
Terréſtre córporis lutum
Cœléſtis afflat ſpíritus.

O NUMEN! ô mundi Pater!
Voléndo quid non éfficis!
Tuæ, Deus, poténtiæ
Mundum creáre ludus eſt.

ORBEM poténter qui creas,

Tibi, Pater, cum Filio,
Almo ſimul cum Spíritu,
Sit ſumma laus in ſécula.
Amen.

℣. Tuus eſt dies, & tua eſt nox : ℟. Tu fabricátus es auróram & ſolem. *Pſ.* 73. 16.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. F. Tu, Dómine, creáſti ómnia, & propter voluntátem tuam erant, & creáta ſunt. *Apoc.* 4. 11.

Suffragia habentur infrà, poſt Completorium Sabbati.

AD PRIMAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus. Jam lucis orto ſídere. *infrà poſt Completorium Sabbati. Et ſic aliis diebus.*

Ant. 7. d. Spécies cœli.

PSALMUS 81.

Diis terræ excelſior Deus, omnium Creator & Judex.

DEus ſtetit in ſynagóga deórum ; * in médio autem deos dijúdicat.

Uſquequò judicátis iniquitátem ; * & fácies peccatórum súmitis ?

Judicáte egéno & pupíllo ; * húmilem & paúperem juſtificáte.

Erípite paúperem, * & egénum de manu peccatóris liberáte.

Neſciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant : * movebúntur ómnia fundaménta terræ.

Ego dixi : Dii eſtis, * & *filii Excélſi omnes.*

Vos autem ſicut hómines moriémini, * & ſicut unus de princípibus cadétis.

Surge, Deus, júdica terram ; * quóniam tu hæreditábis in ómnibus géntibus.

PSALMUS 89.

Inter hujus mundi viciſſitudines & adverſa, ſpes in Deo æterno collocanda.

DOmine, refúgium factus es nobis, * à generatióne in generatiónem.

Priúſquam montes fierent, aut formarétur terra & orbis, * à século & uſque in séculum tu es Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem ; * & dixíſti : Convertímini, filii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tanquam dies heſtérna quæ prætériit, & cuſtódia in nocte.

Quæ pro níhilo habéntur, * eórum anni erunt.

Manè ſicut herba tránſeat ; manè flóreat & tránſeat ; * véſpere décidat, indúret, & aréſcat.

Quia defécimus in ira tua, * & in furóre tuo turbáti ſumus.

Poſuíſti iniquitátes noſtras in conſpéctu tuo, * séculum noſtrum in illuminatióne vultûs tui.

Quóniam omnes dies noſtri defecérunt, * & in ira tua defécimus.

Anni noſtri ſicut aránea meditabúntur : * dies annórum noſtrórum, in ipſis ſeptuagínta anni.

Si autem in potentátibus, octogínta anni; * & ámpliùs eórum, labor & dolor.

Quóniam ſupervénit manſuetúdo, * & corripiémur.

Quis novit poteſtátem iræ tuæ, * & præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam ſic notam fac; * & erudítos corde in ſapiéntia.

Diviſio Pſalmi 89.

CONvértere, Dómine, úſquequò? * & deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos.

Repléti ſumus manè miſericórdiâ tuâ; * & exultávimus, & delectáti ſumus ómnibus diébus noſtris.

Lætáti ſumus pro diébus quibus nos humiliáſti, * annis quibus vídimus mala.

Réſpice in ſervos tuos, & in ópera tua; * & dírige fílios eórum.

Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, * & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrárum dírige.

Ant. Spécies cœli glória ſtellárum; mundum illúminans in excélſis Dóminus. *Eccli.* 43. 10.

CAPITULUM. *Bar.* 3. 32. 33.

PRæparávit terram in ætérno témpore, & replévit eam pecúdibus & quadrupédibus: qui emíttit *lumen*, & vadit; & vocá*vit illud, & óbedit illi in tremóre.*

℞. *breve. Preces, Oratio, &c. habentur infrà, poſt Completorium Sabbati. Et ſic in aliis Feriis.*

AD TERTIAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus. O fons amóris Spíritus. *infrà poſt Completorium Sabbati. Et ſic aliis diebus.*

Ant. 1. a. Creávit.

PSALMUS 73.

Inter hujus mundi calamitates, refugium noſtrum in Deo omnium Creatore.

UT quid, Deus, repulíſti in finem? * irátus eſt furor tuus ſuper oves páſcuæ tuæ?

Memor eſto congregatiónis tuæ, * quam poſſedíſti ab inítio.

Redemíſti virgam hæreditátis tuæ: * mons Sion, in quo habitáſti in eo.

Leva manus tuas in ſupérbias eórum in finem: * quanta malignátus eſt inimícus in ſancto!

Et gloriáti ſunt qui odérunt te, * in médio ſolemnitátis tuæ.

Poſuérunt ſigna ſua, ſigna, & non cognovérunt, * ſicut in éxitu ſuper ſummum.

Quaſi in ſylva lignórum ſecúribus excidérunt jánuas ejus in idípſum; * in ſecúri & áſcia dejecérunt eam.

Incendérunt igni ſanctuárium tuum: * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde ſuo cognátio eórum ſimul : * Quiéſcere faciámus omnes dies feſtos Dei à terra.

Signa noſtra non vídimus ; jam non eſt prophéta ; * & nos non cognóſcet ámpliùs.

Uſquequò, Deus, improperábit inimícus ? * irrítat adversárius nomen tuum in finem ?

Ut quid avértis manum tuam, & déxteram tuam, * de médio ſinu tuo in finem ?

Deus autem rex noſter ante ſécula, * operátus eſt ſalútem in médio terræ.

Diviſio Pſalmi 73.

TU confirmáſti in virtúte tua mare ; * contribuláſti cápita dracónum in aquis.

Tu confregíſti cápita dracónis, * dedíſti eum eſcam pópulis Æthíopum.

Tu dirupíſti fontes & torréntes ; * tu ſiccáſti flúvios Ethan.

Tuus eſt dies, & tua eſt nox ; * tu fabricátus es auróram & ſolem.

Tu fecíſti omnes términos terræ ; * æſtátem & ver tu plaſmáſti ea.

Memor eſto hujus, inimícus improperávit Dómino ; * & pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béſtiis ánimas confiténtes tibi, * & ánimas paúperum tuórum ne obliviſcáris in finem.

*Réſpice in teſtaméntum tuum ; * quia repléti ſunt,* qui obſcuráti ſunt terræ, dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúſus : * pauper & inops laudábunt nomen tuum.

Exúrge, Deus, júdica cauſam tuam ; * memor eſto improperiórum tuórum, eórum quæ ab inſipiénte ſunt totâ die.

Ne obliviſcáris voces inimicórum tuórum : * ſupérbia eórum qui te odérunt, aſcéndit ſemper.

PSALMUS 95.

Super omnes gentes regnat Chriſtus, per quem cæli facti ſunt.

CAntáte Dómino cánticum novum, * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus ; * annuntiáte de die in diem ſalutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus :

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis ; * terríbilis eſt ſuper omnes deos :

Quóniam omnes dii géntium, dæmónia ; * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféſſio & pulchritúdo in conſpéctu ejus : * ſanctimónia & magnificéntia in ſanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam & honórem ; * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóſtias, & introíte in átria ejus; * adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérſa terra; * dícite in géntibus: Quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, & exúltet terra, commoveátur mare, & plenitúdo ejus; * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis ſunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna ſylvárum à fácie Dómini, quia venit, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte,* & pópulos in veritáte ſua.

Ant. Creávit Deus hóminem ad imáginem ſuam. *Gen.* 1. 27.

CAPITULUM. *Sap.* 2. 23.

DEus creávit hóminem inexterminábilem, & ad imáginem ſimilitúdinis ſuæ fecit illum.

℟. *breve.* Delectáſti me, Dómine, * In factúra tua. ℟. Delectáſti. ℣. Et in opéribus mánuum tuárum exultábo. * In factúra. Glória. ℟. Delectáſti. *Pſ.* 91. 5.

℣. Dómine, miſericórdia tua in séculum; ℟. Opera mánuum tuárum ne deſpícias. *Pſ.* 137. 8.

AD SEXTAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus. Jam ſolis áureum jubar. *infrà poſt Completorium Sabbati. Et ſic aliis diebus.*

Ant. 8. G. Diſciplínâ.

PSALMUS 91.

Laudandus Deus, in operibus ſuis magnificus, juſtus in judiciis.

BOnum eſt confitéri Dómino, * & psállere nómini tuo, Altíſſime;

Ad annuntiándum manè miſericórdiam tuam, * & veritátem tuam per noctem.

In decachórdo pſaltério, * cum cántico in cíthara;

Quia delectáſti me, Dómine, in factúra tua, * & in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Diviſio Pſal. 91.

QUàm magnificáta ſunt ópera tua, Dómine! * Nimis profúndæ factæ ſunt cogitatiónes tuæ.

Vir insípiens non cognóſcet, * & ſtultus non intélliget hæc.

Cùm exórti fúerint peccatóres ſicut fœnum, * & apparúerint omnes qui operántur iniquitátem, ut intéreant in séculum séculi:

Tu autem Altíſſimus * in ætérnum, Dómine:

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt; * & diſpergéntur omnes qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur ſicut uni-

Loco ps. Bonum est a — Cæli enarrant &c 31

córnis cornu meum, * & ſenéctus mea in miſericórdia úberi.

Et deſpéxit óculus meus inimícos meos; * & in inſurgéntibus in me malignántibus aúdiet auris mea.

Juſtus ut palma florébit, * ſicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in ſenécta úberi, * & benè patiéntes erunt.

Ut annúntient quóniam rectus Dóminus Deus noſter, * & non eſt iníquitas in eo.

P S A L M U S 96.

Chriſtus Rex, exaltatus ſuper omnes deos, ab Angelis adorandus.

DOminus regnávit, exúltet terra, * læténtur ínſulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus; * juſtítia & judícium corréctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta eſt terra.

Montes ſicut cera fluxérunt à fácie Dómini; * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli juſtítiam ejus, * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant ſculptília, * & qui gloriántur in ſimulácris ſuis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit, & lætáta eſt Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíſſimus ſuper omnem terram: * nimis exaltátus es ſuper omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * cuſtódit Dóminus ánimas ſanctórum ſuórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta eſt juſto, * & rectis corde lætítia.

Lætámini, juſti, in Dómino, * & confitémini memóriæ ſanctificatiónis ejus.

Ant. Diſciplínâ intelléctûs replévit illos, creávit illis ſciéntiam ſpíritûs. *Eccli.* 17. 5. 6.

C A P I T U L U M. *Iſ.* 40. 26.

LEváte in excélſum óculos veſtros, & vidéte quis creávit hæc: qui edúcit in número milítiam eórum, & omnes ex nómine vocat: præ multitúdine fortitúdinis & róboris ejus virtutíſque ejus, neque unum réliquum fuit.

℟. *breve.* Scitóte * Quóniam Dóminus ipſe eſt Deus. ℟. Scitóte. ℣. Ipſe fecit nos, & non ipſi nos. * Quóniam. Glória. ℟. Scitóte. *Pſ.* 99. 3.

℣. Non eſt ſímilis tuî in diis, Dómine; ℟. Et non eſt ſecúndùm ópera tua. *Pſ.* 85. 8.

AD NONAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus. Prono volútus ímpetu. *infrà poſt Completorium Sabbati. Et ſic aliis diebus.*

Ant. 4. a. Vidit Deus.

PSALMUS 102.

Deus ob immenſa in populum ſuum beneficia benedicendus.

BEnedic, ánima mea, Dómino; * & ómnia quæ intra me ſunt, nómini ſancto ejus.

Bénedic, ánima mea, Dómino, * & noli oblivíſci omnes retributiónes ejus;

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; * qui ſanat omnes infirmitátes tuas;

Qui rédimit de intéritu vitam tuam, * qui corónat te in miſericórdia & miſeratiónibus;

Qui replet in bonis deſidérium tuum, * renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

Fáciens miſericórdias Dóminus, * & judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias ſuas Móyſi, * fíliis Iſraël voluntátes ſuas.

Diviſio Pſalmi 102.

MIſerátor & miſéricors Dóminus, * longánimis & multùm miſéricors.

Non in perpétuum iraſcétur, * neque in ætérnum comminábitur.

Non ſecúndùm peccáta noſtra fecit nobis: * neque ſecúndùm iniquitátes noſtras retríbuit nobis:

Quóniam ſecúndùm altitúdinem cœli à terra, * corroborávit miſericórdiã ſuam ſuper timéntes ſe.

Quantùm diſtat ortus ab occidénte, * longè fecit à nobis iniquitátes noſtras.

Altera diviſio Pſal. 102.

QUómodo miſerétur pater filiórum, miſértus eſt Dóminus timéntibus ſe; * quóniam ipſe cognóvit figméntum noſtrum.

Recordátus eſt quóniam pulvis ſumus; * homo, ſicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri ſic efflorébit.

Quóniam ſpíritus pertranſíbit in illo, & non ſubſíſtet; * & non cognóſcet ámpliùs locum ſuum.

Miſericórdia autem Dómini ab ætérno, * & uſque in ætérnũ ſuper timéntes eũ.

Et juſtítia illíus in fílios filiórum, * his qui ſervant teſtaméntum ejus;

Et mémores ſunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndũ ea.

Dóminus in cœlo parávit ſedem ſuam; * & regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem ſermónum ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus, * miníſtri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus, in omni loco

dominatiónis ejus : * bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Vidit Deus cuncta quæ fécerat ; & erant valde bona. *Gen.* 1. 31.

CAPITULUM. *Amos.* 4. 13.

ECce formans montes & creans ventum, & annúntians hómini elóquium ſuum, fáciens matutínam nébulam, & grádiens ſuper excélſa terræ : Dóminus Deus exercítuum nomen ejus.

℞. *breve.* Benedícite Dómino, * Omnia ópera ejus. ℞. Benedícite. ℣. In omni loco dominatiónis ejus. * Omnia. Glória. ℞. Benedícite. *Pſ.* 102. 22.

℣. Generátio & generátio laudábit ópera tua, Dómine; ℞. Et poténtiam tuam pronuntiábunt. *Pſ.* 144. 4.

AD VESPERAS.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. 1. a. Numquid.

PSALMUS 137.

Dei miſericordia & veritas in populum ſuum celebranda.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo ; * quóniam audíſti verba oris mei.

In conſpéctu Angelórum pſallam tibi ; * adorábo ad templum ſanctum tuum ;

Et confitébor nómini tuo ſuper miſericórdia tua & veritáte tua ; * quóniam magnificáſti ſuper *omne*, *nomen ſanctum tuum.*

In quacúmque die invocávero te, exaúdi me ; * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ ; * quia audiérunt ómnia verba oris tui ;

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna eſt glória Dómini ;

Quóniam excélſus Dóminus, & humília réſpicit ; * & alta à longè cognóſcit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis vivificábis me ; * & ſuper iram inimicórum meórum extendíſti manum tuam, & ſalvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : Dómine, miſericórdia tua in séculum ; * ópera mánuum tuárum ne deſpícias.

Ant. Numquid non Pater unus ómnium noſtrûm ? Numquid non Deus unus creávit nos ? *Malach.* 2. 10.

Ant. 7. *d.* In ejus.

PSALMUS 138.

Dei ubique præſentis, & omnia cognoſcentis, mirabilis ſcientia.

DOmine, probáſti me, & cognovíſti me ; * tu cognovíſti ſeſſiónem meã, & reſurrectiónem meam.

Intellexíſti cogitatiónes meas de longè ; * sémitam meam, & funículum meum inveſtigáſti ;

Et omnes vias meas prævidíſti ; * quia non eſt ſermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cogno-

víſti ómnia noviſſima & antíqua; *tu formáſti me & poſuíſti ſuper me manum tuã.

Mirábilis facta eſt ſciéntia tua ex me; * confortáta eſt, & non pótero ad eam.

Quò ibo à ſpíritu tuo? * & quò à fácie tua fúgiam?

Si aſcéndero in cœlum, tu illic es; * ſi deſcéndero in inférnum, ades:

Si súmpſero pennas meas dilúculo, * & habitávero in extrémis maris:

Etenim illuc manus tua dedúcet me, * & tenébit me déxtera tua.

Et dixi: Fórſitan ténebræ conculcábunt me, * & nox illuminátio mea in delíciis meis;

Quia ténebræ non obſcurabúntur à te, & nox ſicut dies illuminábitur; * ſicut ténebræ ejus, ità & lumen ejus.

Quia tu poſſedíſti renes meos; * ſuſcepíſti me de útero matris meæ.

Ant. In ejus manu ánima omnis vivéntis, & ſpíritus univérſæ carnis hóminis. *Job* 12. 10.

Ant. 2. D. Fecit.

Diviſio Pſalmi 138.

CОnfitébor tibi, [Dómine], quia terribíliter magnificátus es: * mirabília ópera tua, & ánima mea cognóſcit nimis.

Non eſt occultátum os meum à te, quod feciſti in occúlto; * & ſubſtántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui; & in libro tuo omnes ſcribéntur; * dies formabúntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti ſunt amíci tui, Deus; * nimis confortátus eſt principátus eórum;

Dinumerábo eos, & ſuper arénam multiplicabúntur: * exurréxi, & adhuc ſum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres; * viri sánguinum, declináte à me.

Quia dícitis in cogitatióne: * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nónne qui odérunt te, Dómine, óderam, * & ſuper inimícos tuos tabeſcébam?

Perfécto ódio óderam illos; * & inimíci facti ſunt mihi.

Proba me, Deus, & ſcito cor meum; * intérroga me, & cognóſce sémitas meas.

Et vide ſi via iniquitátis in me eſt; * & deduc me in via æterna.

Ant. Fecit ex uno omne genus hóminum, inhabitáre ſuper univérſam fáciem terræ. *Act.* 17. 26.

Ant. 5. a Inviſibília.

P S A L M U S 143.

Chriſtus pro populo ſibi ſubdito gratias agit: Eccleſia ſibi opem poſtulat.

BEnedíctus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, * & dígitos meos ad bellum.

Miſericórdia mea, & refugium

fugium meum; * ſuſcéptor meus, & liberátor meus;

Protéctor meus, & in ipſo ſperávi; * qui ſubdit pópulum meum ſub me.

Dómine, quid eſt homo, quia innotuíſti ei? * aut filius hóminis, quia réputas eum?

Homo vanitáti símilis factus eſt; * dies ejus ſicut umbra prætéreunt.

Dómine, inclína cœlos tuos, & deſcénde; * tange montes, & fumigábunt.

Fúlgura coruſcatiónem, & diſſipábis eos; * emítte ſagíttas tuas, & conturbábis eos.

Emítte manum tuam de alto, éripe me, & líbera me de aquis multis, * de manu filiórum alienórum,

Quorum os locútum eſt vanitátem, * & déxtera eórum déxtera iniquitátis.

Ant. Inviſibilia ipsíus, à creatúra mundi, per ea quæ facta ſunt, intelléćta, conſpiciúntur. *Rom.* 1. 20.

Ant. 4. A. In ipſo.

Diviſio Pſalmi 143.

DEus, cánticum novum cantábo tibi, * in pſaltério decachórdo pſallã tibi.

Qui das ſalútem régibus, * qui redemíſti David ſervum tuum de gládio malígno.

Eripe me, & érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum eſt vanitátem; * *& déxtera eórum déxtera iniquitátis:*

Quorum filii ſicut novél-

læ plantatiónes, * in juventúte ſua:

Fíliæ eórum compóſitæ, * circumornátæ ut ſimilitúdo templi:

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud:

Oves eórum fœtóſæ, abundántes in egréſſibus ſuis; * boves eórum craſſæ:

Non eſt ruína macériæ, neque tránſitus, * neque clamor in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum cui hæc ſunt: * beátus pópulus cujus Dóminus Deus ejus.

Ant. In ipſo vívimus, & movémur, & ſumus. *Act.* 17. 28.

CAPITULUM. *Eccle.* 12. 1.

MEménto Creatóris tui, in diébus juventútis tuæ, ántequàm véniat tempus afflictiónis, & appropínquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent.

HYMNUS.

DEo canéntes pſállite:
Quicúmque dulci ſpíritu
Vitális auræ véſcimur,
Omnes per ipſum vívimus.

AUTORIS in laudem ſui
Natúra tota pérſonat.
Servíre, mortáles, Deo
Vos terra, vos cœlum docet.

PARENT jubénti ſídera,
Nubéſque dicunt: Adſumus:
Illíus ad nutum mare

Submíttit undas súpplices.
RERUM Sator, totum tibi
Se debet humánum genus:
Moménta vitæ témperas;
In te movémur & ſumus.
ORBEM poténter qui creas,
Tibi, Pater, cum Fílio,
Almo ſimul cum Spíritu,
Sit ſumma laus in ſécula. Amen.

℣. Tu formáſti me, Dómine; ℟. Et poſuíſti ſuper me manum tuam. *Pſ.* 138. 5.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. *g.* Tibi, Dómine, sérviat omnis creatúra tua, quia dixíſti; & facta ſunt. *Judith.* 16. 17.

Suffragia habentur infrà poſt Completorium Sabbati.

AD COMPLETORIUM.

℣. Convérte nos, Deus ſalutáris noſter; ℟. Et avérte iram tuam à nobis. *Pſ.* 84. 5.

℣. Deus, in adjutórium. *Ant.* 3. c. Stellæ.

PSALMUS 6.

Fidelium inter mundi hujus calamitates gemitus & fiducia.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me; * neque in ira tua corrípias me.

Miſerére meî, Dómine, quóniam infirmus ſum; * ſana me, Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valde: * ſed tu, Dómine, úſquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam; * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam.

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo: * lavábo per síngulas noctes lectum meum; lácrymis meis ſtratum meum rigábo.

Turbátus eſt à furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam; * Dóminus oratiónem meam ſuſcépit.

Erubéſcant, & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei: * convertántur, & erubéſcant valde velóciter.

PSALMUS 7.

Chriſti pro nobis patientis oratio: Gentium fides: Judæorum reprobatio.

DOmine Deus meus, in te ſperávi; * ſalvum me fac ex ómnibus perſequéntibus me, & líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam; * dum non eſt qui rédimat, neque qui ſalvum fáciat.

Dómine Deus meus, ſi feci iſtud; * ſi eſt iníquitas in mánibus meis;

Si réddidi retribuéntibus mihi mala ; * décidam méritò ab inimícis meis inánis ;

Perſequátur inimícus ánimam meam, & comprehéndat, & concúlcet in terra vitam meam ; * & glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exúrge, Dómine, in ira tua ; * & exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exúrge, Dómine Deus meus, in præcépto quod mandáſti ; * & ſynagóga populórum circúmdabit te :

Et propter hanc in altum regrédere ; * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me, Dómine, ſecúndùm juſtítiam meam, * & ſecúndùm innocéntiam meam ſuper me.

Conſumétur nequitia peccatórum, & díriges juſtum ; * ſcrutans corda & renes Deus.

Juſtum adjutórium meũ à Dómino * qui ſalvos facit rectos corde.

Diviſio Pſalmi 7.

DEus judex juſtus, fortis & pátiens ; * numquid iráſcitur per síngulos dies ?

Nisì convérſi fuéritis, gládium ſuum vibrábit : * arcum ſuum teténdit, & parávit illum :

Et in eo parávit vaſa mortis ; * ſagittas ſuas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injuſtítiam ; * concépit dolórem, & péperit *iniquitátem.*

Lacum apéruit, & effódit eum ; * & íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus, in caput ejus ; * & in vérticem ipsíus iníquitas ejus deſcéndet.

Confitébor Dómino ſecúndùm juſtítiam ejus ; * & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

Ant. Stellæ vocátæ ſunt, & dixérunt : Adſumus ; & luxérunt ei cum jucunditáte qui fecit illas. *Bar.* 3. 35.

Hymnus. Grates, peracto jam die, &c. *infrà poſt Completorium Sabbati ; & ſic aliis diebus.*

CAPITULUM. *Eccli.* 32. 17.

SUper his ómnibus benedícito Dóminum, qui fecit te, & inebriántem te ab ómnibus bonis ſuis.

℟. *breve.* In manus. *Habetur infrà poſt Completorium Sabbati ; & ſic aliis diebus.*

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 6. F. Univérſa propter ſemetípſum operátus eſt Dóminus. *Prov.* 16. 4.

Preces & Oratio, ut infrà poſt Completorium Sabbati ; & ſic aliis diebus.

FERIA TERTIA, AD OFFIC. NOCTURN.

Invitatorium. Perpétuam Providéntiam, * Veníte, adorémus. *Sap.* 17. 2.

Pſalmus, Veníte. *p.* 2.

HYMNUS.

ÆTERNE rerum Cónditor
Mundum creas poténtiâ ;
Jugi tuéris cónditum,

Regíſque providéntiâ.

Tu ſpléndidum ſolis jubar,
Curſúſque certos ſíderum,
Idem, movéri néſcius,
Motu perénni témperas.

Hinc vólvitur cœlo dies;
Hinc atra nox fugat diem;
Hinc nos per altérnas vices,
Aut ſomnus, aut labor tenet.

Fecunda rerum ſémina
Subácta tellus éxcipit,
Aptóque miſſus témpore
Cœléſtis imber írrigat.

Hinc flava náſcitur ſeges,
Dulcémque victum ſúfficit:
Sic ſpontè nobis pródigam
Benígnus expándis manum.

Tibi, Pater, cum Fílio,
Almo ſimul cum Spíritu,
Deo perénni, próvido,
Honor, decus, laus, glória. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Puſillum.

Psalmus 61.

Fruſtrà oppugnatur, qui Deo ſubjectus, in ejus tutela manet.

NOnne Deo ſubjécta erit ánima mea? * ab ipſo enim ſalutáre meum.

Nam & ipſe Deus meus, & ſalutáris meus, ſuſcéptor meus; * non movébor ámpliùs.

Quoúſque irrúitis in hó*minem? * interficitis univérſi vos, tanquam parieti inclináto, & macériæ depúlſæ?*

Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere, cucúrri in ſiti: * ore ſuo benedicébant, & corde ſuo maledicébant.

Verúmtamen Deo ſubjécta eſto, ánima mea; * quóniam ab ipſo patiéntia mea.

Quia ipſe Deus meus, & ſalvátor meus; * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo ſalutáre meum & glória mea; * Deus auxílii mei, & ſpes mea in Deo eſt.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda veſtra: * Deus adjútor noſter in ætérnum.

Verúmtamen vani filii hóminum, mendáces filii hóminum in ſtatéris; * ut decípiant ipſi de vanitáte in idípſum.

Nolíte ſperáre in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíſcere: * divítiæ ſi áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus eſt Deus, duo hæc audívi; quia poteſtas Dei eſt; & tibi, Dómine, miſericórdia; * quia tu reddes unicuíque juxta ópera ſua.

Psalmus 79.

Miſeriarum finis per Chriſti adventum expoſtulatur.

QUi regis Iſraël, inténde, * qui dedúcis velut ovem Joſeph:

Qui ſedes ſuper Chérubim, * manifeſtáre coram

Ephraïm, Bénjamin, & Manáſſe.

Excita poténtiam tuam, & veni; * ut ſalvos fácias nos:

Deus, convérte nos; * & oſténde fáciem tuam, & ſalvi érimus.

Dómine Deus virtútũ, * quoúſque iraſcéris ſuper oratiónem ſervi tui?

Cibábis nos pane lacrymárum; * & potum dabis nobis in lácrymis in menſúra?

Poſuíſti nos in contradictiónem vicínis noſtris; * & inimíci noſtri ſubſannavérunt nos.

Deus virtútum, convérte nos; * & oſténde fáciem tuam, & ſalvi érimus.

Diviſio Pſalmi 79.

VIneam de Ægýpto tranſtuliſti, [Dómine]; * ejeciſti gentes, & plantáſti eam.

Dux itíneris fuíſti in conſpéctu ejus; * plantáſti radíces ejus, & implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus, * & arbúſta ejus cedros Dei.

Exténdit pálmites ſuos uſque ad mare, * & uſque ad flumen propágines ejus.

Ut quid deſtruxíſti macériam ejus; * & vindémiant eam omnes qui prætergrediúntur viam?

Exterminávit eam *aper de ſylva, * & ſinguláris ferus depáſtus eſt eam.*

Deus virtútum, convértere; * réſpice de cœlo, & vide, & víſita víneam iſtam;

Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua: * & ſuper fílium hóminis quem confirmáſti tibi:

Incénſa igni, & ſuffóſſa; * ab increpatióne vultûs tui períbunt.

Fiat manus tua ſuper virum déxteræ tuæ, * & ſuper fílium hóminis quem confirmáſti tibi.

Et non diſcédimus à te: * vivificábis nos, & nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum, convérte nos; * & oſténde fáciem tuam; & ſalvi érimus.

Ant. Puſíllum & magnum Deus fecit, & æquáliter cura eſt illi de ómnibus. *Sap.* 6. 8.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 5. a. Attingit.

PSALMUS 104.

Beneficia Iſraëlitico populo collata celebrantur & enumerantur.

COnfitémini Dómino, & invocáte nomen ejus: * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei, & psállite ei; * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine ſancto ejus: * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, & confirmámini; * quærite fáciem ejus ſemper.

Mementóte mirabílium ejus quæ fecit, * prodígia ejus, & judícia oris ejus.

Semen Abraham, ſervi ejus; * filii Jacob, eléćti ejus.

Ipſe Dóminus Deus noſter; * in univérſa terra judícia ejus.

Memor fuit in séculum teſtaménti ſui, * verbi quod mandávit in mille generatiónes,

Quod diſpóſuit ad Abraham, * & juraménti ſui ad Iſaac:

Et ſtátuit illud Jacob in præcéptum, * & Iſraël in teſtaméntum ætérnum,

Dicens: Tibi dabo terram Chánaan, * funículum hæreditátis veſtræ.

Cùm eſſent número brevi, pauciſſimi, * & íncolæ ejus:

Et pertranſiérunt de gente in gentem, * & de regno ad pópulum álterum.

Diviſio Pſalmi 104.

NOn relíquit [Dóminus] hóminem nocére eis, * & corrípuit pro eis reges:

Nolíte tángere chriſtos meos; * & in prophétis meis nolíte malignári:

Et vocávit famem ſuper terram, * & omne firmaméntum panis contrívit:

Miſit ante eos virum; * in ſervum venúmdatus eſt Joſeph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ferrum *pertránſiit ánimam* ejus; * *donec veníret verbum* ejus: *Elóquium Dómini* inflammávit eum; * miſit rex, & ſolvit eum; princeps populórum, & dimíſit eum.

Conſtítuit eum dóminum domûs ſuæ, * & príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ:

Ut erudíret príncipes ejus ſicut ſemetípſum, * & ſenes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Iſraël in Ægýptum; * & Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum ſuum veheménter; * & firmávit eum ſuper inimícos ejus.

Convértit cor eórum ut odírent pópulum ejus, * & dolum fácerent in ſervos ejus.

Miſit Móyſen ſervum ſuum, * Aaron quem elégit ipſum.

Póſuit in eis verba ſignórum ſuórum, * & prodigiórum in terra Cham.

Miſit ténebras & obſcurávit; * & non exacerbávit ſermónes ſuos.

Convértit aquas eórum in ſánguinem; * & occídit piſces eórum.

Edidit terra eórum ranas, * in penetrálibus regum ipſórum.

Dixit: & venit cænomýia & cíniphes, * in ómnibus fínibus eórum.

Póſuit plúvias eórum grándinem; * ignem comburéntem in terra ipſórum.

Et percúſſit víneas eórum, & ficúlneas eórum; *

& contrívit lignum fínium eórum.

Dixit : & venit locúſta & bruchus, * cujus non erat númerus.

Et comédit omne fœnum in terra eórum, * & comédit omnem fructum terræ eórum.

Et percúſſit omne primogénitum in terra eórum, * primítias omnis labóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto & auro ; * & non erat in tribubus eórum infírmus.

Altera diviſio Pſal. 104.

LÆtáta eſt Ægýptus in profectióne eórum ; * quia incúbuit timor eórum ſuper eos.

Expándit nubem in protectiónem eórum, * & ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, & venit cotúrnix, * & pane cœli ſaturávit eos.

Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ ; * abiérunt in ſicco flúmina.

Quóniam memor fuit verbi ſancti ſui, * quod hábuit ad Abraham púerum ſuum :

Et edúxit pópulum ſuum in exultatióne, * & eléctos ſuos in lætítia :

Et dedit illis regiónes géntium ; * & labóres populórum poſſedérunt,

Ut cuſtódiant juſtificatiónes ejus, * & legem ejus requírant.

Ant. Attíngit à fine uſque ad finem fórtiter ; & diſpónit ómnia ſuáviter. *Sap.* 8. 1.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. f. Protéctor eſt.

PSALMUS 105.

Bonitas Dei celebranda.

Iſraëliticus populus peccata ſua agnoſcens & recolens, ſalutem poſcit.

COnfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum miſericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes ejus ?

Beáti qui cuſtódiunt judícium, & fáciunt juſtítiam, * in omni témpore.

Meménto noſtrî, Dómine, in beneplácito pópuli tui ; * víſita nos in ſalutári tuo,

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætándum in lætitia gentis tuæ ; * ut laudéris cum hæreditáte tua.

Peccávimus cum pátribus noſtris, * injúſte égimus, iniquitátem fécimus.

Patres noſtri in Ægýpto non intellexérunt mirabília tua ; * non fuérunt mémores multitúdinis miſericórdiæ tuæ :

Et irritavérunt aſcendéntes in mare, * mare rubrum:

Et ſalvávit eos propter nomen ſuum ; * ut notam fáceret poténtiam ſuam :

Et increpuit mare rubrum, & exſiccátum eſt ; *

& dedúxit eos in abýſſis ſicut in deſérto :
Et ſalvávit eos de manu odiéntium ; * & redémit eos de manu inimíci.
Et opéruit aqua tribulántes eos ; * unus ex eis non remánſit.
Et credidérunt verbis ejus, * & laudavérunt laudem ejus.

Diviſio Pſalmi 105.

CItò fecérunt, oblíti ſunt óperum ejus, * & non ſuſtinuérunt consílium ejus :
Et concupiérunt concupiſcéntiam in deſérto ; * & tentavérunt Deum in inaquóſo :
Et dedit eis petitiónem ipſórum, * & miſit ſaturitátem in ánimas eórum.
Et irritavérunt Móyſen in caſtris, * Aaron ſanctum Dómini.
Apérta eſt terra, & deglutivit Dathan ; * & opéruit ſuper congregatiónem Abíron :
Et exárſit ignis in ſynagóga eórum ; * flamma combúſſit peccatóres.
Et fecérunt vítulum in Horeb, * & adoravérunt ſcúlptile ;
Et mutavérunt glóriam ſuam * in ſimilitúdinem vítuli comedéntis fœnum.
Oblíti ſunt Deum qui ſalvávit eos, * qui fecit magnália in Ægýpto, mirabília in terra Cham, terribília in mari rubro.
Et dixit ut diſpérderet eos, * ſi non Móyſes eléctus ejus ſtetiſſet in confractióne in conſpéctu ejus ;
Ut avérteret iram ejus, * ne diſpérderet eos.
Et pro níhilo habuérunt terram deſiderábilem ; * non credidérunt verbo ejus.
Et murmuravérunt in tabernáculis ſuis ; * non exaudiérunt vocem Dómini.
Et elevávit manum ſuam ſuper eos, * ut proſtérneret eos in deſérto,
Et ut dejíceret ſemen eórum in natiónibus, * & diſpérgeret eos in regiónibus.
Et initiáti ſunt Beélphegor ; * & comedérunt ſacrifícia mortuórum.
Et irritavérunt eum in adinventiónibus ſuis ; * & multiplicáta eſt in eis ruína.
Et ſtetit Phínees, & placávit ; * & ceſsávit quaſsátio.
Et reputátum eſt ei in juſtítiam, * in generatiónem & generatiónem, uſque in ſempitérnum.
Et irritavérunt eum ad aquas contradictiónis ; * & vexátus eſt Móyſes propter eos ;
Quia exacerbavérunt ſpíritum ejus ; * & diſtínxit in lábiis ſuis.

Altera diviſio Pſal. 105.

NOn diſperdidérunt gentes, * quas dixit Dóminus illis.
Et commíxti ſunt inter gentes, & didicérunt ópera eórum, & ſerviérunt ſculptílibus eórum ; * &

factum eſt illis in ſcándalum.

Et immolavérunt filios ſuos * & filias ſuas dæmóniis.

Et effudérunt sánguinem innocéntem, * sánguinem filiórum ſuórum, & filiárum ſuárum quas ſacrificavérunt ſculptílibus Chánaan.

Et inféċta eſt terra in ſanguínibus, & contamináta eſt in opéribus eórum; * & fornicáti ſunt in adinventiónibus ſuis.

Et irátus eſt furóre Dóminus in pópulum ſuum; * & abominátus eſt hæreditátem ſuam.

Et trádidit eos in manus géntium; * & domináti ſunt eórum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, & humiliáti ſunt ſub mánibus eórum: * ſæpè liberávit eos.

Ipſi autem exacerbavérunt eum in consílio ſuo, * & humiliáti ſunt in iniquitátibus ſuis.

Et vidit cùm tribularéntur, * & audívit oratiónem eórum.

Et memor fuit teſtaménti ſui, * & pœnítuit eum ſecúndùm multitúdinem miſericórdiæ ſuæ.

Et dedit eos in miſericórdias, * in conſpéċtu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac, Dómine Deus noſter; * & cóngrega nos de natiónibus: Ut confiteámur nómini ſanċto tuo, * & gloriémur in laude tua.

Benedíċtus Dóminus Deus Iſraël à ſéculo, & uſque in ſéculum: * & dicet omnis pópulus: Fiat, fiat.

Ant. Protéċtor eſt ómnibus exquiréntibus ſe in veritáte. *Eccli.* 2. 13.

℣. Qui hábitat in adjutório Altíſſimi, ℟. In proteċtióne Dei cœli commorábitur. *Pſ.* 90. 1.

Pater noſter, &c. *ut ſuprà.*

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Deus, in te confídit ánima mea, ℟. Et in umbra alárum tuárum ſperábo. *Pſ.* 56. 2.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. 2. D. Non eſt.

Psalmus 106.

Miſericordia Dei in populum ſuum celebranda ſub diverſis emblematibus deſcribitur.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

Dicant qui redémpti ſunt à Dómino, quos redémit de manu inimíci, * & de regiónibus congregávit eos,

A ſolis ortu & occáſu, * ab aquilóne & mari.

Erravérunt in ſolitúdine in inaquóſo, * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

Eſuriéntes & ſitiéntes, *

ánima eórum in ipſis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur; * & de neceſſitátibus eórum erípuit eos.

Et dedúxit eos in viam rectam, * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum:

Quia ſatiávit ánimam inánem, * & ánimam eſuriéntem ſatiávit bonis.

Sedéntes in ténebris & umbra mortis, * vinctos in mendicitáte & ferro,

Quia exacerbavérunt elóquia Dei, * & consílium Altiſſimi irritavérunt;

Et humiliátum eſt in labóribus cor eórum; * infirmáti ſunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur;* & de neceſſitátibus eórum liberávit eos.

Et edúxit eos de ténebris, & umbra mortis; * & víncula eórum diſrúpit.

Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum:

Quia contrívit portas æreas, * & vectes férreos confrégit.

Ant. Non eſt álius Deus quàm tu, Dómine, cui cura eſt de ómnibus. *Sap.* 12. 13.

Ant. 8. G. Díligis.

Diviſio Pſalmi 106.

SUſcépit eos [Dóminus] de via iniquitátis *eórum; *propter* injuſtítias enim ſuas humiliáti ſunt.

Omnem eſcam abomináta eſt ánima eórum, * & appropinquavérunt uſque ad portas mortis.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur;* & de neceſſitátibus eórum liberávit eos.

Miſit verbum ſuum, & ſanávit eos, * & erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum.

Et ſacríficent ſacrificium laudis, * & annúntient ópera ejus in exultatióne.

Qui deſcéndunt mare in návibus, * faciéntes operatiónem in aquis multis,

Ipſi vidérunt ópera Dómini, * & mirabília ejus in profúndo.

Dixit; & ſtetit ſpíritus procéllæ, * & exaltáti ſunt fluctus ejus:

Aſcéndunt uſque ad cœlos, & deſcéndunt uſque ad abýſſos; * ánima eórum in malis tabeſcébat:

Turbáti ſunt, & moti ſunt ſicut ébrius: * & omnis ſapiéntia eórum devoráta eſt.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur;* & de neceſſitátibus eórum edúxit eos:

Et ſtátuit procéllam ejus in auram; * & ſiluérunt fluctus ejus:

Et lætáti ſunt quia ſiluérunt; * & dedúxit eos in portum voluntátis eórum.

Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus filiis hóminum:

Et exáltent eum in ecclésia plebis, * & in cáthedra ſeniórum laudent eum.

Ant. Díligis ómnia quæ ſunt, & nihil odíſti eórum quæ fecíſti. *Sap.* 11. 25.

Ant. 6. F. Quómodo.

Altera diviſio Pſal. 106.

POſuit [Dóminus] flúmina in desértum; * & éxitus aquárum in ſitim;

Terram fructíferam in ſalsúginem, * à malítia inhabitántium in ea.

Póſuit desértum in ſtagna aquárum, * & terram ſinè aqua in éxitus aquárum;

Et collocávit illic eſuriéntes; * & conſtituérunt civitátem habitatiónis;

Et ſeminavérunt agros, & plantavérunt víneas; * & fecérunt fructum nativitátis.

Et benedíxit eis, & multiplicáti ſunt nimis; * & juménta eórum non minorávit.

Et pauci facti ſunt, * & vexáti ſunt à tribulatióne malórum, & dolóre.

Effúſa eſt contémptio ſuper príncipes; * & erráre fecit eos in ínvio, & non in via:

Et adjúvit paúperem de inópia, * & póſuit ſicut oves famílias.

Vidébunt recti, & lætabúntur; * & omnis iníquitas oppilábit os ſuum.

Quis ſápiens, & cuſtódiet hæc? * & intélliget miſericórdias Dómini?

Ant. Quómodo poſſet áliquid permanére, nisì tu voluíſſes? aut quod à te vocátum non eſſet, conſervarétur? *Sap.* 11. 26.

Ant. 1. f. Tua.

CANTICUM MOYSI PRIMUM. *Exod. c.* 15. *v.* 1. *ad* 19.

Iſraël ab inimicis ſuis liberatus, Deo gratias agit.

CAntémus Dómino, glorióse enim magnificátus eſt, * equum & aſcensórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus; * & factus eſt mihi in ſalútem.

Iſte Deus meus, & glorificábo eum; * Deus patris mei, & exaltábo eum.

Dóminus quaſi vir pugnátor, omnípotens nomen ejus; * currus Pharaónis, & exércitum ejus projécit in mare:

Elécti príncipes ejus ſubmérſi ſunt in mari rubro, abýſſi operuérunt eos, * deſcendérunt in profúndum quaſi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta eſt in fortitúdine; déxtera tua, Dómine, percúſſit inimícum; * & in multitúdine glóriæ tuæ depoſuíſti adversários tuos.

Miſíſti iram tuam quæ devorávit eos ſicut ſtípulam; * & in ſpíritu furóris tui congregátæ ſunt aquæ.

Stetit unda fluens; * congregátæ ſunt abýſſi in medio mari.

Dixit inimícus: Perſe-

quar, & comprehéndam, * dividam ſpólia, implébitur ánima mea.

Evaginábo gládiũ meũ, * interficiet eos manus mea.

Flavit ſpíritus tuus, & opéruit eos mare; * ſubmérſi ſunt quaſi plumbum in aquis veheméntibus.

Quis símilis tuî in fórtibus, Dómine? * quis símilis tuî, magníficus in ſanctitáte, terríbilis, atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendiſti manum tuam, * & devorávit eos terra.

Dux fuiſti in misericórdia tua * pópulo quem redemíſti;

Et portáſti eum in fortitúdine tua, * ad habitáculum ſanctum tuum.

Aſcendérunt pópuli, & iráti ſunt; * dolóres obtinuérunt habitatóres Philíſthiim.

Tunc conturbáti ſunt príncipes Edom, robúſtos Moab obtinuit tremor; * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat ſuper eos formído & pavor, * in magnitúdine bráchii tui:

Fiant immóbiles quaſi lapis, donec pertránſeat pópulus tuus, Dómine, * donec pertránſeat pópulus tuus iſte, quem poſſedíſti.

Introdúces eos, & plantábis *in monte* hæreditátis *tuæ, * firmíſſimo* habitá*culo tuo*, *quod* operátus *es, Dómine:*

Sanctuárium tuum, Dómine, * quod firmavérunt manus tuæ.

Dóminus regnábit, * in ætérnum & ultrà.

Ingréſſus eſt enim eques Phárao cum cúrribus & equítibus ejus in mare; * & redúxit ſuper eos Dóminus aquas maris:

Filii autem Iſraël ambulavérunt per ſiccum, * in médio ejus.

Ant. Tua, Pater, providéntia gubérnat. *Sap.* 14. 3.

Ant. 3 *à.* Omnia.

PSALMUS 134.

Deus ob univerſa in populum ſuum beneficia laudandus. Idolorum vanitas.

LAudáte nomen Dómini; * laudáte, ſervi, Dóminum.

Qui ſtátis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus; * psállite nómini ejus, quóniam ſuáve:

Quóniam Jacob elégit ſibi Dóminus, * Iſraël in poſſeſſiónem ſibi.

Quia ego cognóvi, quòd magnus eſt Dóminus, * & Deus noſter præ ómnibus diis.

Omnia quæcúmque vóluit, Dóminus fecit, * in cœlo & in terra, in mari & in ómnibus abýſſis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fulgura in plúviam fecit;

Qui prodúcit ventos de

theſáuris ſuis; * qui percúſſit primogénita Ægýpti ab hómine uſque ad pecus.

Et miſit ſigna & prodigia in médio tuî, Ægýpte; * in Pharaónem, & in omnes ſervos ejus.

Qui percúſſit gentes multas; * & occídit reges fortes,

Sehon regem Amorrhæórum, & Og regem Baſan, * & ómnia regna Chánaan:

Et dedit terram eórum hæreditátem, * hæreditátem Iſraël pópulo ſuo.

Dómine, nomen tuum in ætérnum; * Dómine, memoriále tuum in generatiónem & generatiónem;

Quia judicábit Dóminus pópulum ſuum, * & in ſervis ſuis deprecábitur.

Simulácra géntium argéntum & aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, & non loquéntur; * óculos habent, & non vidébunt;

Aures habent, & non aúdient; * neque enim eſt ſpíritus in ore ipsórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Iſraël, benedícite Dómino; * domus Aaron, benedícite Dómino.

Domus Levi, benedícite Dómino; * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

*Benedíctus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jeruſalem.*

Ant. Omnia in menſúra, & número, & póndere, diſpoſuiſti. *Sap.* 11. 21.

CAPITULUM. *Philipp.* 4. 6.

NIhil ſollíciti ſitis: ſed in omni oratióne, & obſecratióne, cum gratiárum actióne, petitiónes veſtræ innotéſcant apud Deum.

HYMNUS.

NON cæca ſors mundum regit,
Nec verſat humánas vices;
Has lege certâ ónderat
Inténtus è cœlo Deus.

HIC dat mori, dat vívere:
Hic ſceptra Regum dírigit:
Pacíſque ſolus árbiter,
Aut bella ſedat, aut movet.

HIC ímpios ultrò ſinit
Caput ſupérbum tóllere;
Sed imminéntem vértici
Cladem ſceléſto prǽparat.

HIC paúperi tendens manum,
Humi jacéntem súblevat;
Tactus poténti dexterâ,
Dum dives ex alto ruit.

SEU te ſecúnda ſors beat,
Advérſa ſeu te déprimit,
Diſpénſat advérſam Deus,
Idémque mittit próſperam.

TIBI, Pater cum Filio,
Almo ſimul cum Spíritu,
Deo perénni, próvido,
Honor, decus, laus, glória. Amen.

℣. Ecce óculi Dómini ſuper metuéntes eum, ℟. Et in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus. Pſ. 32. 18.

Ad Benedictus, Ant. 6. T. O quàm bonus, & ſuáv

eſt, Dómine, ſpíritus tuus in ómnibus! *Sap.* 12. 1.

Suffragia habentur infrà poſt Completorium Sabbati.

AD PRIMAM.

Ant. 8. *g.* Cogitatiónes.

PSALMUS 9.

Eccleſia pro victoriis jam reportatis grates reddit, pro reportandis opem poſcit.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor & exultábo in te; * pſallam nómini tuo, Altíſſime.

In convertendo inimícum meum retrórsùm, * infirmabúntur, & peribunt à fácie tua.

Quóniam fecíſti judícium meum & cauſam meam: * ſedíſti ſuper thronum, qui júdicas juſtítiam.

Increpáſti gentes, & périit ímpius: * nomen eórum deléſti in ætérnum, & in séculum séculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem; * & civitátes eórum deſtruxíſti.

Périit memória eórum cum sónitu; * & Dóminus in ætérnum pérmanet.

Parávit in judício thronũ ſuum; * & ipſe judicábit orbem terræ in æquitáte, judicábit pópulos in juſtítia.

Et factus eſt Dóminus refúgium paúperi, * adjútor in opportunitátibus, in tribulátione.

Et ſperent in te, qui novérunt nomen tuum; * quóniam non dereliquíſti quæréntes te, Dómine.

Psállite Dómino qui hábitat in Sion; * annuntiáte inter gentes ſtúdia ejus.

Quóniam requírens sánguinem, eórum recordátus eſt; * non eſt oblítus clamórem paúperum.

Diviſio Pſalmi 9.

MIſerére meî, Dómine: * vide humilitátem meam de inimícis meis,

Qui exáltas me de portis mortis, * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis filiæ Sion.

Exultábo in ſalutári tuo: * infixæ ſunt gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo iſto quem abſcondérunt, * comprehénſus eſt pes eórum.

Cognoſcétur Dóminus judícia fáciens: * in opéribus mánuum ſuárum comprehénſus eſt peccátor.

Convertántur peccatóres in inférnum, * omnes gentes quæ obliviſcúntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit paúperis; * patiéntia paúperum non períbit in finem.

Exúrge, Dómine, non confortétur homo; * judicéntur gentes in conſpéctu tuo.

Conſtítue, Dómine, legiſlatórem ſuper eos; * ut ſciant gentes quóniam hómines ſunt.

Altera diviſio Pſalmi 9.
[*Secundùm Heb. Pſ.* 10.]

UT quid, Dómine, receſsíſti longè? * déſpicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum ſupérbit ímpius, incénditur pauper: * comprehendúntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in deſidériis ánimæ ſuæ; * & iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor, * ſecúndùm multitúdinem iræ ſuæ non quæret.

Non eſt Deus in conſpéctu ejus: * inquinátæ ſunt viæ illíus in omni témpore.

Auferúntur judícia tua à fácie ejus: * ómnium inimicórum ſuórum dominábitur.

Dixit enim in corde ſuo: * Non movébor à generatióne in generatiónem ſinè malo.

Cujus maledictióne os plenum eſt, & amaritúdine & dolo: * ſub lingua ejus labor & dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occúltis; * ut interficiat innocéntem.

Oculi ejus in paúperem reſpíciunt: * inſidiátur in abſcóndito, quaſi leo in ſpelúnca ſua;

Inſidiátur ut rápiat paúperem; * rápere paúperem dum áttrahit eum.

*In láqueo ſuo humiliábit eum; * inclinábit ſe, & cadet cùm dominátus fúerit* paúperum.

Dixit enim in corde ſuo: Oblítus eſt Deus: * avértit fáciem ſuam ne vídeat in finem.

Exúrge, Dómine Deus, exaltétur manus tua: * ne obliviſcáris paúperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde ſuo: Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem & dolorẽ consíderas, * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus eſt pauper: * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris & malígni: * quærétur peccátum illíus, & non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætérnum, & in séculum séculi: * períbitis, gentes, de terra illíus.

Deſidérium paúperum exaudívit Dóminus: * præparatiónem cordis eórum audívit auris tua.

Judicáre pupíllo & húmili, * ut non appónat ultrà magnificáre ſe homo ſuper terram.

Ant. Cogitatiónes mortálium tímidæ, & incértæ providéntiæ noſtræ. *Sap.* 9. 14.

CAPITULUM. *Eccli.* 2. 11.

REſpícite, filii, natiónes hóminum, & ſcitóte quia nullus ſperávit in Dómino, & confuſus eſt.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Pater.

PSALMUS 5.

Eccleſia à Deo ſummè juſto adversùs iniquos opem petit.

VErba mea aúribus pércipe, Dómine; * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, & Deus meus.

Quóniam ad te orábo; * Dómine, manè exaúdies vocem meam.

Manè aſtábo tibi, & vidébo, * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus, * neque permanébunt injúſti ante óculos tuos.

Odíſti omnes qui operántur iniquitátem; * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolóſum * abominábitur Dóminus.

Ego autem in multitúdine miſericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam, * adorábo ad templum ſanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in juſtítia tua, propter inimícos meos: * dírige in conſpéctu tuo viam meam.

Quóniam non eſt in ore eórum véritas; * cor eórum vanum eſt.

Sepúlcrum patens eſt gutur eórum, linguis ſuis dolóſè agébant: * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus ſuis, * ſecúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos, quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes qui ſperant in te; * in ætérnum exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum; * quóniam tu benedíces juſto.

Dómine, ut ſcuto bonæ voluntátis tuæ, * coronáſti nos.

PSALMUS 33.

Deus ſemper benedicendus: non eſt inopia timentibus eum.

BEnedícam Dóminum in omni témpore; * ſemper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea; * aúdiant manſuéti, & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum, * & exaltémus nomen ejus in idípſum.

Exquiſívi Dóminum, & exaudívit me: * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illumináMini; * & fácies veſtræ non confundéntur.

Iſte pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum, * & de ómnibus tribulatiónibus ejus ſalvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, * & erípiet eos.

Guſtáte, & vidéte quóniam ſuávis eſt Dóminus: *

beátus vir qui ſperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes ſancti ejus; * quóniam non eſt inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & eſuriérunt; * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Diviſio Pſalmi 33.

VEníte, fílii, audíte me: * timórem Dómini docébo vos.

Quis eſt homo qui vult vitam, * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo, * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & perséquere eam.

Oculi Dómini ſuper juſtos; * & aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini ſuper faciéntes mala; * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt juſti, & Dóminus exaudívit eos; * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxtà eſt Dóminus iis qui tribuláto ſunt corde; * & húmiles ſpíritu ſalvábit.

Multæ tribulatiónes juſtórum, * & de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Cuſtódit Dóminus ómnia oſſa eórum; * unum ex his non conterétur.

Mors *peccatórum péſſima: * & qui odérunt juſtum, delínquent.*

Rédimet Dóminus ánimas ſervórum ſuórum; * & non delínquent omnes qui ſperant in eo.

Ant. Pater, panem noſtrum quotidiánum da nobis hódie. *Luc.* 11. 3.

CAPITULUM. 1. *Petr.* 5. 6. 7.

HUmiliámini ſub poténti manu Dei, ut vos exáltet in témpore viſitatiónis; omnem ſollicitúdinem veſtram projiciéntes in eum, quóniam ipſi cura eſt de vobis.

℟. *breve.* Dóminus regit me, * Et nihil mihi déerit. ℟. Dóminus. ℣. In loco páſcuæ ibi me collocávit. * Et nihil. Glória. ℟. Dóminus. *Pſ.* 22. 1. 2.

℣. Dat eſcam omni carni, ℟. Quóniam in ætérnum miſericórdia ejus. *Pſ.* 135. 25.

AD SEXTAM.

Ant. 3. b. Deus.

PSALMUS 56.

Chriſti pro nobis patientis oratio: Reſurrectio & Aſcenſio ejus prænuntiantur.

MIſerére meî, Deus, miſerére meî; * quóniam in te confídit ánima mea;

Et in umbra alárum tuárum ſperábo, * donec tránſeat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíſſimum, * Deum qui benefécit mihi.

Miſit de cœlo, & liberávit me; * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Miſit Deus miſericórdiam ſuam & veritátem ſuam; * & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum ; dormívi conturbátus.

Filii hóminum, dentes eórum arma & ſagíttæ, * & lingua eórũ gládius acútus.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus ; * & in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis, * & incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam, * & incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum; * cantábo & pſalmum dicam.

Exúrge, glória mea ; exúrge, pſaltérium & cíthara ; * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & pſalmum dicam tibi in géntibus.

Quóniam magnificáta eſt uſque ad cœlos miſericórdia tua, * & uſque ad nubes véritas tua.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus, * & ſuper omnem terram glória tua.

P S A L M U S 93.

Eccleſia inter hujus mundi procellas, auxilium petit à Deo ſuperborum everſore.

Deus ultiónum Dóminus, * Deus ultiónum líberè egit.

*Exaltáre, qui júdicas terram, * redde retributiónem ſupérbis.*

Uſquequò peccatóres, Dómine, * úſquequò peccatóres gloriabúntur ?

Effabúntur & loquéntur iniquitátem, * loquéntur omnes qui operántur injuſtítiam ?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt ; * & hæreditátem tuam vexavérunt :

Víduam & ádvenam interfecérunt, * & pupíllos occidérunt :

Et dixérunt : Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite, inſipiéntes in pópulo ; * & ſtulti, aliquándo ſápite.

Qui plantávit aurem, non aúdiet ? * aut qui finxit óculum, non conſíderat ?

Qui córripit gentes, non árguet ? * qui docet hóminem ſciéntiam ?

Dóminus ſcit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ ſunt.

Diviſio Pſalmi 93.

Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine, * & de lege tua docúeris eum ;

Ut mitíges ei à diébus malis, * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem ſuam, * & hæreditátem ſuam non derelínquet.

Quoadúſque juſtítia convertátur in judícium ; * & qui juxta illam, omnes qui recto ſunt corde.

Quis consúrget mihi ad-

vérsùs malignántes ? * aut quis ſtabit mecum advérsùs operántes iniquitátem ?

Nisi quia Dóminus adjúvit me, * paulò minùs habitáſſet in inférno ánima mea.

Si dicébam : Motus eſt pes meus ; * miſericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secúndùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo, * conſolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi ſedes iniquitátis, * qui fingis labórem in præcépto ?

Captábunt in ánimam juſti ; * & sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus eſt mihi Dóminus in refúgium, * & Deus meus in adjutórium ſpei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum ; & in malítia eórum diſpérdet eos ; * diſpérdet illos Dóminus Deus noſter.

Ant. Deus dat ómnibus vitam, & inſpiratiónem, & ómnia. *Act.* 17. 25.

CAPITULUM. *Eccle.* 5. 5.

NE dicas coram Angelo : Non eſt providéntia ; ne fortè irátus Deus contra ſermónes tuos, diſſipet cuncta ópera mánuum tuárum.

℟. *breve.* Cantáte Dómino, * Et psállite ei. ℟. Cantáte. ℣. Narráte ómnia *mirabília ejus.* * *Et. Glória.* ℟. *Cantáte. Pſ.* 104. 2.

℣. *Aperiénte te manum* tuam, Dómine, ℟. Omnia implebúntur bonitáte. *Pſ.* 103. 28.

AD NONAM.

Ant. 7. d. Non eſt.

PSALMUS 43.

Eccleſia priora in ſe Dei beneficia recolens, poſterioráque exponens mala, opem ſibi à Deo poſcit.

DEus, aúribus noſtris audívimus, patres noſtri annuntiavérunt nobis opus, * quod operátus es in diébus eórum, & in diébus antíquis.

Manus tua gentes diſpérdidit, & plantáſti eos : * afflixíſti pópulos, & expulíſti eos.

Nec enim in gládio ſuo poſſedérunt terram, * & bráchium eórum non ſalvávit eos :

Sed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui ; * quóniam complacuíſti in eis.

Tu es ipſe Rex meus, & Deus meus, * qui mandas ſalútes Jacob.

In te inimícos noſtros ventilábimus cornu, * & in nómine tuo ſpernémus inſurgéntes in nobis.

Non enim in arcu meo ſperábo ; * & gládius meus non ſalvábit me.

Salváſti enim nos de affligéntibus nos, * & odiéntes nos confudíſti.

Diviſio Pſalmi 43.

IN Deo laudábimur totâ die ; * & in nómine tuo confitébimur in séculum.

Nunc autem repulíſti, & confudiſti nos; * & non egrediéris, Deus, in virtútibus noſtris.

Avertíſti nos retrórsùm poſt inimícos noſtros; * & qui odérunt nos, diripiébant ſibi.

Dedíſti nos tanquam oves eſcárum; * & in géntibus diſpersíſti nos.

Vendidíſti pópulum tuum ſinè prétio; * & non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Poſuíſti nos oppróbrium vicínis noſtris; * ſubſannatiónem & deríſum his qui ſunt in circúitu noſtro.

Poſuíſti nos in ſimilitúdinem géntibus, * commotiónem cápitis in pópulis

Totâ die verecúndia mea contra me eſt, * & confúſio faciéi meæ coopéruit me.

A voce exprobrántis & obloquéntis, * à fácie inimíci & perſequéntis.

Hæc ómnia venérunt ſuper nos, nec oblíti ſumus te; * & iníquè non égimus in teſtaménto tuo:

Et non recéſſit retrò cor noſtrum, * & declináſti sémitas noſtras à via tua.

Quóniam humiliáſti nos in loco afflictiónis; * & coopéruit nos umbra mortis.

Altera diviſio Pſal. 43.

SI oblíti ſumus nomen Dei noſtri, * & ſi expándimus manus noſtras ad deum aliénum,

Nónne Deus requíret iſta? * ipſe enim novit abſcóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur totâ die, * æſtimáti ſumus ſicut oves occiſiónis.

Exúrge, quare obdórmis, Dómine? * exúrge, & ne repéllas in finem.

Quare fáciem tuam avértis? * oblivíſceris inópiæ noſtræ, & tribulatiónis noſtræ?

Quóniam humiliáta eſt in púlvere ánima noſtra, * conglutinátus eſt in terra venter noſter.

Exúrge, Dómine, ádjuva nos, * & rédime nos propter nomen tuum.

Ant. Non eſt ſapiéntia, non eſt prudéntia, non eſt consílium contra Dóminum. *Prov.* 21. 30.

CAPITULUM. *Job.* 12. 13.

APud ipſum eſt ſapiéntia & fortitúdo: ipſe habet consílium & intelligéntiam.

℟. *breve.* Quò ibo * A ſpíritu tuo, Dómine? ℟. Quò ibo. ℣. Et quò à fácie tua fúgiam? * A ſpíritu. Glória. ℟. Quò ibo. *Pſ.* 138. 7.

℣. Sémitam meam & funículum meum inveſtigáſti; ℟. Et omnes vias meas prævidíſti *Pſ.* 138. 3. 4.

AD VESPERAS.

Ant. 4. a. Deus.

PSALMUS 119.

Eccleſia vitæ præſentis mala luget.

AD Dóminum, cùm tribulárer, clamávi; * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam

meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolóſa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi, * ad linguam dolóſam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cũ carbónibus deſolatóriis.

Heu mihi! quia incolátus meus prolongátus eſt; habitávi cum habitántibus Cedar; * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus; * cùm loquébar illis, impugnábant me gratìs.

Ant. Deus nos liberávit, & vocávit vocatióne ſuâ ſanctâ. 2. *Tim.* 1. 9.

Ant. 8. G. Grátia.

P S A L M U S 120.

Dominus cuſtos Eccleſiæ ſuæ.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino,* qui fecit cœlũ & terrã.

Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dormitet qui cuſtódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui cuſtódit Iſraël.

Dóminus cuſtódit te; Dóminus protéctio tua,*ſuper manum déxteram tuam.

Per diem ſol non uret te, * neque luna per noctẽ.

Dóminus cuſtódit te ab omni malo; * cuſtódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus cuſtódiat introitum tuum, & éxitum tuum, * ex hoc, nunc, & uſque *in séculum.*

Ant. Grátia data eſt nobis in Chriſto Jeſu, ante témpora ſeculária. 2. *Tim.* 1. 9.

Ant. 2. D. Habémus.

P S A L M U S 123.

Eccleſiæ à periculis ereptæ gratiarum actio.

NIſi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Iſraël, * niſi quia Dóminus erat in nobis.

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutiſſent nos.

Cùm iraſcerétur furor eórum in nos, * fórſitan aqua abſorbuiſſet nos.

Torréntem pertranſívit ánima noſtra; * fórſitan pertranſíſſet ánima noſtra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima noſtra, ſicut paſſer, erépta eſt * de láqueo venántium;

Láqueus contrítus eſt, * & nos liberáti ſumus.

Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum & terram.

Ant. Habémus theſaúrum iſtum in vaſis fictílibus; ut ſublímitas ſit virtútis Dei, & non ex nobis. 2. *Cor.* 4. 7.

Ant. 3. *à.* Ait Deus.

P S A L M U S 124.

Fidelium Deus ipſe tutela. Iniqui perituri.

QUi confídunt in Dómino, ſicut mons Sion; * non commovébitur in ætérnum qui hábitat in Jeruſalẽ.

Montes in circúitu ejus, * & Dóminus in circúitu pópuli ſui, ex hoc, nunc, & uſque in ſéculum.

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatórum ſuper ſortem juſtórum; * ut non exténdant juſti ad iniquitátem manus ſuas.

Bénefac, Dómine, bonis, * & rectis corde.

Declinántes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem: * pax ſuper Iſraël.

Ant. Ait Deus: Témpore accépto exaudívi te, & in die ſalútis adjúvi te. 2. *Cor.* 6. 2.

Ant. 7. *d.* Omnes.

PSALMUS 126.

Vani labores hominum quibus Deus non opitulatur.

NIsì Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisì Dóminus cuſtodíerit civitátem, * fruſtrà vígilat qui cuſtódit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem súrgere: * súrgite poſtquàm ſedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis ſuis ſomnum, * ecce hæréditas Dómini, filii, merces, fructus ventris.

Sicut ſagíttæ in manu poténtis, * ità filii excuſſórum.

*Beátus vir qui implévit deſidérium ſuum ex ipſis; * non confundétur cùm loquétur inimícis ſuis in porta.*

Ant. Omnes hómines vult Deus ſalvos fieri, & ad agnitiónem veritátis veníre. 1. *Tim.* 2. 4.

CAPITULUM 1. *Petr.* 1. 13. 14.

SUccíncti lumbos mentis veſtræ, sóbrii, perféctè ſperáte in eam quæ offértur vobis grátiam, in revelatiónem Jeſu Chriſti, quaſi filii obediéntiæ, non configuráti prióribus ignorántiæ veſtræ deſidériis.

HYMNUS.

SUPERBA gens mortálium,
Faſtu profáno quid tumes?
Quodcúmque rectum pérficis,
Dei favéntis munus eſt.

NIL víribus debes tuis:
Ni, fons ſalútis, grátia
Tuos labóres próvehat,
Nil vana virtus éfficit.

DAT velle, dat rectum ſequi.
Dat ipſe quod jubet Deus:
Dum nos corónat, & ſua
Simul corónat múnera.

POSCAMUS ergo súpplices
Cœléſte donum grátiæ:
Nec, ſpontè quod præbet Deus,
Rebélle pectus réſpuat.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Sit par tibi laus, Spíritus:
De corde noſtro fac tuæ
Virtus triúmphet grátiæ.
Amen.

℣. Quid eſt homo, Dómine, quòd memor es ejus?
℟. Aut filius hóminis, quò-

niam viſitas eum? *Pſ.* 8. 5.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. a. Deus, qui dives eſt in miſericórdia, propter nímiam caritátem ſuam quâ diléxit nos, & cùm eſsémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Chriſto. *Eph.* 2. 4. 5.

Suffragia habentur infrà poſt Completorium Sabbati.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 3. *a.* Ipſe.

PSALMUS 10.

Anima in Deo confidentis ſecuritas.

IN Dómino confído: * quómodo dícitis ánimæ meæ; Tránſmigra in montem ſicut paſſer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt ſagíttas ſuas in pháretra; * ut ſagíttent in obſcúro rectos corde.

Quóniam quæ perfeciſti, deſtruxérunt: * juſtus autem quid fecit?

Dóminus in templo ſancto ſuo, * Dóminus in cœlo ſedes ejus:

Oculi ejus in paúperem reſpíciunt; * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat juſtum & ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam ſuam.

Pluet ſuper peccatóres láqueos: * ignis, & ſulphur, & ſpíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam *juſtus Dóminus, & juſtítias diléxit:* * *æquitátem vidit vultus ejus.*

PSALMUS 11.

Juſtorum paucitas. Eloquiorum Domini laus.

SAlvum me fac, Dómine, quóniam defécit ſanctus, * quóniam diminútæ ſunt veritátes à filiis hóminum.

Vana locúti ſunt unuſquíſque ad próximum ſuũ; * lábia dolóſa, in corde & corde locúti ſunt.

Diſpérdat Dóminus univérſa lábia dolóſa, * & linguam magníloquam.

Qui dixérunt: Linguam noſtram magnificábimus, lábia noſtra à nobis ſunt; * quis noſter Dóminus eſt?

Propter miſériam ínopum, & gémitum paúperum, * nunc exúrgam, dicit Dóminus.

Ponam in ſalutári; * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia caſta; * argéntum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplùm.

Tu, Dómine, ſervábis nos; * & cuſtódies nos à generatióne hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant: * ſecúndùm altitúdinem tuam multiplicáſti fílios hóminum.

PSALMUS 12.

Anima fidelis in tribulatione ad Deum deprecatio.

USquequò, Dómine, oblivíſcéris me in finem? * úſquequò avértis fáciem tuam à me?

Quándiu ponam consília in ánima mea, * dolo-

rem in corde meo per diem?

Uſquequò exaltábitur inimícus meus ſuper me? * réſpice, & exaúdi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte: * nequándo dicat inimícus meus: Præválui advérsus eum.

Qui tríbulant me, exultábunt ſi motus fúero; * ego autem in miſericórdia tua ſperávi.

Exultábit cor meum in ſalutári tuo: * cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

Ant. Ipſe Spíritus teſtimónium reddit ſpirítui noſtro, quòd ſumus filii Dei. *Rom.* 8. 16.

Hymnus. Grates, peráćto jam die. *infrà.*

CAPITULUM. 1. *Petr.* 5. 8. 9.

SObrii eſtóte & vigiláte; quia adversárius veſter diábolus tanquam leo rúgiens circuit, quærens quem dévoret; cui resiſtite fortes in fide.

℟. *brev.* In manus. *infrà.*

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 5. a. Grátia Dei vita ætérna, in Chriſto Jeſu Dómino noſtro. *Rom.* 6. 23.

Preces & Oratio, infrà.

FERIA QUARTA,
AD OFFIC. NOCTURN.

Invitatorium. Unum Legiſlatórem Dóminum, * *Veníte, adorémus. Jac.* 4. 12.

Pſalmus, Veníte. *p.* 2.

HYMNUS.

DE montis alto cúlmine,
Clangunt tubæ, fulmen micat,
Ignes corúſcant fúlgurum,
Numénque præſens núntiant.

VOCEM Tonántis árbitram
Arrécta tellus aúdiat;
Legem veréndi Núminis,
Orbis, tremíſcens áccipe.

QUI jura preſcripſit polo,
Aſtríſque ſignávit viam,
Fluctus maris qui témperat,
Hic juſſa dat mortálibus.

HUIC terra, pontus, sídera,
Cultu perénni sérviunt.
An ſola gens mortálium
Cultum rebéllis ábnuat?

PRÆSTA, beáta Trínitas,
Ut, legis ad facem tuæ,
Vitémus omne quod vetas,
Sectemur omne quod jubes.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. D. Deus.

PSALMUS 36.

Lex Dei perſeveranter ſervanda. Bonorum & malorum quàm diſpar ſtatus & exitus.

NOli æmulári in malignántibus, * neque zeláveris faciéntes iniquitátem:

Quóniam tanquam fœnum velóciter aréſcent; * & quemádmodum ólera herbárum citò décident.

Spera in Dómino, & fac bonitátem; * & inhábita terram,

terram, & paſcéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino; * & dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam, & ſpera in eo; * & ipſe fáciet.

Et edúcet quaſi lumen juſtítiam tuam, * & judícium tuum tanquam merídiem.

Súbditus eſto Dómino, * & ora eum.

Noli æmulári in eo qui proſperátur in via ſua; * in hómine faciénte injuſtitias.

Déſine ab ira, & derelinque furórem; * noli æmulári ut malignéris:

Quóniam qui malignántur, exterminabúntur; * ſuſtinéntes autem Dóminum, ipſi hæreditábunt terram.

Et adhuc puſillum, & non erit peccátor; * & quæres locum ejus, & non invénies.

Manſuéti autem hæreditábunt terram; * & delectabúntur in multitúdine pacis.

Obſervábit peccátor juſtum, * & ſtridébit ſuper eum déntibus ſuis.

Dóminus autem irridébit eum, * quóniam próſpicit quòd véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres, intendérunt arcum ſuum; * *ut dejíciant páuperem & ínopem, ut trucídent rectos corde.*

Gládius eórum intret in corda ipsórum; * & arcus eórum confringátur.

Mélius eſt módicum juſto, * ſuper divítias peccatórum multas;

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur; * confirmat autem juſtos Dóminus.

Diviſio Pſalmi 36.

NOvit Dóminus dies immaculatórum: * & hæréditas eórum in ætérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo: * & in diébus famis ſaturabúntur:

Quia peccatóres * períbunt:

Inimíci verò Dómini, mox ut honorificáti fúerint & exaltáti, * deficiéntes quemádmodum fumus defícient.

Mutuábitur peccátor, & non ſolvet: * juſtus autem miſerétur, & tríbuet.

Quia benedicéntes ei hæreditábunt terram; * maledicéntes autem ei diſperíbunt.

Apud Dóminum greſſus hóminis dirigéntur; * & viam ejus volet.

Cùm cecíderit, non collidétur; * quia Dóminus ſuppónit manum ſuam.

Júnior fui, étenim ſénui; * & non vidi juſtum derelíctum, nec ſemen ejus quærens panem.

Totâ die miſerétur & cómmodat; * & ſemen illíus in benedictióne erit.

Declína à malo, & fac bonum; *. & inhábita in séculum séculi.

Quia Dóminus amat judícium, & non derelínquet ſanctos ſuos; * in ætérnum conſervabúntur.

Injúſti puniéntur, * & ſemen impiórum períbit.

Juſti autem hæreditábunt terram, * & inhabitábunt in séculum séculi ſuper eam.

Altera diviſio Pſalmi 36.

OS juſti meditábitur ſapiéntiam, * & lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus; * & non ſupplantabúntur greſſus ejus.

Conſíderat peccátor juſtum, * & quærit mortificáre eum;

Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus ejus; * nec damnábit eum, cùm judicábitur illi.

Expécta Dóminum, * & cuſtódi viam ejus:

Et exaltábit te, ut hæreditáte cápias terram: * cùm períerint peccatóres, vidébis.

Vidi ímpium ſuperexaltátum, * & elevátum ſicut cedros Líbani:

Et transívi, & ecce non erat; * & quæsívi eum, & non eſt invéntus locus ejus.

Cuſtódi innocéntiam, & *vide æquitátem; * quóniam ſunt relíquiæ hómini pacífico.*

Injúſti autem diſpe
ſimul: * relíquiæ i
rum interíbunt:

Salus autem juſtó
Dómino, * & pro
eórum in témpore tr
tiónis.

Et adjuvábit eos I
nus, & liberábit e
éruet eos à peccatór
& ſalvábit eos; * qui
ravérunt in eo.

Ant. Deus excélſi
fortitúdine ſua; &
ei símilis in legiſlató
Job. 36. 22.

IN II. NOCTU

Ant. 4. f. In dé

PSALMUS

*Homo de priſtino ſu
per peccatum lapſu
vitiis non redimi
nihil contra inſ
proſunt opes.*

AUdite hæc, omne
tes, * aúribus pe
omnes qui habitátis o

Quique terrígenæ,
lii hóminum, * ſi
unum dives & paupe

Os meum loquét
piéntiam, * & me
cordis mei prudéntia

Inclinábo in pará
aurem meam, * apér
pſaltério propoſitióne

Cur timébo in di
la? * iníquitas calcán
circúmdabit me.

Qui confídunt in
ſua, * & in multitúdir
tiárum ſuárum gloriá

Frater non rédimi
dimet homo? * no
Deo placatiónem ſu

Et prétium redemptiónis ánimæ ſuæ : * & laborábit in ætérnum, & vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, cùm víderit ſapiéntes moriéntes : * ſimul insípiens & ſtultus períbunt.

Et relínquent aliénis divítias ſuas ; * & ſepúlcra eórum domus illórum in ætérnum.

Tabernácula eórum in progénie & progénie : * vocavérunt nómina ſua in terris ſuis.

Et homo, cùm in honóre eſſet, non intelléxit : * comparátus eſt juméntis inſipiéntibus : & símilis factus eſt illis.

Hæc via illórum ſcándalum ipſis : * & póſteà in ore ſuo complacébunt.

Sicut oves in inférno póſiti ſunt: * mors depáſcet eos.

Et dominabúntur eórum juſti in matutíno : * & auxílium eórum veteráſcet in inférno à glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cùm accéperit me.

Diviſio Pſalmi 48.

NE timúeris cùm dives factus fúerit homo, * & cùm multiplicáta fúerit glória domûs ejus.

Quóniam cùm interíerit, non ſumet ómnia ; * neque deſcéndet cũ eo glória ejus.

Quia ánima ejus in vita ipsíus benedicétur ; * confitébitur tibi, cùm benefé-ceris ei.

Introíbit uſque in progénies patrum ſuórum ; * & uſque in ætérnum non vidébit lumen.

Homo, cùm in honóre eſſet, non intelléxit : * comparátus eſt juméntis inſipiéntibus, & símilis factus eſt illis.

PSALMUS 52.

Impii fruſtrà ſibi dicunt Deum non eſſe. Chriſti adventus poſtulatur.

DIxit insípiens in corde ſuo : * Non eſt Deus.

Corrúpti ſunt, & abomi-nábiles facti ſunt in iniquitátibus : * non eſt qui fáciat bonum.

Deus de cœlo proſpéxit ſuper fílios hóminum, * ut vídeat ſi eſt intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, ſimul inútiles facti ſunt ; * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Nónne ſcient omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam, ut cibum panis ?

Deũ non invocavérunt : * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus diſſipávit oſſa eórum qui hominibus placent : * confúſi ſunt, quóniam Deus ſprevit eos.

Quis dabit ex Sion ſalutáre Iſraël ? * cùm convérterit Deus captivitátem plebis ſuæ, exultábit Jacob, & lætábitur Iſraël.

Ant. In déxtera ejus ignea lex : diléxit pópulos. *Deut.* 33. 2. 3.

IN. III. NOCTURNO.

Ant. 1. f. Mandátum.

PSALMUS 72.

Dum improbi in hac vita videntur felices, probi, quòd ſua quemque maneant præmia, conſolatione levantur.

QUàm bonus Iſraël Deus, * his qui recto ſunt corde!

Mei autem penè moti ſunt pedes, * penè effûſi ſunt greſſus mei :

Quia zelávi ſuper iníquos, * pacem peccatórum videns :

Quia non eſt reſpéctus morti eórum, * & firmaméntum in plaga eórum :

In labóre hóminum non ſunt, * & cum homínibus non flagellabúntur.

Ideò ténuit eos ſupérbia, * opérti ſunt iniquitáte, & impietáte ſuâ :

Pródiit quaſi ex ádipe iníquitas eórum ;* tranſiérunt in afféctum cordis :

Cogitavérunt, & locúti ſunt nequítiam, * iniquitátem in excélſo locúti ſunt :

Poſuérunt in cœlum os ſuum, * & lingua eórum tranſívit in terra.

Ideò convertétur pópulus meus hîc, * & dies pleni inveniéntur in eis.

*Et dixérunt : Quómodo ſcit Deus ? * &, ſi eſt ſciéntia in Excélſo ?*

Ecce ipſi peccatóres, & abundántes in ſéculo, * obtinuérunt divítias.

Et dixi : Ergo ſinè cauſa juſtificávi cor meum, * & lavi inter innocéntes manus meas :

Et fui flagellátus totâ die, * & caſtigátio mea in matutínis.

Si dicébam : Narrábo ſic, * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Exiſtimábam ut cognóſcerem hoc ; * labor eſt ante me,

Donec intrem in ſanctuárium Dei, * & intélligam in novíſſimis eórum.

Verùmtamen propter dolos poſuíſti eis, * dejecíſti eos dum allevaréntur.

Quómodo facti ſunt in deſolatiónem ! * súbitò defecérunt, periérunt propter iniquitátem ſuam.

Velut ſómnium ſurgéntium, * Dómine, in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges.

Quia inflammátum eſt cor meum, & renes mei commutáti ſunt ; * & ego ad níhilum redáctus ſum, & neſcivi.

Ut juméntum factus ſum apud te ; * & ego ſemper tecum.

Diviſio Pſalmi 72.

TEnuíſti, [Dómine], manum déxteram meam, & in voluntáte tua deduxíſti me, * & cum glória ſuſcepíſti me.

Quid enim mihi eſt in

cœlo? * & à te quid vólui ſuper terram?

Defécit caro mea, & cor meum; * Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnũ.

Quia ecce, qui elóngant ſe à te, períbunt; * perdidíſti omnes qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum eſt, * pónere in Dómino Deo ſpem meam;

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas, * in portis fíliæ Sion.

P S A L M U S 74.

Fruſtrà extollunt ſe iniqui: Deus judex eſt.

CONfitébimur tibi, Deus; * confitébimur, & invocábimus nomen tuũ: narrábimus mirábilia tua.

Cùm accépero tempus, * ego juſtítias judicábo.

Liquefácta eſt terra, & omnes qui hábitant in ea; * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis: Nolíte iníquè ágere; * & delinquéntibus: Nolíte exaltáre cornu;

Nolíte extóllere in altum cornu veſtrum; * nolíte loqui advérsùs Deum iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, * neque à desértis móntibus.

Quóniam Deus judex eſt, * hunc humíliat, & hunc exáltat:

Quia calix in manu Dómini vini meri plenus *mixto, * & inclinávit ex hoc in hoc;*

Verúmtamen fæx ejus non eſt exinaníta; * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in séculum; * cantábo Deo Jacob:

Et ómnia córnua peccatórum confríngam; * & exaltabúntur córnua juſti.

Ant. Mandátum lucérna eſt; & lex lux; & via vitæ increpátio diſciplínæ. *Prov.* 6. 23.

℣. Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: ℟. Teſtimónium Dómini fidéle, ſapiéntiam præſtans párvulis. *Pſ.* 18. 8.

Pater noſter, &c. *ut ſuprà.*

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine, ℟. Et de lege tua docúeris eum. *Pſ.* 93. 12.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. 8. *g.* Ad montem.

P S A L M U S 67.

Carmen triumphale de Chriſti & Eccleſiæ victoriis, ab Aſcenſione Chriſti uſque ad ultimum ejus adventum.

EXúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus; * & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus:

Sicut déficit fumus, defíciant: * ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et juſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei, * & delectentur in lætítia.

Cantáte Deo, pſalmum

dicite nómini ejus: * iter fácite ei qui aſcéndit ſuper occáſum; Dóminus nomen illi.

Exultáte in conſpéctu ejus; * turbabúntur à fácie ejus, patris orphanórum, & júdicis viduárum.

Deus in loco ſancto ſuo;* Deus qui inhabitáre facit uníus moris in domo.

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * ſimíliter eos qui exáſperant, qui hábitant in ſepúlcris.

Deus, cùm egrederéris in conſpéctu pópuli tui, * cùm pertransíres in desérto,

Terra mota eſt, * étenim cœli diſtillavérunt à fácie Dei Sínaï, à fácie Dei Iſraël.

Plúviam voluntáriam ſegregábis, Deus, hæreditáti tuæ; * & infirmáta eſt, tu verò perfecíſti eam.

Animália tua habitábunt in ea; * paráſti in dulcédine tua paúperi, Deus.

Ant. Ad montem Sínaï deſcendíſti, Dómine, & locútus es cum pátribus noſtris de cœlo. 2. *Eſdr.* 9. 13.

Ant. 7. d. Dedíſti.

Diviſio Pſalmi 67.

DOminus dabit verbum evangelizántibus, * virtúte multâ.

Rex virtútum diléćti, diléćti; * & ſpeciéi domûs divídere ſpólia.

Si dormiátis inter médios cleros, * pennæ colúmbæ deargentátæ, & poſterióra dorſi ejus in pallóre auri.

Dum diſcérnit cœléſtis reges ſuper eam, * nive dealbabúntur in Selmon.

Mons Dei, mons pinguis; * mons coagulátus, mons pinguis:

Ut quid ſuſpicámini montes coaguláтos? * mons in quo beneplácitum eſt Deo habitáre in eo, étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium: * Dóminus in eis in Sina, in ſancto.

Aſcendíſti in altum, cepíſti captivitátem; * accepíſti dona in homínibus.

Etenim non credéntes * inhabitáre Dóminum Deū.

Benedíctus Dóminus die quotídie: * próſperum iter fáciet nobis Deus ſalutárium noſtrórum.

Deus noſter, Deus ſalvos faciéndi; * & Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confrínget cápita inimicórum ſuórum; * vérticem capílli perambulántium in delíctis ſuis.

Dixit Dóminus: Ex Baſan convértam, * convértam in profúndum maris.

Ut intingátur pes tuus in sánguine, * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipſo.

Ant. Dedíſti eis judícia recta & legem veritátis, ceremónias & præcépta bona. 2. *Eſdr.* 9. 13.

Ant. 1. a. Non.

Altera diviſio Pſal. 67.

VIdérunt ingréſſus tuos, Deus, * ingréſſus Dei mei, Regis mei qui eſt in ſancto.

Prævenérunt príncipes conjúncti pſalléntibus, * in médio juvenculárum tympaniſtriárum.

In ecclésiis benedícite Deo, * Dómino de fóntibus Iſraël.

Ibi Bénjamin adoleſcéntulus, * in mentis excéſſu.

Príncipes Juda duces eórum; * príncipes Zabúlon, príncipes Néphthali.

Manda, Deus, virtúti tuæ: * confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúſalem, * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis, congregátio taurórum in vaccis populórum, * ut excludant eos qui probáti ſunt argénto.

Díſſipa gentes quæ bella volunt: * vénient legáti ex Ægýpto, Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte Deo; * psállite Dómino, psállite Deo,

Qui aſcéndit ſuper cœlum cœli ad Oriéntem; * ecce dabit voci ſuæ vocem virtútis.

Date glóriam Deo; * ſuper Iſraël magnificéntia ejus, & virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſraël, *ipſe dabit* virtútem & fortitúdinem plebi ſuæ: * benedíctus Deus.

Ant. Non nativitátis fructus paſcunt hómines; ſed ſermo tuus, hos qui in te credíderint, conſérvat. *Sap.* 16. 26.

Ant. 3. c. Cuſtódis.

CANTICUM BARUCH.
c. 4. *v.* 1. *ad* 4.

Beati qui Dei legem habent & tenent.

OMnes qui tenent legem, pervénient ad vitam; * qui autem dereliquérunt eam, in mortem.

Convértere, Jacob, * & apprehénde eam;

Ambula per viam ad ſplendórem ejus, * contra lumen ejus.

Ne tradas álteri glóriam tuam, * & dignitátem tuam genti aliénæ.

Beáti ſumus, Iſraël; * quia quæ Deo placent, maniféſta ſunt nobis.

Ant. Cuſtódis pactum & miſericórdiam ſervis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde ſuo. 3. *Reg.* 8. 23.

Ant. 5. a. Convérte nos.

PSALMUS 146.

Laudandus Deus, cui beneplacitum eſt ſuper timentes eum.

LAudáte Dóminum, quóniam bonus eſt pſalmus: * Deo noſtro ſit jucúnda, decóraque laudátio.

Ædíficans Jerúſalem Dóminus, * diſperſiónes Iſraélis congregábit:

Qui ſanat contrítos cor-

de, * & álligat contritiónes eórum :

Qui númerat multitúdinem ſtellárum ; * & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noſter, & magna virtus ejus ; * & ſapiéntiæ ejus non eſt númerus.

Suſcípiens manſuétos Dóminus ; * humílians autem peccatóres, uſque ad terram.

Præcínite Dómino in confeſſióne ; * psállite Deo noſtro in cíthara,

Qui óperit cœlum núbibus, * & parat terræ plúviã:

Qui prodúcit in móntibus fœnum, * & herbam ſervitúti hóminum:

Qui dat juméntis eſcam ipsórum, * & pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit; * nec in tíbiis viri beneplácitũ erit ei.

Beneplácitum eſt Dómino ſuper timéntes eum, * & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus.

Ant. Convérte nos, Dómine, ad te, & convertémur ; ínnova dies noſtros, ſicut à princípio. *Orat. Jer.* 5. 21.

CAPITULUM. *Joſue.* 1. 8.

NOn recédat volúmen legis hujus ab ore tuo: ſed meditáberis in eo diébus ac nóctibus, ut cuſtódias & fácias ómnia quæ ſcripta ſunt in eo.

HYMNUS.

QUÆ juſſa ſaxo crédidit
Divína, cælans déxtera,
Ætérna dudùm véritas
In corde noſtro ſcú

O SANCTA lex
tam poli
Pandis viam mort
Tu méntibus præfers
Greſsúsque noſtros

ERRORIS expe
bulat
Quicúmque te velit d
A calle dévius perit
Te quiſquis amens á

VITAM dabis fid
Necem mináris ímp
Si pœna terret ímmi
Accéndat ingens prá

PRÆSTA, beáta T
Ut, legis ad facem
Vitémus omne quod
Sectémur omne qu
bes. Amen.

℣. Non fecit táli
ni natióni ; ℟. Et
ſua non manifeſtá
Pſal. 147. 20.

Ad Benedíctus, *An*
Super ómnibus his
mine, nos ipſi per
fœdus. 2. *Eſdr.* 9. 3

Suffragia habenti
poſt Completorium S

AD PRIM

Ant. 8. c. Hæc

PSALMUS

Miſericordia & veri
in populum ſuu
branda. Promiſſio
Chriſto & Eccleſi
immutabiles ſun
adverſis hujus
lentur.

MIſericórdias D
in ætérnum
In generatiónem
neratiónem, * ann
veritátem tuam in

Quóniam dixíſti: In ætérnum miſericórdia ædificábitur in cœlis, * præparábitur véritas tua in eis:

Diſpóſui teſtaméntum eléctis meis, * jurávi David ſervo meo:

Uſque in ætérnum præparábo ſemen tuum; * & ædificábo in generatiónem & generatiónem ſedem tuã.

Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine; * étenim veritátem tuam in eccléſia ſanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino; * símilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus qui glorificátur in concílio ſanctórum, * magnus & terríbilis ſuper omnes qui in circúitu ejus ſunt.

Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es, Dómine, & véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris poteſtáti maris, * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliáſti ſicut vulnerátum, ſupérbum; * in bráchio virtútis tuæ diſperſíſti inimícos tuos.

Tui ſunt cœli, & tua eſt terra; orbem terræ, & plenitúdinem ejus tu fundáſti; * aquilónem & mare tu creáſti.

Thabor & Hermon in nómine tuo exultábunt: * tuũ bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, & exaltétur déxtera tua: * *juſtítia & judícium præparátio ſedis tuæ.*

Miſericórdia & véritas * præcédent fáciem tuam.

Diviſio Pſalmi 88.

BEátus pópulus qui ſcit jubilatiónem: * Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt;

Et in nómine tuo exultábunt totâ die; * & in juſtítia tua exaltabúntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es: * & in beneplácito tuo exaltabitur cornu noſtrum:

Quia Dómini eſt aſsúmptio noſtra, * & Sancti Iſraël, Regis noſtri.

Tunc locútus es in viſióne ſanctis tuis, & dixíſti; * Póſui adjutórium in poténte, & exaltávi eléctum de plebe mea.

Invéni David ſervum meum, * óleo ſancto meo unxi eum:

Manus enim mea auxiliábitur ei, * & bráchium meum confortábit eum:

Nihil proficiet inimícus in eo, * & fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam à fácie ipsíus inimícos ejus, * & odiéntes eum in fugam convértam.

Et véritas mea, & miſericórdia mea cum ipſo: * & in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, * & in flumínibus déxteram ejus.

Ipſe invocábit me: Pater meus es tu, * Deus meus, & ſuſcéptor ſalútis meæ.

Et ego primogénitum po-

nam illum, * excélſum præ régibus terræ.

In ætérnū ſervábo illi miſericórdiā meam, * & teſtaméntum meum fidéle ipſi.

Et ponam in séculum séculi ſemen ejus, * & thronum ejus ſicut dies cœli.

Si autem derelíquerint filii ejus legem meā, * & in judíciis meis non ambuláverint:

Si juſtítias meas profanáverint, * & mandáta mea non cuſtodíerint:

Viſitábo in virga iniquitátes eórum, * & in verbéribus peccáta eórum:

Miſericórdiā autem meā non diſpérgam ab eo, * neque nocébo in veritáte mea:

Neque profanábo teſtaméntum meum; * & quæ procédunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

Altera diviſio Pſal. 88.

SEmel jurávi in Sancto meo, * ſi David méntiar: Semen ejus in ætérnum manébit; * & thronus ejus ſicut ſol in conſpéctu meo:

Et ſicut luna perfécta in ætérnum; * & teſtis in cœlo fidélis.

Tu verò repuliſti, & deſpexiſti, * diſtuliſti chriſtum tuum:

Evertiſti teſtaméntum ſervi tui, * profanáſti in terra ſanctuárium ejus:

Deſtruxiſti omnes ſepes ejus, * poſuiſti firmaméntum ejus formídinem:

Diripuérunt eum omnes tranſeúntes viam: * factus eſt oppróbrium vicínis ſuis:

Exaltáſti déxteram depriméntium eum, * lætificáſti omnes inimícos ejus:

Avertiſti adjutórium gládii ejus, * & non es auxiliátus ei in bello:

Deſtruxiſti eum ab emundatióne, * & ſedem ejus in terram collisiſti:

Minoráſti dies témporis ejus, * perfudiſti eum confuſióne.

Uſquequò, Dómine, avértis in finem, * exardéſcet ſicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea ſubſtántia: * numquid enim vanè conſtituiſti omnes filios hóminum?

Quis eſt homo qui vivet, & non vidébit mortem? * éruet ánimam ſuam de manu ínferi?

Ubi ſunt miſericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine, * ſicut juráſti David in veritáte tua?

Memor eſto, Dómine, oppróbrii ſervórum tuórum, * quod contínui in ſinu meo, multárum géntium:

Quod exprobravérunt inimíci tui, Dómine, * quod exprobravérunt commutatiónem chriſti tui.

Benedíctus Dóminus in ætérnum. * Fiat, fiat.

Ant. Hæc eſt cáritas Dei, ut mandáta ejus cuſtodiámus. 1. *Joan.* 5. 3.

CAPITULUM. *Eph.* 5. 8. 9. 10.

ERátis aliquándo ténebræ, nunc autem lux in Dómino; ut filii lucis am-

buláte; fructus enim lucis eſt in omni bonitáte, & juſtítia, & veritáte, probántes quid ſit beneplácitum Deo.

AD TERTIAM.

Ant. 4. A. Deus.

PSALMUS 28.

Chriſti regnum: vox prædicationis Evangelicæ.

AFférte Dómino, filii Dei, * afférte Dómino filios aríetum.

Afférte Dómino glóriam & honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus, * adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus.

Vox Dómini ſuper aquas, Deus majeſtátis intónuit; * Dóminus ſuper aquas multas.

Vox Dómini in virtúte, * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros; * & confrínget Dóminus cedros Líbani.

Et commínuet eas tanquam vítulum Líbani: * & diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis: vox Dómini concutiéntis desértum; * & commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, & revelábit condénſa; * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit: * & ſedébit Dóminus rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo ſuo dabit; * Dóminus benedícet pópulo ſuo in pace.

PSALMUS 49.

Ultimus Chriſti adventus prænuntiatur. Non ex cæſis victimis, ſed ex animi puritate judicandi homines.

DEus deórum Dóminus locútus eſt, * & vocávit terram à ſolis ortu uſque ad occáſum.

Ex Sion ſpécies decóris ejus; * Deus maniféſtè véniet; Deus noſter, & non ſilébit.

Ignis in conſpéctu ejus exardéſcet; * & in circúitu ejus tempéſtas válida.

Advocábit cœlum desúrsùm, & terram, * diſcérnere pópulum ſuum.

Congregáte illi ſanctos ejus, * qui órdinant teſtaméntum ejus ſuper ſacrifícia.

Et annuntiábunt cœli juſtítiam ejus, * quóniam Deus judex eſt.

Diviſio Pſalmi 49.

AUdi, pópulus meus, & loquar; Iſraël, & teſtificábor tibi: * Deus Deus tuus ego ſum.

Non in ſacrifíciis tuis árguam te; * holocaúſta autem tua in conſpéctu meo ſunt ſemper.

Non accípiam de domo tua vítulos, * neque de grégibus tuis hircos;

Quóniam meæ ſunt omnes feræ ſylvárum, * juménta in móntibus, & boves.

Cognóvi ómnia volatí-

lia cœli; * & pulchritúdo agri mecum eſt.

Si eſuríero, non dicam tibi; * meus eſt enim orbis terræ, & plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum, * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo ſacrifícium laudis, * & redde Altíſſimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis: * éruam te, & honorificábis me.

Peccatóri autem dixit Deus: * Quare tu enárras juſtítias meas, & aſsúmis teſtaméntum meum per os tuum?

Tu veró odíſti diſciplínam, * & projecíſti ſermónes meos retrórsùm.

Si vidébas furem, currébas cum eo; * & cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítiâ, * & lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsùs fratrem tuum loquebáris, & advérsùs fílium matris tuæ ponébas ſcándalum: * hæc fecíſti, & tácui.

Exiſtimáſti iníquè, quòd ero tuî símilis: * árguam te, & ſtátuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc, qui obliviſcímini Deum; * nequándo rápiat, & non ſit qui erípiat.

*Sacrifícium laudis honorificábit me: * & illic iter, quo oſténdam illi ſalutáre Dei.*

Ant. Deus cáritas e[st]
qui manet in caritá[te]
Deo manet, & Deus [in eo].
1. *Joan.* 4. 16.

C A P I T U L U M.
6. 4. 5.

Audi, Iſraël: I[...]
nus Deus noſter, [...]
minus unus eſt. I[...]
Dóminum Deum tuu[m ex]
toto corde tuo, & e[x]
ánima tua, & ex tot[a for-]
titúdine tua.

℞. *breve.* Quid mi[hi est]
in cœlo, & * A te quid [volui]
ſuper terram? ℞. Qu[...]
Deus cordis mei & [pars]
mea. * A te. Glóri[a...]
Quid. *Pſ.* 72. 25. 26.

℣. Mihi adhærére [Deo]
bonum eſt, ℞. Pón[ere in]
Dómino Deo ſpem m[eam.]
Pſ. 72. 28.

AD SEXTA[M.]

Ant. 3. *à.* Si quis.

P S A L M U S 7[7.]

Beneficia olim Judæis præſtita in parabolis [...] rantur, ut inde diſc[at] pulus Dei ponere i[n Deo] ſpem ſuam, & ma[ndata] ejus ſervare.

Aténdite, pópule [meus,] legem meam, * [incli-]
náte aurem veſtram i[n ver-]
ba oris mei.

Apériam in parábo[lis os]
meum; * loquar prop[ositio-]
nes ab início.

Quanta audívimus [et]
cognóvimus ea, * & [patres]
noſtri narravérunt no[bis.]

Non ſunt occultáta [a filiis]
eórum, * in gene[ratione]
áltera.

Narrántes laudes Dómini, & virtútes ejus, * & mirabília ejus quæ fecit.

Et ſuſcitávit teſtimónium in Jacob, * & legem póſuit in Iſraël:

Quanta mandávit pátribus noſtris nota fácere ea fíliis ſuis, * ut cognóſcat generátio áltera;

Filii qui naſcéntur, & exúrgent, * & narrábunt fíliis ſuis;

Ut ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliviſcántur óperum Dei, * & mandáta ejus exquírant:

Ne fiant ſicut patres eórum, * generátio prava & exáſperans,

Generátio quæ non diréxit cor ſuum; * & non eſt créditus cum Deo ſpíritus ejus.

Prima diviſio Pſal. 77.

FIlii Ephrem intendéntes & mitténtes arcum, * convérſi ſunt in die belli.

Non cuſtodiérunt teſtaméntum Dei, * & in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et oblíti ſunt benefactórum ejus, * & mirabílium ejus quæ oſténdit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægýpti, * in campo Táneos.

Interrúpit mare, & perdúxit eos, * & ſtátuit aquas quaſi in utre.

Et dedúxit eos in nube diéi, * & totâ nocte in illuminatióne ignis.

*Interrúpit petram in erémo, * & adaquávit eos velut in abýſſo multa.*

Et edúxit aquam de petra, * & dedúxit tanquam flúmina aquas.

Et appoſuérunt adhuc peccáre ei, * in iram excitavérunt Excélſum in inaquóſo.

Et tentavérunt Deum in córdibus ſuis, * ut péterent eſcas animábus ſuis.

Et malè locúti ſunt de Deo; * dixérunt: Numquid póterit Deus paráre menſam in desérto?

Quóniam percúſſit petram, & fluxérunt aquæ, * & torréntes inundavérunt.

Numquid & panem póterit dare, * aut paráre menſam pópulo ſuo?

Ideò audívit Dóminus, & dіſtulit; * & ignis accénſus eſt in Jacob, & ira aſcéndit in Iſraël.

Quia non credidérunt in Deo, * nec ſperavérunt in ſalutári ejus.

Et mandávit núbibus déſuper, * & jánuas cœli apéruit,

Et pluit illis manna ad manducándum, * & panem cœli dedit eis:

Panem Angelórum manducávit homo; * cibária miſit eis in abundántia.

Secunda diviſio Pſal. 77.

TRánſtulit Auſtrum de cœlo, * & indúxit in virtúte ſua Africum;

Et pluit ſuper eos ſicut púlverem carnes, * & ſicut arénam maris volatília pennáta;

Et cecidérunt in médio

caſtrórum eórum, * circa tabernácula eórum :

Et manducavérunt, & ſaturáti ſunt nimis, & deſidérium eórum áttulit eis ;* non ſunt fraudáti à deſidério ſuo.

Adhuc eſcæ eórum erant in ore ipsórum, * & ira Dei aſcéndit ſuper eos :

Et occídit pingues eórũ, * & eléctos Iſraël impedivit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc ; * & non credidérunt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum, * & anni eórum cum feſtinatióne.

Cùm occíderet eos, quærébant eum, & revertebántur ; * & dilúculo veniébant ad eum.

Et rememoráti ſunt quia Deus adjútor eſt eórum, * & Deus excélſus redémptor eórum eſt.

Et dilexérunt eum in ore ſuo, * & linguâ ſuâ mentíti ſunt ei :

Cor autem eórum non erat rectum cum eo, * nec fidéles hábiti ſunt in teſtaménto ejus.

Ipſe autem eſt miséricors, & propítius fiet peccátis eórum, * & non diſpérdet eos.

Ant. Si quis díxerit, quóniam díligo Deum, & fratrem ſuum óderit, mendax eſt. 1. *Joan.* 4. 20.

CAPITULUM. 1. *Joan.* 4. 11. 12.

CAríſſimi, ſi ſic Deus diléxit nos, & nos debémus altérutrum dilígere. Deum nemo vidit unquam ; ſi diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, & cáritas ejus in nobis perfécta eſt.

℞. *breve.* Odíſti, Dómine, omnes * Qui operántur iniquitátem. ℞. Odíſti. ℣. Perdes omnes qui loquúntur mendácium. * Qui. Glória. ℞. Odíſti. *Pſ.* 5. 7.

℣. Virum sánguinum & dolóſum ℞. Abominábitur Dóminus *Pſ.* 5. 8.

AD NONAM.

Ant. 6. F. Mihi.

Tertia diviſio Pſal. 77. Et

ABundávit [Dóminus,] ut avérteret iram ſuã, * & non accéndit omnem iram ſuam :

Et recordátus eſt quia caro ſunt, * ſpíritus vadens, & non rédiens.

Quóties exacerbavérunt eum in desérto, * in irã concitavérunt eum in inaquóſo!

Et convérſi ſunt, & tentavérunt Deum, * & Sanctum Iſraël exacerbavérunt.

Non ſunt recordáti manûs ejus, * die quâ redémit eos de manu tribulántis.

Sicut póſuit in Ægýpto ſigna ſua, * & prodígia ſua in campo Táneos.

Et convértit in sánguinem flúmina eórum, * & imbres eórum ne bíberent.

Miſit in eos cœnomýiam, & comédit eos ;* & ranam, & diſpérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum, * & labóres eórum locúſtæ.

Et occídit in grándine vi-

neas eórum, * & moros eórum in pruína.

Et trádidit grándini juménta eórum, * & poſſeſſiónem eórum igni.

Miſit in eos iram indignatiónis ſuæ, indignatiónem, & iram, & tribulatiónem; * immiſſiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitæ iræ ſuæ, & non pepércit à morte animábus eórum; * & juménta eórum in morte conclúſit.

Et percúſſit omne primogénitum in terra Ægýpti, * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

Quarta diviſio Pſal. 77.

ET ábſtulit ſicut oves pópulum ſuum, * & perdúxit eos tanquam gregem in desérto.

Et dedúxit eos in ſpe, & non timuérunt; * & inimícos eórum opéruit mare.

Et indúxit eos in montem ſanctificatiónis ſuæ, * montem quem acquisívit déxtera ejus.

Et ejécit à fácie eórum gentes, * & ſorte divíſit eis terram in funículo diſtributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus Iſraël.

Et tentavérunt, & exacerbavérunt Deum excélſum, * & teſtimónia ejus non cuſtodiérunt.

Et *avertérunt ſe, & non ſervavérunt pactum quemádmodum patres eórum :* * convérſi ſunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus ſuis, * & in ſculptílibus ſuis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Audívit Deus, & ſprevit; * & ad níhilum redégit valde Iſraël.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum ſuum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórum: * & pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúſit in gládio pópulum ſuum, * & hæreditátem ſuam ſprevit.

Júvenes eórum comédit ignis; * & vírgines eórum non ſunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt; * & víduæ eórum non plorabántur.

Ultima diviſio Pſal. 77.

ET excitátus eſt tanquam dórmiens Dóminus, * tanquam potens crapulátus à vino.

Et percúſſit inimícos ſuos in poſterióra, * oppróbrium ſempitérnum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joſeph, * & tribum Ephraïm non elégit:

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem diléxit.

Et ædificávit ſicut unicórnium ſanctifícium ſuum in terra, * quam fundávit in sécula.

Et elégit David ſervum ſuum, * & ſúſtulit eum de grégibus óvium:

De poſt fœtántes accépit eum, * páſcere Jacob ſervum ſuum, & Iſraël hæreditátem ſuam.

Et pavit eos in innocéntia cordis ſui, * & in intelléctibus mánuum ſuárum dedúxit eos.

Ant. Mihi vindícta; Ego retríbuam, dicit Dóminus. *Rom.* 12. 19.

CAPITULUM. *Rom.* 12. 20. 21.

SI eſuríerit inimícus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim fáciens, carbónes ignis cóngeres ſuper caput ejus. Noli vinci à malo; ſed vince in bono malum.

℟. *breve.* Cum his qui odérunt pacem * Eram pacíficus; ℟. Cum. ℣. Cùm loquébar illis impugnábant me gratìs. * Eram. Glória Patri. ℟. Cum. *Pſ.* 119. 7.

℣. Poſuérunt advérsùm me mala pro bonis; ℟. Et ódium pro dilectióne mea. *Pſ.* 108. 5.

AD VESPERAS.

Ant. 1. a. Finis.

PSALMUS 122.

Mens in Deum erigenda tempore tribulationis.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce, ſicut óculi ſervórum * in mánibus dominórum ſuórum,

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ ſuæ, * ità óculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum, donec miſereátur noſtrî.

Miſerére noſtrî, Dómine, miſerére noſtrî; * quia multùm repléti ſumus deſpectióne;

Quia multùm repléta eſt ánima noſtra; * oppróbrium abundántibus, & deſpéctio ſupérbis.

Ant. Finis legis Chriſtus, ad juſtítiam omni credénti. *Rom.* 10. 4.

Ant. 2. D. Factus eſt.

PSALMUS 130.

Non in ſe, ſed in Deo, ſperandum eſt.

DOmine, non eſt exaltátum cor meum, * neque eláti ſunt óculi mei;

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabilibus ſuper me.

Si non humíliter ſentiébam, * ſed exaltávi ánimam meam.

Sicut ablactátus eſt ſuper matre ſua, * ità retribútio in ánima mea.

Speret Iſraël in Dómino, * ex hoc, nunc, & uſque in ſéculum.

Ant. Factus eſt nobis ſapiéntia à Deo, & juſtitia, & ſanctificátio, & redémptio. 1. *Cor.* 1. 30.

Ant. 8. G. Non.

PSALMUS 144.

Dei magnitudo & beneficentia celebrantur.

EXaltabo te, Deus meus Rex, * & benedicam nómini tuo in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

Per ſingulos dies bene-

dicam tibi, * & laudábo nomen tuum in séculum, & in séculum séculi.

Magnus Dóminus, & laudábilis nimis, * & magnitúdinis ejus non eſt finis.

Generátio & generátio laudábit ópera tua, * & poténtiam tuâ pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ ſanctitátis tuæ loquéntur, * & mirabília tua narrábunt;

Et virtútem terribílium tuórum dicent, * & magnitúdinem tuam narrábunt:

Memóriam abundántiæ ſuavitátis tuæ eructábunt, * & juſtítiâ tuâ exultábunt.

Miſerátor & miséricors Dóminus; * pátiens & multùm miséricors.

Suávis Dóminus univérſis, * & miſeratiónes ejus ſuper ómnia ópera ejus.

Ant. Non ex opéribus juſtítiæ quæ fécimus nos, ſed ſecúndùm ſuam miſericórdiam ſalvos nos fecit. *Tit.* 3. 5.

Ant. 4. f. Quóniam.

Diviſio Pſalmi 144.

CONfiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; * & ſancti tui benedícant tibi:

Glóriam regni tui dicent, * & poténtiam tuam loquéntur.

Ut notam fáciant filiis hóminum poténtiam tuam, * & glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium ſeculórum; * & dominátio tua in omni generatióne, & generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis ſuis, * & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt, * & érigit omnes eliſos.

Oculi ómnium in te ſperant, Dómine; * & tu das eſcam illórum in témpore opportúno:

Aperis tu manum tuam, * & imples omne ánimal benedictióne.

Ant. Quóniam in lege nemo juſtificátur apud Deum, maniféſtum eſt quia juſtus ex fide vivit. *Gal.* 3. 11.

Ant. 6. F. Quómodo.

Altera diviſio Pſal. 144.

JUſtus Dóminus in ómnibus viis ſuis; * & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis.

Propè eſt Dóminus ómnibus invocántibus eum, * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium ſe fáciet, & deprecatiónem eórum exaúdiet, * & ſalvos fáciet eos.

Cuſtódit Dóminus omnes diligéntes ſe; * & omnes peccatóres diſpérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum; * & benedícat omnis caro nómini ſancto ejus in séculum, & in séculum séculi.

Ant. Quómodo Chriſtus ſurréxit à mórtuis per glóriam Patris, ità & nos in

novitáte vitæ ambulémus. *Rom. 6. 4.*

CAPITULUM. *Hebr.* 4. 12.

VIvus eſt ſermo Dei, & éfficax, & penetrabílior omni gládio ancípiti, & pertíngens uſque ad diviſiónem ánimæ ac ſpíritûs, compágum quoque ac medullárum, & diſcrétor cogitatiónum & intentiónum cordis.

HYMNUS.

INGRATA gens mortálium,
Mores profános míttite,
Et prona legi Núminis
Vovére corda díſcite.

QUOD terra clamat & polus,
Natúra quod cunctos docet,
Quod lex Tonántis præcipit,
Amáre Numen díſcite.

OMNES jubet quos cóndidit
Ætérnus ómnium Parens,
Amóre necti mútuo;
Amáre fratres díſcite.

PERENNE pondus glóriæ
Et pura cœli gaúdia
Præférte nugis séculi;
Amáre voſmet díſcite.

PRÆSTA, beáta Trínitas,
Ut, legis ad facem tuæ,
Vitémus omne quod vetas,
Sectémur omne quod jubes. Amen.

℣. Utinam, Dómine, dirigántur viæ meæ, ℟. Ad cuſtodiéndas juſtificatiónes tuas! *Pſ.* 118. 5.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. a. Non auditóres legis juſti *ſunt apud* Deum; ſed factóres legis juſtific
Rom. 2. 13.

Suffragia habent
poſt Completoriu
bati.

AD COMPLETC

Ant. 2. D. Sicu

PSALMUS

Impii fruſtrà ſibi
Deum non eſſe.
adventus poſtula

DIxit insípiens
ſuo: * Non

Corrúpti ſunt, 8
nábiles facti ſunt i
ſuis: * non eſt q
bonum, non eſt
unum.

Dóminus de cœl
xit ſuper filios hóm
ut vídeat ſi eſt in
aut requírens Deu

Omnes declina
ſimul inútiles fact
non eſt qui fáciat
non eſt uſque ad u

Sepúlcrum pa
guttur eórum; li
dolósè agébant; *
áſpidum ſub lábiis

Quorum os mal
& amaritúdine pler
velóces pedes e
effundéndum sáng

Contrítio & inf
viis eórum, & viam
cognovérunt: * n
mor Dei ante óculo

Nónne cognóſc
nes qui operántur
tem, * qui dévorar
meam ſicut eſcam

Dóminum non
runt: * illic trep
timóre, ubi non e

Quóniam Dóminus in generatióne juſta eſt :* consílium ínopis confudíſtis, quóniam Dóminus ſpes ejus eſt.

Quis dabit ex Sion ſalutáre Iſraël ? * cùm avérterit Dóminus captivitátem plebis ſuæ, exultábit Jacob, & lætábitur Iſraël.

PSALMUS 14.

Quibus virtutum exercitiis ſalus obtineatur.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo ? * aut quis requiéſcet in monte ſancto tuo ?

Qui ingréditur ſinè mácula,* & operátur juſtítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde ſuo; * qui non egit dolum in lingua ſua :

Nec fecit próximo ſuo malum, * & oppróbrium non accépit advérsùs próximos ſuos.

Ad níhilum dedúctus eſt in conſpéctu ejus malígnus;* timéntes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo ſuo, & non décipit ; * qui pecúniam ſuam non dedit ad usúram, & múnera ſuper innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

PSALMUS 31.

Miſericordia Dei hominem peccatorem per gratiam ſuam juſtificantis commendatur.

BEáti quorum remíſſæ ſunt iniquitátes; * & quorum tecta ſunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec eſt in ſpíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt oſſa mea; * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta eſt ſuper me manus tua : * convérſus ſum in ærúmna mea, dum configitur ſpina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci : * & injuſtítiam meam non abſcóndi.

Dixi : Confitébor advérsùm me injuſtítiam meam Dómino, * & tu remisíſti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis ſanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meũ à tribulatióne, quæ circúmdedit me : * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & ínſtruam te in via hac quâ gradiéris ; * firmábo ſuper te óculos meos.

Nolíte fieri ſicut equus & mulus, * quibus non eſt intelléctus.

In camo & fræno maxíllas eórum conſtringe, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris ; * ſperántem autem in Dómino miſericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino & exultáte, justi ; * & gloriámini, omnes recti corde.

Ant. Sicut corpus ſinè ſpíritu mórtuum eſt, ità & fides, ſinè opéribus mórtua eſt. *Jac.* 2. 26.

Hymnus. Grates, peráćto jam die. *infrà.*

CAPITULUM. 2. *Petr.* 1. 10.

FRatres, magìs ſatágite, ut per bona ópera certam veſtram vocatiónem & electiónem faciátis: hæc enim faciéntes, non peccábitis aliquándo.

℞. *breve.* In manus. *infrà.*

Ad Nunc dimíttis. *Ant.* 3. a. Quid próderit, ſi fidem quis dicat ſe habére, ópera autem non hábeat? *Jac.* 2. 14.

Preces & Oratio, infrà.

FERIA QUINTA, AD OFFIC. NOCTURN.

Invitatorium. Panem vivum qui de cœlo deſcéndit, * Veníte, adorémus. *Joan.* 6. 51.

Pſalmus, Veníte. *p.* 2.

HYMNUS.

VENITE, mortáles; Dei
Stupéte noſtri pródigas
In nos opes: ſic filios
Amávit ille; ſic amat.

CORPUS quod óbtulit ſemel,
Jugem ſuis dat in cibum,
Iis & in potum parat,
Quo crux rigáta eſt, ſánguinem.

HUMANITATIS párticeps
Terras beat præséntiâ;
Nos arte mirâ vult ſuæ
Divinitátis cómpotes.

HIC dum latet, præſéntior
Membris caput conjúngitur;
Nobíſque ſic, per fœdera
Amóris hæret íntimi.

AMOR litávit hóſtiam,
Amóre flagret párticeps.
Procul piger, procul tepens;
Hæc poſcit eſca férvidos.

HIC incruénto fúnere
Dum te ſub aris ímmolas;
Da, Chriſte, ſemper víćtimæ
Nos immolátæ cómmori.

QUI carne nos paſcis tuâ,
Sit laus tibi, Paſtor bone,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Non eſt.

PSALMUS 44.

Carmen nuptiale de Chriſti & Eccleſiæ dotibus.

ERućtávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus ſcribæ * velóciter ſcribéntis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum, diffúſa eſt grátia in lábiis tuis: * proptéreà benedíxit te Deus in ætérnū.

Accíngere gládio tuo ſuper femur tuum, * Potentíſſime:

Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ inténde, * próſperè procéde;

Et regna propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, * pó-

puli ſub te cadent, in corda inimicórum Regis.

Sedes tua, Deus, in séculum séculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexiſti juſtítiam, & odíſti iniquitátem: * proptéreà unxit te, Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & caſſia à veſtiméntis tuis, à dómibus ebúrneis, * ex quibus delectavérunt te filiæ regum in honóre tuo.

Aſtitit Regína à dextris tuis in veſtítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Diviſio Pſalmi 44.

AUdi, filia, & vide, & inclína aurem tuam; * & obliviſcere pópulũ tuum, & domum patris tui:

Et concupiſcet Rex decórem tuum; * quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et filiæ Tyri in munéribus: * vultum tuũ deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus filiæ regis ab intùs; * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines poſt eam, * próximæ ejus afferéntur tibi;

Afferéntur in lætítia & exultatióne, * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis, nati ſunt tibi filii: * conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui, * in omni generatióne & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, * & in séculum séculi.

PSALMUS 45.

Eccleſia, in ſe habens Deum inhabitantem, non commovebitur.

DEus noſter refúgium & virtus; * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus dum turbábitur terra: * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ ſunt aquæ eórũ: * conturbáti ſunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * ſanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus.

Deus in médio ejus; non commovébitur: * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ ſunt gentes, & inclináta ſunt regna: * dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

Dóminus virtútum nobíſcum: * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ póſuit prodígia ſuper terram, * aúferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma, * & ſcuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego ſum Deus; * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíſcum : * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

Ant. Non eſt ália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes ſibi, ſicut Deus noſter. *Deut.* 4, 7.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. f. Calix.

PSALMUS 64.

Inter adverſa, ſperandum in Deo, qui fidelibus ſuis cibum parat.

TE decet hymnus, Deus, in Sion ; * & tibi reddétur votum in Jerúſalem.

Exaúdi oratióne meam; * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt ſuper nos ; * & impietátibus noſtris tu propitiáberis.

Beátus quem elegíſti, & aſſumpsíſti ; * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ : * ſanctum eſt templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaúdi nos, Deus ſalutáris noſter, * ſpes ómnium finiũ terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtiâ : * qui contúrbas profúndum maris, ſonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à ſignis tuis : * éxitus matutíni & véſpere delectábis.

Viſitáſti terram, & inebriáſti eam ; * multiplicáſti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum aquis: * paráſti cibum rum, quóniam ità eſt parátio ejus.

Rivos ejus inébria, tiplica genímina ejus ; ſtillicídiis ejus lætá gérminans.

Benedíces corónæ benignitátis tuæ; * & c tui replebúntur ubertát

Pinguéſcent ſpecióſ sérti, * & exultatióne les accingéntur.

Indúti ſunt aríetes o & valles abundábunt ménto : * clamábunt nim hymnum dicent.

PSALMUS 7

Conſolatio ſpiritalis e. nignitate Dei ſumpt

VOce meâ ad Dóm clamávi, * voce ad Deum, & inténdit

In die tribulatiónis Deum exquisívi, mán meis nocte contra eum & non ſum decéptus.

Rénuit conſolári á mea ; * memor fui D delectátus ſum, & ex tátus ſum, & defécit tus meus.

Anticipavérunt vi óculi mei; * turbátus & non ſum locútus.

Cogitávi dies antíqu & annos ætérnos in n hábui.

Et meditátus ſum cum corde meo, * & e tábar, & ſcopébam tum meum.

Numquid in æté projíciet Deus ? * aut

appórtet ut complacítior ſit adhuc ?

Aut in finem miſericórdiam ſuam abſcíndet, * à generatióne in generatióne ?

Aut obliviſcétur miſeréri Deus ? * aut continébit in ira ſua miſericórdias ſuas ?

Et dixi : Nunc cœpi : * hæc mutátio déxteræ Excélſi.

Diviſio Pſalmi 76.

Memor fui óperum Dómini : * quia memor ero ab início mirabílium tuórum,

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis, * & in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus, in ſancto via tua : quis Deus magnus ſicut Deus noſter ? * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam fecíſti in pópulis virtútem tuam ; * redemíſti in bráchio tuo pópulum tuum, filios Jacob & Joſeph.

Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ, & timuérunt ; * & turbátæ ſunt abyſſi.

Multitúdo ſónitus aquárum ; * vocem dedérunt nubes.

Etenim ſagíttæ tuæ tránſeunt : * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruſcatiónes tuæ orbi terræ ; * commóta eſt, & contrémuit terra.

In mari via tua, & sémitæ tuæ in aquis multis.* & veſtígia tua non cognoſcéntur.

Deduxíſti, ſicut oves, pópulum tuum, * in manu Móyſi & Aaron.

Ant. Calix benedictiónis cui benedícimus, nónne communicátio Sánguinis Chriſti eſt ? & panis quem frángimus, nónne participátio Córporis Dómini eſt ? 1. *Cor.* 10. 16.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 5. 2. Panis.

PSALMUS 26.

Deus in Chriſto fidelium lumen & ſalus. Auxilium ejus adversùs hoſtes petitur.

Dominus illuminátio mea, & ſalus mea : * quem timébo ?

Dóminus protéctor vitæ meæ : * à quo trepidábo ?

Dum appropíant ſuper me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipſi infirmáti ſunt, & cecidérunt.

Si consíſtant advérsùm me caſtra, * non timébit cor meum,

Si exúrgat advérsùm me prælium, * in hoc ego ſperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ :

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & víſitem templum ejus.

Quóniam abſcóndit me in tabernáculo ſuo : * in die malórum protéxit me, in abſcóndito tabernáculi ſui.

In petra exaltávit me : * & nunc exaltávit caput meum ſuper inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóſtiam vociferatiónis: * cantabo, & pſalmum dicam Dómino.

Diviſio Pſalmi 26.

EXaúdi, Dómine, vocem meam quâ clamávi ad te; * miſerére meî, & exaúdi me.

Tibi dixit cor meum: Exquisívit te fácies mea: * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me; * ne declínes in ira à ſervo tuo.

Adjútor meus eſto, ne derelínquas me; * neque deſpícias me, Deus ſalutáris meus.

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me; * Dóminus autem aſſúmpſit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua; * & dírige me in ſémitam rectam, propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me: * quóniam inſurrexérunt in me teſtes iníqui, & mentíta eſt iníquitas ſibi.

Credo vidére bona Dómini, * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age, & confortétur cor tuum, * & ſúſtine Dóminū.

PSALMUS 84.

Iſraël è captivitate liberatus, adventum Redemptoris expoſcit.

BEnedixíſti, Dómine, terram tuam, * avertíſti captivitátem Jacob.

Remiſíſti iniquitátem plebis tuæ, * operuíſti ómnia peccáta eórum.

Mitigáſti omnem iram tuam; * avertíſti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus ſalutáris noſter, * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum iraſcéris nobis? * aut exténdes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérſus vivificábis nos, * & plebs tua lætábitur in te.

Oſténde nobis, Dómine, miſericórdiam tuam, * & ſalutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus, * quóniam loquétur pacem in plebem ſuam,

Et ſuper ſanctos ſuos, * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen propè timéntes eum ſalutáre ipsíus, * ut inhábitet glória in terra noſtra.

Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi, * juſtítia & pax oſculátæ ſunt.

Véritas de terra orta eſt, * & juſtítia de cœlo proſpéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem, * & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtítia ante eum ambulábit, * & ponet in via greſſus ſuos.

Ant. Panis Dei eſt, qui de cœlo deſcéndit, & dat vitam mundo. *Joan. 6. 33.*

℣. Guſtáte, & vidéte quóniam

quóniam ſuávis eſt Dóminus; ℟. Beátus vir qui ſperat in eo. *Pſ.* 33. 9.

Pater noſter, &c. *ut ſuprà.*

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Sacerdótes tui, Dómine, induántur juſtítiam; ℟. Et Sancti tui exúltent. *Pſal.* 131. 9.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. 4. A. Angelórum.

PSALMUS 20.

Eccleſia pro Chriſti Regis ſui victoriis gratias agit.

DOmine, in virtúte tua lætábitur rex; * & ſuper ſalutáre tuum exultábit veheménter.

Deſidérium cordis ejus tribuíſti ei, * & voluntáte labiórum ejus non fraudáſti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * poſuíſti in cápite ejus corónam de lápide pretióſo.

Vitam pétiit à te; * & tribuíſti ei longitúdinem diérum in séculum, & in séculum séculi.

Magna eſt glória ejus in ſalutári tuo: * glóriam & magnum decórem impónes ſuper eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in séculum séculi; * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo:

Quóniam rex ſperat in Dómino, * & in miſericórdia Altíſſimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui: * Dóminus in ira ſua conturbábit eos, & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes, * & ſemen eórum à filiis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mála; * cogitavérunt consília quæ non potuérunt ſtabilíre.

Quóniam pones eos dorſum; * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: * cantábimus & pſallémus virtútes tuas.

Ant. Angelórum eſcâ nutrivíſti pópulum tuum, Dómine. *Sap.* 16. 20.

Ant. 7. *d.* Parátum.

PSALMUS 71.

Chriſti regnum ſuper omnes gentes prænuntiatur.

DEus, judícium tuum regi da, * & juſtítiam tuam filio regis,

Judicáre pópulum tuum in juſtítia,* & paúperes tuos in judício.

Suſcípiant montes pacem pópulo,* & colles juſtítiam.

Judicábit paúperes pópuli, & ſalvos fáciet filios paúperum, * & humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum ſole, & ante lunam, * in generatióne & generatiónem.

Deſcéndet ſicut plúvia in

vellus, * & ſicut ſtillicídia ſtillántia ſuper terram.

Oriétur in diébus ejus juſtítia, & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari uſque ad mare, * & à flúmine uſque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes, * & inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharſis & ínſulæ múnera ófferent; * reges Arabum & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ; * omnes gentes sérvient ei:

Quia liberábit paúperem à poténte, * & paúperem cui non erat adjútor.

Parcet paúperi & ínopi, * & ánimas paúperum ſalvas fáciet.

Ex uſúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum; * & honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipſo ſemper; * totâ die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in ſummis móntium, ſuperextollétur ſuper Líbanum fructus ejus, * & florébunt de civitáte ſicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sécula; * ante ſolem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipſo *omnes tribus* terræ; * om-

nes gentes magnifi
eum.

Benedíctus Dóminu
Iſraël, * qui facit mi
ſolus.

Et benedíctum
majeſtátis ejus in æté
& replébitur majeſtá
omnis terra. * Fiat,

Ant. Parátum pan
cœlo præſtitíſti illi
labóre, omne delect
tum in ſe habéntem.
16. 20.

Ant. 2. D. Subſ

PSALMUS

Deus laudandus, ob
Salvatoris adveni
manifeſtationem.

CAntáte Dómino
ticum novum,
mirabília fecit.

Salvávit ſibi déxtera
& bráchium ſanctum

Notum fecit Dó
ſalutáre ſuum; * in
péctu géntium revelá
ſtítiam ſuam.

Recordátus eſt miſ
diæ ſuæ, * & veritá
dómui Iſraël.

Vidérunt omnes t
terræ * ſalutáre Dei

Jubiláte Deo, om
ra; * cantáte, & ex
& psállite.

Psállite Dómino in
ra, in cíthara & voc
mi, * in tubis duct
& voce tubæ córneæ

Jubiláte in conſpéct
gis Dómini; * mo
mare & plenitúdo ej
bis terrárum & qui h
in eo.

Flúmina plaudent manu, ſimul montes exultábunt à conſpéctu Dómini; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in juſtítia, * & pópulos in æquitáte.

Ant. Subſtántia tua dulcédinem tuam, quam in fílios habes, oſtendébat. *Sap.* 16. 21.

Ant. 8. G. Verè.

CANTICUM SALOMONIS.
Prov. c. 9. v. 1. ad 6.
Euchariſticum convivium typicè proponitur.

SApiéntia ædificávit ſibi domum, * excídit colúmnas ſeptem:

Immolávit víctimas ſuas, * míſcuit vinum, & propóſuit menſam ſuam:

Miſit ancíllas ſuas, ut vocárent ad arcem, * & ad mœ́nia civitátis:

Si quis eſt párvulus, véniat ad me; * & inſipiéntibus locúta eſt:

Veníte, comédite panem meum; * & bíbite vinum quod míſcui vobis.

Relínquite infántiam, & vívite, * & ambuláte per vias prudéntiæ.

Ant. Verè tu es Deus abſcónditus, Deus, Iſraël ſalvátor. *Iſ.* 45. 15.

Ant. 5. a. Nos credídimus.

PSALMUS 147.
Laudandus Deus, qui Eccleſiam ſuam adipe frumenti ſatiat.

LAuda, Jeruſalem, Dóminum, * lauda Deum tuum, Sion;

Quóniam confortávit ſeras portárum tuárum; * benedíxit fíliis tuis in te:

Qui póſuit fines tuos pacem; * & ádipe fruménti sátiat te:

Qui emíttit elóquium ſuum terræ; * velóciter currit ſermo ejus:

Qui dat nivem ſicut lanam, * nébulam ſicut cínerem ſpargit:

Mittit cryſtállum ſuam ſicut buccéllas; * ante fáciẽ frígoris ejus quis ſuſtinébit?

Emíttet verbum ſuum, & liquefáciet ea; * flabit ſpíritus ejus, & fluent aquæ:

Qui annúntiat verbum ſuum Jacob, * juſtítias & judícia ſua Iſraël.

Non fecit táliter omni natióni; * & judícia ſua non manifeſtávit eis.

Ant. Nos credídimus & cognóvimus, quia tu es Chriſtus Fílius Dei. *Joan.* 6. 70.

CAPITULUM. *Iſ.* 12. 6.

EXúlta & lauda, habitátio Sion, quia Magnus in médio tuî, Sanctus Iſraël.

HYMNUS.

SIc quos amáſti prótegis,
Ut, Chriſte, nunquam déſeras:
His tu propínas Sánguinem,
Et Corpus appónis cibum.

JAM non, ut olim fúlminans,
Percúlſa terres péctora:
Te temperátum nunc jubar
Noſtris adúmbrat ſénſibus.

QUI cuncta comples Númine,

Summóque nutu dírigis,
Throno refúlgens ígneo,
Hîc nube ſub denſa lates.

Ut nos ab aſtris éxules,
Cœlo redúcas pátrio,
Et ómnibus dites bonis,
Hîc ipſe pauper éxulas.

O si quis intùs éſurit,
Qualis parátur hîc cibus!
Si languet æger, hîc ſalus;
Si luget, hîc ſolátium.

Qui carne nos paſcis tuâ,
Sit laus tibi, Paſtor bone;
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.

Amen.

℣. Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea; ℟. Et lábiis exultatiónis laudábit os meum. *Pſal.* 62. 6.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. *g.* Consúrge, Dómine Deus, in réquiem tuam, tu & arca fortitúdinis tuæ: Sacerdótes tui, Dómine Deus, induántur ſalútem, & Sancti tui lætentur in bonis. 2. *Par.* 6. 41.

Suffragia habentur infrà poſt Completorium Sabbati.

AD PRIMAM.

Ant. 6. F. Qui ſitit.

PSALMUS 41.

In Deo ſperandum. Juſtus in domo Dei epulans, exultabit.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, * ità desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: * Quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei!

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie: Ubi eſt Deus tuus?

Hæc recordátus ſum, & effúdi in me ánimam meam: * quóniam tranſíbo in locum tabernáculi admirábilis, uſque ad domum Dei,

In voce exultatiónis & confeſſiónis, * ſonus epulántis.

Quare triſtis es, ánima mea? * & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi; * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Diviſio Pſalmi 41.

AD meípſum ánima mea conturbáta eſt: * proptéreà memor ero tuî de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abýſſus abýſſum invocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélſa tua, & fluctus tui * ſuper me tranſiérunt.

In die mandávit Dóminus miſericórdiam ſuam, & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ; * dicam Deo: Suſcéptor meus es.

Quare oblítus es meî? & quare contriſtátus incedo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur oſſa mea, * exprobravérunt mihi, qui tríbulant me, inimíci mei.

Dum dicunt mihi per ſingulos dies : * Ubi eſt Deus tuus ?

Quare triſtis es, ánima mea ? * & quare contúrbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi ; * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

PSALMUS 42.

In Deo ſperandum. Deo duce, ad altare ejus hilariter & confidenter introëundum.

JUdica me, Deus, & diſcérne cauſam meam de gente non ſancta ; * ab hómine iníquo & dolóſo érue me :

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea : * quare me repuliſti ? & quare triſtis incédo, dum affligit me inimícus ?

Emítte lucem tuam & veritátem tuam : * ipſa me deduxérunt, & adduxérunt in montem ſanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus : * quare triſtis es, ánima mea ? & quare contúrbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi ; * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ant. Qui ſitit, véniat ; & qui vult, accípiat aquam vitæ gratìs. *Apoc. 22. 17.*

CAPITULUM. *Iſ.* 55. 1.

OMnes ſitiéntes, veníte ad aquas ; & qui non habétis argéntum, properáte, émite & comédite : veníte, émite abſque argénto, & abſque ulla commutatióne, vinum & lac.

AD TERTIAM.

Ant. 5. a. Hic eſt.

PSALMUS 24.

Oratio pœnitentis, veniam à Deo poſcentis.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam : * Deus meus, in te confído.

Non erubéſcam, * neque irrídeant me inimíci mei.

Etenim univérſi qui ſúſtinent te, non confundéntur : * confundántur omnes iníqua agéntes ſupervácuè.

Vias tuas, Dómine, demónſtra mihi ; * & ſémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me, * quia tu es Deus ſalvátor meus, & te ſuſtínui totâ die.

Reminíſcere miſeratiónum tuárum, Dómine, * & miſericordiárum tuárum, quæ à ſéculo ſunt.

Delícta juventútis meæ, & ignorántias meas ne memíneris : * ſecúndùm miſericórdiam tuam meménto meî tu, propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus : * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget manſuétos in judício : * docébit mites vias ſuas.

Diviſio Pſalmi 24.

UNivérſæ viæ Dómini, miſericórdia & véritas, * requiréntibus teſtaméntum ejus & teſtimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo: * multum eſt enim.

Quis eſt homo qui timet Dóminum? * legem ſtátuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur; * & ſemen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum eſt Dóminus timéntibus eum; * & teſtaméntum ipsíus ut manifeſtétur illis.

Oculi mei ſemper ad Dóminum; * quóniam ipſe evéllet de laqueo pedes meos.

Réſpice in me, & miſerére meî; * quia únicus & pauper ſum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ ſunt: * de neceſſitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meã, & labórem meum, * & dimítte univérſa delícta mea.

Réſpice inimícos meos, quóniam multiplicáti ſunt, * & ódio iníquo odérunt me.

Cuſtódi ánimam meam, & érue me: * non erubéſcam, quóniam ſperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi, * quia ſuſtínui te.

Líbera; Deus, Iſraël, * ex ómnibus tribulatiónibus ſuis.

P S A L M U S 6[…]

Spes noſtra Deus, turri[…] titudinis à facie ini[…]

EXaúdi, Deus, d[…] catiónem meam, […] ténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad t[…] mávi, dum anxiarétu[…] meum; * in petra exa[…] me.

Deduxíſti me, qui[…] ctus es ſpes mea, * […] fortitúdinis à fácie ini[…]

Inhabitábo in tab[…] culo tuo in ſécula, * […] tegar in velaménto al[…] tuárum.

Quóniam tu, […] meus, exaudíſti orati[…] meam; * dedíſti ha[…] tátem timéntibus n[…] tuum.

Dies ſuper dies reg[…] jícies, * annos ejus […] in diem generatión[…] generatiónis.

Pérmanet in ætérnu[…] conſpéctu Dei: * m[…] córdiam & veritáten[…] quis requíret?

Sic pſalmum dican[…] mini tuo in ſéculum […] li, * ut reddam vot[…] de die in diem.

Ant. Hic eſt pa[…] cœlo deſcéndens; […] quis ex ipſo manducá[…] non moriátur. *Joan.*

C A P I T U L U M. I[…] 11. 26.

QUotieſcúmque m[…] cábitis panem h[…] & cálicem bibétis, m[…] Dómini annuntiábitis nec véniat.

℟. *breve.* Cálicem ſalutáris accípiam; * Et nomen Dómini invocábo. ℟. Cálicem. ℣. Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus. * Et. Glória Patri. ℟. Cálicem. *Pſ.* 115. 13. 14.

℣. Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, ℟. Et mirabília ejus fíliis hóminum. *Pſ.* 106. 31.

AD SEXTAM.

Ant. 1. a. Anima.

PSALMUS 80.

In Deo lætandum, qui cibat nos ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturat.

EXultáte Deo adjutóri noſtro, * jubiláte Deo Jacob.

Súmite pſalmum, & date týmpanum, * pſaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tubâ, * in insígni die ſolemnitátis veſtræ:

Quia præcéptum in Iſraël eſt, * & judícium Deo Jacob.

Teſtimónium in Joſeph póſuit illud, cùm exíret de terra Ægýpti: * linguam quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorſum ejus, * manus ejus in cóphino ſerviérunt.

Diviſio Pſalmi 80.

IN tribulatióne invocáſti me, & liberávi te; * exaudívi te in abſcóndito tempeſtátis, probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, & conteſtábor te: * *Iſraël, ſi* audíeris me, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum.

Ego enim ſum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægýpti, * diláta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam, * & Iſraël non inténdit mihi.

Et dimíſi eos ſecúndùm deſidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus ſuis.

Si pópulus meus audíſſet me, * Iſraël ſi in viis meis ambuláſſet,

Pro níhilo fórſitan inimícos eórum humiliáſſem, * & ſuper tribulántes eos miſíſſem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti ſunt ei; * & erit tempus eórum in ſécula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti; * & de petra, melle ſaturávit eos.

PSALMUS 83.

Æterna Dei tabernacula unicum juſti deſiderium.

QUàm diléćta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupíſcit, & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim paſſer invénit ſibi domum, * & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altária tua, Dómine virtútum, * Rex meus, & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine; * in sécula ſeculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus eſt auxílium abs te; * aſcenſiónes in corde ſuo diſpóſuit, in valle lacrymárum, in loco quem póſuit.

Etenim benedictiónem dabit legiſlátor, ibunt de virtúte in virtútem; * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exaúdi oratiónem meam, * aúribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noſter, áſpice, Deus, * & réſpice in fáciem Chriſti tui:

Quia mélior eſt dies una in átriis tuis, * ſuper míllia.

Elégi abjéctus eſſe in domo Dei mei, * magìs quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia miſericórdiam & veritátem díligit Deus, * grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui ſperat in te.

Ant. Anima pollúta quæ éderit de cárnibus hóſtiæ pacificórum, quæ obláta eſt Dómino, períbit de pópulis ſuis. *Levit.* 7. 20.

CAPITULUM. I. *Cor.* 10. 20. 21.

NOlo vos sócios fieri dæmoniórum. Non potéſtis cálicem Dómini bíbere, & cálicem dæmoniórum; non potéſtis menſæ Dómini partícipe[s] & menſæ dæmonióru[m]

℟. *breve.* Quis a[scendet] in montem Dómin[i] quis * Stabit in loco [sancto] ejus? ℟. Quis. ℣. [Inno]cens mánibus & [mundo] corde. * Stabit. Glór[ia]. Quis. *Pſ.* 23. 3. 4.

℣. Hæc eſt ge[neratio] quærentium eum, ℟. [Quæ]réntium fáciem Dei. *Pſ.* 23. 6.

AD NONA[M]

Ant. 4. f. Impoſſíb[ile]

PSALMUS

Chriſti ſacrificium p[...] acceptari plebs ejus [...]

EXaúdiat te Dómi[nus in] die tribulatiónis; [pro]tegat te nomen Dei J[acob].

Mittat tibi auxíliu[m de] Sancto, * & de Sion [tuea]tur te.

Memor ſit omnis ſ[acrifi]cii tui; * & holoca[uſtum] tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi ſecú[ndum] cor tuum, * & omn[e con]ſilium tuum confirme[t].

Lætábimur in ſ[alutari] tuo, * & in nómin[e Dei] noſtri magnificábimu[r].

Impleat Dóminus [omnes] petitiónes tuas; * [nunc] cognóvi quóniam ſ[alvum] fecit Dóminus Chr[iſtum] ſuum.

Exaúdiet illum de [cœlo] ſancto ſuo: * in pote[ntati]bus ſalus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, & [hi in] equis: * nos autem i[n no]mine Dómini Dei [noſtri] invocábimus.

Ipſi obligáti ſunt, & cecidérunt: * nos autem ſurréximus, & eréꝯi ſumus.

Dómine, ſalvum fac regem; * & exaúdi nos in die quâ invocavérimus te.

P S A L M U S 22.

Menſam in conſpectu noſtro paravit Deus.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convértit.

Dedúxit me ſuper sémitas juſtítiæ, * propter nomen ſuum.

Nam, & ſi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipſa me conſoláta ſunt.

Paráſti in conſpéctu meo menſam, * advérsùs eos qui tribulant me.

Impinguáſti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

Et miſericórdia tua ſubſequétur me,* ómnibus diébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

P S A L M U S 53.

Oratio juſti adversùs hoſtes animæ ſuæ.

DEus, in nómine tuo ſalvum me fac, * & in virtúte tua júdica me.

Deus, exaúdi oratiónem meam, * aúribus pércipe verba oris mei:

Quóniam aliéni inſurrexérunt advérsùm me, & fortes quæſiérunt ánimam meam, * & non propoſuérunt Deum ante conſpéctum ſuum.

Ecce enim Deus ádjuvat me, * & Dóminus ſuſcéptor eſt ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis, * & in veritáte tua diſpérde illos.

Voluntáriè ſacrificábo tibi; * & confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum eſt.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuíſti me, * & ſuper inimícos meos deſpéxit óculus meus.

Ant. Impoſsíbile eſt ſánguine taurórum & hircórum auférri peccáta. *Hebr.* 10. 4.

C A P I T U L U M. *Malach.* 1. 10. 11.

NOn eſt mihi volúntas in vobis, dicit Dóminus exercítuum, & munus non ſuſcípiam de manu veſtra: ab ortu enim ſolis, uſque ad occáſum, magnum eſt nomen meum in géntibus, & in omni loco ſacrificátur & offértur nómini meo oblátio munda.

℟. *breve.* Pane cœli * Saturávit eos. ℟. Pane. ℣. Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ. * Saturávit eos. Glória. ℟. Pane. *Pſ.* 104. 22. 41.

℣. Impinguáſti, Dómine, in óleo caput meum: ℟. Et calix meus inébrians quàm præclárus eſt! *Pſ.* 22. 5.

AD VESPERAS.

Ant. 8. G. Unus panis.

PSALMUS 115.

Calix ſalutaris accipiendus; vota Domino coram populo reddenda.

CRédidi, propter quod locútus ſum; * ego autem humiliátus ſum nimis.

Ego dixi in excéſſu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem ſalutáris accípiam, * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretióſa in conſpéctu Dómini mors ſanctórum ejus.

O Dómine, quia ego ſervus tuus, * ego ſervus tuus, & fílius ancíllæ tuæ.

Dirupíſti víncula mea: * tibi ſacrificábo hóſtiam laudis, & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conſpéctu omnis pópuli ejus; * in átriis domûs Dómini, in médio tuî, Jerúſalem.

Ant. Unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participámus. 1. *Cor.* 10. 17.

Ant. 1. *a.* Partícipes.

PSALMUS 125.

In Deo exultant fideles; quia magnificè cum eis egit.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion, * facti ſumus ſicut conſoláti.

Tunc replétum eſt gáudio os noſtrum, * & lingua noſtra exultatióne:

Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíſcum; * facti ſumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitátem noſtram, * ſicut torrens in auſtro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant & flebant, * mitténtes sémina ſua;

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portántes manípulos ſuos.

Ant. Partícipes Chriſti effécti ſumus, ſi tamen inítium ſubſtántiæ ejus uſque ad finem firmum retineámus. *Hebr.* 3. 14.

Ant. 3. *à.* Gaudeámus.

PSALMUS 127.

Chriſti & Eccleſiæ filii in circuitu menſæ Domini.

BEáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis, * beátus es, & benè tibi erit.

Uxor tua ſicut vitis abúndans, * in latéribus domûs tuæ.

Filii tui ſicut novéllæ olivárum, * in circúitu menſæ tuæ :

Ecce ſic benedicétur homo * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion ; * & vídeas bona Jerúſalem, ómnibus diébus vitæ tuæ ;

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem ſuper Iſraël.

Ant. Gaudeámus, & exultémus, & demus glóriam Deo ; quia venérunt núptiæ Agni. *Apoc.* 19. 7.

Ant. 5. a. Beáti.

PSALMUS 131.

Chriſtus promiſſus : per ipſum, Eccleſiam ſuam Deus inhabitat, pauperes ejus panibus ſaturat.

MEménto, Dómine, David, * & omnis manſuetúdinis ejus.

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob :

Si introíero in tabernáculum domûs meæ ; * ſi aſcéndero in lectum ſtrati mei ;

Si dédero ſomnum óculis meis, * & pálpebris meis dormitatiónem,

Et réquiem tempóribus meis, * donec invéniam locum Dómino, tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephráta, * invénimus eam in campis ſylvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus, * adorábimus in loco, ubi ſtetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam, * tu & arca ſanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur juſtítiam ; * & ſancti tui exúltent.

Propter David ſervum tuum, * non avértas fáciem Chriſti tui.

Ant. Beáti qui ad cœnam nuptiárum Agni vocáti ſunt. *Apoc.* 19. 9.

Ant. 2. D. Beáti.

Diviſio Pſalmi 131.

JUrávit Dóminus David veritátem, & non fruſtrábitur eam : * De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

Si cuſtodíerint filii tui teſtaméntum meum, * & teſtimónia mea hæc, quæ docébo eos :

Et filii eórum uſque in ſéculum * ſedébunt ſuper ſedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion ; * elégit eam in habitatiónem ſibi.

Hæc réquies mea in ſéculum séculi : * hîc habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam : * paúperes ejus ſaturábo pánibus :

Sacerdótes ejus índuam ſalutári : * & ſancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David ; * parávi lucérnam Chriſto meo.

Inimícos ejus índuam confuſióne : * ſuper ipſum autem efflorébit ſanctificátio mea.

Ant. Beáti qui lavant ſtolas ſuas in ſánguine Agni, ut ſit potéſtas eórum in ligno vitæ! *Apoc.* 22. 14.

CAPITULUM. *Rom.* 16. 17.

ROgo vos, fratres, ut obſervétis eos qui diſſenſiónes & offendícula, præter doctrínam quam vos didicíſtis, fáciunt, & declináte ab illis.

HYMNUS.

NOs, Chriſte, cernis díſſitos.
Fis arte mirâ próximus:
Et Córporis præſéntiâ,
Nobis benígnus júngeris.

QUOT gratiárum flúmina
Torréntis hîc inſtar fluunt!
Quæ non liquéſcant péctora,
Succénſa tantis ígnibus!

HOMO, tuméntes ábjice
Faſtus: latet velo Deus.
An, ipſe dum ſe déprimit,
Palam vidéri géſtias?

QUID! dum ſub arcto ſe Deus
Puſíllus orbe cóntrahit,
Tu, præda quondam vérmibus,
Pompam ſupérbus éxplicas!

O CHRISTE, neu rurſùm ſinas
Paráre nos tibi crucem,
Quos tanta per commércia
Mensâ beáſti cœlitûm.

QUI carne nos paſcis tuâ,
Sit laus tibi, Paſtor bone;
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempitérna sécula.
Amen.

℣. *Confirma* hoc, Deus, quod operátus es in nobis. ℟. A templo tuo in Jeruſalem. *Pſ.* 67. 29. 30.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Abſit à nobis hoc ſcelus, ut recedámus à Dómino, & ejus veſtígia relinquámus, extrúcto altári ad holocaúſta, & ſacrifícia, & víctimas offeréndas, præter altáre Dómini Dei noſtri. *Joſ.* 22. 29.

Suffragia habentur infrà poſt Completorium Sabbati.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 1. *g.* Ignis.

PSALMUS 15.

Deus in Chriſto pars calicis noſtri, nos cum Chriſto reſſuſcitabit.

COnſérva me, Dómine, quóniam ſperávi in te: * dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui ſunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ ſunt infirmitátes eórum; * póſteà acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de ſanguínibus; * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei: * tu es qui reſtítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris; * étenim hæréditas mea præclára eſt mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intellé-

ctum; * ínſuper & uſque ad noctem, increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conſpéctu meo ſemper; * quóniam à dextris eſt mihi ne commóvear:

Propter hoc lætátum eſt cor meum, & exultávit lingua mea: * ínſuper & caro mea requiéſcet in ſpe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno; * nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecíſti vias vitæ, adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua uſque in finem.

PSALMUS 23.

Quibus virtutibus aſcendemus in cœlum cum Chriſto.

DOmini eſt terra, & plenitúdo ejus; * orbis terrárum, & univérſi qui hábitant in eo.

Quia ipſe ſuper mária fundávit eum, * & ſuper flúmina præparávit eum.

Quis aſcéndet in montem Dómini? * aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?

Innocens mánibus, & mundo corde; * qui non accépit in vano ánimam ſuam, nec jurávit in dolo próximo ſuo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * & miſericórdiam à Deo ſalutári ſuo.

Hæc eſt generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, veſtras; & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, veſtras; & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipſe eſt Rex glóriæ.

PSALMUS 149.

Laudandus Deus, qui exaltabit manſuetos in ſalutem.

CAntáte Dómino cánticum novum; * laus ejus in ecclésia ſanctórum.

Lætétur Iſraël in eo qui fecit eum; * & filii Sion exúltent in Rege ſuo.

Laudent nomen ejus in choro; * in týmpano & pſaltério pſallant ei;

Quia beneplácitum eſt Dómino in pópulo ſuo; * & exaltábit manſuétos in ſalútem.

Exultábunt ſancti in glória, * lætabúntur in cubílibus ſuis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum; * & gládii ancípites in mánibus eórum,

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis;

Ad alligándos reges eórum in compédibus, * & nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium

conſcríptum: * glória hæc eſt ómnibus ſanctis ejus.

Ant. Ignis in altári ſemper ardébit, quem nútriet ſacérdos. *Levit.* 6. 12.

Hymnus. Grates, peráćto jam die, &c. *infrà.*

CAPITULUM. *Exod.* 29. 42.

SAcrifícium eſt Dómino, oblatióne perpétuâ, in generatiónes veſtras.

℟. *breve.* In manus, *infrà.*

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 5. c. Sit Dóminus Deus noſter nobíſcum, ſicut fuit cum pátribus noſtris, non derelínquens nos neque projíciens. 3. *Reg.* 8. 57.

Preces & Oratio, infrà.

FERIA SEXTA,
AD OFFIC. NOCTURN.

Invitatorium. Redemptórem noſtrum Dóminum, * Veníte, adorémus. *Iſ.* 47. 4.

Pſalmus, Veníte. *p.* 2.

HYMNUS.

O MIRA Patris cáritas!
Sic ille diléxit ſuos,
Ut ſpontè Natum tráderet;
Servi fit obſes Fílius.

SPLENDORIS ímmemor ſui,
Noſtræ ſalútis fit memor:
Ut nos in altum próvehat,
Ad ima deſcéndit Deus.

PER mille fuſum vúlnera
Totum dat orbi sánguinem.
Hoc fonte naſcens grátia,
Terras inúndans éxpiat.

DUM cæſa tortóris manu
Procúmbit inſons víćtima,
Hanc ímmolat cœlo Pater,
Hanc maćtat in terris amor.

QUI nos creávit, laus Patri,
Qui nos redémit, Fílio;
Fovens redémptos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 4. f. Deus.

PSALMUS 51.

Impios manet interitus; Juſtos, gloria.

QUid gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte?

Totâ die injuſtítiam cogitávit lingua tua: * ſicut novácula acúta fecíſti dolum.

Dilexíſti malítiam ſuper benignitátem, * iniquitátem magìs quàm loqui æquitátem.

Dilexíſti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolóſa.

Proptéreà Deus déſtruet te in finem: * evéllet te, & emigrábit te de tabernáculo tuo, & radícem tuam de terra vivéntium.

Vidébunt juſti, & timébunt, & ſuper eum ridébunt, & dicent: * Ecce homo, qui non póſuit Deum adjutórem ſuum:

Sed ſperávit in multitúdine divitiárum ſuárum; * & præváluit in vanitáte ſua.

Ego autem, ſicut oliva fructífera in domo Dei, * ſperávi in miſericórdia Dei in ætérnum, & in ſéculum ſéculi.

Confitébor tibi in ſéculum, quia fecíſti: * & ex

pectábo nomen tuum, quóniam bonum eſt in conſpéctu ſanctórum tuórum.

PSALMUS 54.

Juſtus ab iniquis vexatus, & ab ipſis familiaribus ſuis maledictus, in Deo ſpem ſuam ponit.

EXaúdi, Deus, oratiónem meam, & ne deſpéxeris deprecatiónem meam: * inténde mihi, & exaúdi me.

Contriſtátus ſum in exercitatióne mea: * & conturbátus ſum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes: * & in ira moléſti erant mihi.

Cor meum conturbátum eſt in me: * & formído mortis cécidit ſuper me.

Timor & tremor venérunt ſuper me: * & contexérunt me ténebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas ſicut colúmbæ? * & volábo, & requiéſcam.

Ecce elongávi fúgiens; * & manſi in ſolitúdine.

Expectábam eum, qui ſalvum me fecit à puſillanimitáte ſpíritûs, * & tempeſtáte.

Præcípita, Dómine, dívide linguas eórum: * quóniam vidi iniquitátem, & contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam ſuper muros ejus iníquitas: * & labor in médio ejus, & injuſtítia.

Et non defécit de platéis ejus * uſúra & dolus.

Quóniam ſi inimícus meus maledixíſſet mihi, * ſuſtinuíſſem útique.

Et ſi is qui óderat me, ſuper me magna locútus fuíſſet, * abſcondíſſem me fórſitan ab eo.

Tu verò, homo unánimis, * dux meus, & notus meus,

Qui ſimul mecum dulces capiébas cibos: * in domo Dei ambulávimus cum conſénſu.

Véniat mors ſuper illos; * & deſcéndant in inférnum vivéntes:

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi: * & Dóminus ſalvábit me.

Diviſio Pſalmi 54.

VEſpere, & manè, & merídie narrábo, & annuntiábo; * & exaúdiet [Dóminus] vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropínquant mihi; * quóniam inter multos erant mecum.

Exaúdiet Deus, & humiliábit illos, * qui eſt ante ſécula.

Non enim eſt illis commutátio, & non timuérunt Deum; * exténdit manum ſuam in retribuéndo.

Contaminavérunt teſtaméntum ejus, divíſi ſunt ab ira vultûs ejus: * & appropinquávit cor illíus.

Mollíti ſunt ſermónes ejus

ſuper óleum: * & ipſi ſunt jácula.

Jacta ſuper Dóminum curam tuam, & ipſe te enútriet: * non dabit in ætérnum fluctuatiónem juſto.

Tu verò, Deus, dedúces eos * in púteum intéritûs.

Viri ſánguinum, & dolóſi non dimidiábunt dies ſuos: * ego autem ſperábo in te, Dómine.

Ant. Deus erat in Chriſto, mundum reconcílians ſibi. 2. *Cor.* 5. 19.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Chriſtus.

PSALMUS 63.

Anima fidelis Dei juſtitiam contra calumniatores deprecatur.

EXaúdi, Deus, oratiónem meam, cùm déprecor: * à timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexíſti me à convéntu malignántium, * à multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas ſuas: * intendérunt arcum rem amáram, ut ſagíttent in occúltis immaculátum.

Súbitò ſagittábunt eum, & non timébunt, * firmavérunt ſibi ſermónem nequam.

Narravérunt ut abſcónderent láqueos, * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti ſunt iniquitátes: * defecérunt ſcrutántes ſcrutínio.

Accédet homo ad cor al-tum: * & exaltábitur Deus

Sagíttæ parvulórum factæ ſunt plagæ eórum: * & infirmátæ ſunt contra eo linguæ eórum.

Conturbáti ſunt omne qui vidébant eos: * & ti muit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópe Dei: * & facta ejus intel lexérunt.

Lætábitur juſtus in Dó mino, & ſperábit in eo; & laudabúntur omnes re cti corde.

PSALMUS 87.

Juſtus ab inimicis vexatu & ab amicis derelictus ſe Deo commendat.

DOmine Deus ſalút meæ, * in die clama vi, & nocte coram te.

Intret in conſpéctu tu orátio mea, * inclína au rem tuam ad precem mean

Quia repléta eſt mal ánima mea, * & vita me inférno appropinquávit.

Æſtimátus ſum cum de cendéntibus in lacum; factus ſum ſicut homo ſir adjutório, inter mórtue liber;

Sicut vulneráti dormién tes in ſepúlcris, quoru non es memor ámpliùs; & ipſi de manu tua repúl ſunt.

Poſuérunt me in lacu in ferióri, * in tenebróſis, in umbra mortis.

Super me confirmátus e furor tuus, * & omn fluctus tuos induxíſti ſup me.

Longè fecíſti notos meos à me, * poſuérunt me abominatiónem ſibi.

Tráditus ſum, & non egrediébar, * óculi mei languérunt præ inópia.

Diviſio Pſalmi 87.

CLamávi ad te, Dómine, totâ die; * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília? * aut médici ſuſcitábunt, & confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in ſepúlcro miſericórdiam tuam, * & veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoſcéntur in ténebris mirabília tua, * & juſtítia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi; * & manè orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis oratiónem meam? * avértis fáciem tuam à me?

Pauper ſum ego, & in labóribus à juventúte mea; * exaltátus autem humiliátus ſum, & conturbátus.

In me tranſiérunt iræ tuæ; * & terróres tui conturbavérunt me:

Circumdedérunt me ſicut aqua totâ die, * circumdedérunt me ſimul.

Elongáſti à me amícum & próximum, * & notos meos à miſéria.

Ant. Chriſtus diléxit Eccléſiam, & ſeipſum trádidit pro ea. *Eph.* 5. 25.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. *D.* Pro peccátis.

PSALMUS 68.

Chriſti orantis in monte Oliveti agonia, & alia paſſionis ejus circumſtantia.

SAlvum me fac, Deus; * quóniam intravérunt aquæ uſque ad ánimam meam.

Infíxus ſum in limo profúndi: * & non eſt ſubſtántia.

Veni in altitúdinem maris; * & tempéſtas demérſit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ: * defecérunt óculi mei, dum ſpero in Deum meum.

Multiplicáti ſunt ſuper capíllos cápitis mei, * qui odérunt me gratìs.

Confortáti ſunt, qui perſecúti ſunt me inimíci mei injúſtè: * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus, tu ſcis inſipiéntiam meam: * & delícta mea à te non ſunt abſcóndita.

Non erubéſcant in me qui expéctant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur ſuper me, * qui quærunt te, Deus Iſraël.

Quóniam propter te ſuſtínui oppróbrium; * opéruit confúſio fáciem meam.

Extráneus factus ſum frátribus meis, * & peregrínus fíliis matris meæ.

Quóniam zelus domûs tuæ comédit me; * & op-

próbria exprobrántium tibi cecidérunt ſuper me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam,* & factum eſt in oppróbrium mihi.

Et póſui veſtiméntum meum cilícium, * & factus ſum illis in parábolam.

Advérsùm me loquebántur qui ſedébant in porta, * & in me pſallébant qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meã ad te, Dómine: * tempus beneplácitì, Deus.

In multitúdine miſericórdiæ tuæ exaúdi me, * in veritáte ſalútis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infigar: * líbera me ab iis qui odérùnt me, & de profúndis aquárum.

Non me demérgat tempéſtas aquæ, neque abſórbeat me profúndum, * neque úrgeat ſuper me púteus os ſuum.

Diviſio Pſalmi 68.

EXaúdi me, Dómine, quóniam benígna eſt miſericórdia tua; * ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum réſpice in me.

Et ne avértas fáciem tuam à púero tuo; * quóniam tríbulor, velóciter exaúdi me.

Inténde ánimæ meæ, & líbera eam; * propter inimícos meos éripe me.

Tu ſcis impropérium meum, & confuſiónem meam, * & reveréntiam meam.

In conſpéctu tuo ſunt omnes qui tríbulant me: * impropérium expectávit cor meum, & miſériam,

Et ſuſtínui qui ſimul contriſtarétur, & non fuit; * & qui conſolarétur, & non invéni.

Et dedérunt in eſcam meam fel; * & in ſiti mea, potavérunt me acéto.

Fiat menſa eórum coram ipſis in láqueum, * & in retributiónes, & in ſcándalum.

Obſcuréntur óculi eórum ne vídeant, * & dorſum eórum ſemper incúrva.

Effúnde ſuper eos iram tuam, * & furor iræ tuæ comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum deſérta, * & in tabernáculis eórum non ſit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percuſſiſti, perſecúti ſunt; * & ſuper dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem ſuper iniquitátem eórum; * & non intrent in juſtítiam tuam.

Deleántur de libro vivéntium, * & cum juſtis non ſcribántur.

Altera diviſio Pſal. 68.

EGo ſum pauper & dolens: * ſalus tua, Deus, ſuſcépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico, * & magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo ſuper vítulum novéllum, * cór-

nua producéntem & úngulas.

Vídeant paúperes, & lætér ntur: * quærite Deum, & vivet ánima veſtra:

Quóniam exaudívit paúperes Dóminus: * & vinctos ſuos non deſpéxit.

Laudent illum cœli & terra, * mare & ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus ſalvam fáciet Sion, * & ædificabúntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi, * & hæreditáte acquírent eam.

Et ſemen ſervórum ejus poſſidébit eam, * & qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Ant. Pro peccátis noſtris mórtuus eſt, juſtus pro injúſtis. 1. *Petr.* 3. 18.

℣. Redemptiónem miſit Dóminus ℟. Pópulo ſuo. *Pſ.* 110. 9.

Pater noſter, &c. *ut ſuprà.*

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Exultábunt lábia mea, Dómine, cùm cantávero tibi, ℟. Et ánima mea quam redemíſti. *Pſ.* 70. 23.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. 2. D. Dómine.

PSALMUS 69.

Chriſtus pro nobis patiens, ſibi pro nobis opem precatur.

DEus, in adjutórium meum inténde; * Dómine, ad adjuvándum me feſtína.

Confundántur & revereántur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórsùm & erubéſcant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur ſtatim erubeſcéntes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent & læténtur in te omnes qui quærunt te; * & dicant ſemper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt ſalutáre tuum.

Ego verò egénus & pauper ſum; * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus, & liberátor meus es tu; * Dómine, ne moréris.

Ant. Dómine, Deus noſter, poſſedérunt nos dómini abſque te: tantùm in te recordémur nóminis tui. *Iſ.* 26. 13.

Ant. 5. a. Ne deſpícias.

PSALMUS 70.

Caput Eccleſiæ Chriſtus pro ipſa adversùs impios auxilium poſtulat.

IN te, Dómine, ſperávi, non confúndar in ætérnum: * in juſtítia tua líbera me, & éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * & ſalva me.

Eſto mihi in Deum protectórem, & in locum munítum; * ut ſalvum me fácias;

Quóniam firmaméntum meum, * & refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * & de

manu contra legem agéntis, & iníqui;

Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine: * Dómine, ſpes mea à juventúte mea.

In te confirmátus ſum ex útero; de ventre matris meæ tu es protéctor meus; * in te cantátio mea ſemper.

Tanquam prodígium factus ſum multis, * & tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, * ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore ſenectútis; * cùm defécerit virtus mea, ne derelínquas me.

Quia dixérunt inimíci mei mihi; * & qui cuſtodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum,

Dicéntes: Deus derelíquit eum, perſequímini, & comprehéndite eum; * quia non eſt qui erípiat.

Deus, ne elongéris à me; * Deus meus, in auxílium meum réſpice.

Confundántur, & defíciant detrahéntes ánimæ meæ; * operiántur confuſióne & pudóre, qui quærunt mala mihi.

Ego autem ſemper ſperábo; * & adjíciam ſuper omnem laudem tuam.

Ant. Ne deſpícias, Dómine, partem tuam, quam redemíſti tibi. *Eſth.* 13. 16.

Ant. 1. *a.* Salva nos.

Diviſio Pſalmi 70.

OS meum annuntiábit juſtítiam tuam, [Dómine], * totâ die ſalutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini; * Dómine, memorábor juſtítiæ tuæ ſolíus.

Deus, docuíſti me à juventúte mea; * & uſque nunc pronuntiábo mirabília tua.

Et uſque in ſenéctam & sénium, * Deus, ne derelínquas me;

Donec annúntiem bráchium tuum * generatióni omni quæ ventúra eſt,

Poténtiam tuam, & juſtítiam tuam, Deus, uſque in altíſſima, quæ feciſti magnália: * Deus, quis ſímilis tibi?

Quantas oſtendíſti mihi tribulatiónes multas & malas, * & convérſus vivificáſti me, & de abýſſis terræ íterum reduxíſti me!

Multiplicáſti magnificéntiam tuam, * & convérſus conſolátus es me.

Nam & ego confitébor tibi in vaſis pſalmi veritátem tuam, Deus; * pſallam tibi in cíthara, Sanctus Iſraël.

Exultábunt lábia mea cùm cantávero tibi, * & ánima mea quam redemíſti.

Sed & lingua mea totâ die meditábitur juſtítiam tuã, * cùm confúſi & revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Ant. Salva nos, Deus ſalvátor noſter, & cóngrega nos. 1. *Par.* 16. 35.

Ant. 3. c. Tu, Dómine.

CANTICUM HABACUC. *c.* 3. *v.* 1. *ad finem.*

Prophetia de Chriſti & Eccleſiæ paſſionibus & victoriis.

DOmine, audívi auditiónem tuam; * & tímui.

Dómine, opus tuum * in médio annórum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies: * cùm irátus fueris, miſericórdiæ recordáberis.

Deus ab Auſtro véniet, * & Sanctus de monte Pharan.

Opéruit cœlos glória ejus; * & laudis ejus plena eſt terra.

Splendor ejus ut lux erit, * córnua in mánibus ejus.

Ibi abſcóndita eſt fortitúdo ejus: * ante fáciem ejus ibit mors;

Et egrediétur diábolus ante pedes ejus: * ſtetit, & menſus eſt terram.

Aſpéxit & diſsólvit gentes: * & contríti ſunt montes séculi.

Incurváti ſunt colles mundi * ab itinéribus æternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ: * turbabúntur pelles terræ Mádian.

Numquid in flumínibus irátus es, Dómine? * aut in flumínibus furor tuus? vel in mari indignátio tua?

Qui aſcéndes ſuper equos tuos, * & quadrígæ tuæ ſalvátio.

Súſcitans ſuſcitábis arcum tuum, * juraménta tríbubus, quæ locútus es.

Flúvios ſcindes terræ, vidérunt te, & doluérunt montes; * gurges aquárum tránſiit.

Dedit abyſſus vocem ſuam; * altitúdo manus ſuas levávit.

Sol & luna ſtetérunt in habitáculo ſuo; * in luce ſagittárum tuárum ibunt, in ſplendóre fulgurántis haſtæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram; * & in furóre obſtupefácies gentes.

Egréſſus es in ſalútem pópuli tui, * in ſalútem cum Chriſto tuo.

Percuſsíſti caput de domo ímpii; * denudáſti fundaméntum ejus, uſque ad collum.

Maledixíſti ſceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, * veniéntibus ut turbo, ad diſpergéndum me.

Exultátio eórum, * ſicut ejus qui dévorat paúperem in abſcóndito.

Viam fecíſti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

Audívi, & conturbátus eſt venter meus; * à voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óſſibus meis, * & ſubter me ſcáteat.

Ut requiéſcam in die tribu-

latiónis; * ut aſcéndam ad pópulum accínctum noſtrũ.

Ficus enim non florébit; * & non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívæ; * & arva non áfferent cibum.

Abſcindétur de ovíli pecus; * & non erit arméntum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo, * & exultábo in Deo Jeſu meo.

Deus Dóminus fortitúdo mea; * & ponet pedes meos quaſi cervórum;

Et ſuper excélſa mea dedúcet me victor * in pſalmis canéntem.

Ant. Tu, Dómine, Pater noſter, Redémptor noſter; à século nomen tuum. *Iſ.* 63. 16.

Ant. 6. F. Ipſi.

PSALMUS 145.

Laudandus Deus, qui facit judicium injuriam patientibus.

LAuda, ánima mea, Dóminum; * laudábo Dóminum in vita mea, pſallam Deo meo quándiu fuero.

Nolíte confídere in princípibus, * in filiis hóminum, in quibus non eſt ſalus.

Exíbit ſpíritus ejus, & revertétur in terram ſuã; * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, ſpes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum & terram, mare & ómnia quæ in eis ſunt:

Qui cuſtódit veritátem in séculum, facit ju[...] injúriam patiéntibus, [...] eſcam eſuriéntibus.

Dóminus ſolvit [...] dítos; * Dóminus [...] nat cœcos:

Dóminus érigit e[...] Dóminus díligit juſt[...]

Dóminus cuſtódi[...] nas; pupíllum & [...] ſuſcípiet, * & vias [...] tórum diſpérdet.

Regnábit Dóminu[...] cula; * Deus tuus [...] in generatiónem & [...] tiónem.

Ant. Ipſi ſervi tui [...] pulus tuus, quos re[...] in fortitúdine tua [...] 2. *Eſdr.* 1. 10.

CAPITULUM. 1. *Pet*[...] 14.

CAríſſimi, con[...] cántes Chriſti p[...] bus, gaudéte; ut & [...] velatióne glóriæ eju[...] deátis exultántes: ſi [...] brámini in nómine C[...] beáti éritis.

HYMNU[...]

QUICUMQUE d[...] cruci
Dei vides imág[...]
Simúlque diro cónſ[...]
Mucróne confóſſum [...]

AGNOSCE quanto [...]
Natúra læſa décidit:
Divínus en tanti cru[...]
Medéla ſola vúlneris.

NOS ergo Chriſ[...] nocens
Livóre ſanávit ſuo;
Noſtróſque languóre[...]
Ut lánguidis foret ſa[...]

QUI tanta paſſus es,[...]

Fac írritus non ſit labor;
Nec sánguinis fructum tui
Sinas nocéntes pérdere.
Qui nos creávit, laus Patri;
Qui nos redémit, Fílio;
Fovens redémptos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus. Amen.

℣. Hæc recordátus ſum; ℟. Et effúdi in me ánimam meam. *Pſ.* 41. 5.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. D. Redemíſti nos Deo in sánguine tuo, Dómine, ex omni tribu, & lingua, & pópulo, & natióne. *Apoc.* 5. 9.

Suffragia habentur infrà poſt Completorium Sabbati.

AD PRIMAM.

Ant 1. a. Trádidit.

PSALMUS 34.

Chriſtus pro nobis patiens, ab hoſtibus liberari deprecatur.

JUdica, Dómine, nocéntes me; * expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma & ſcutum: * & exúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam, & conclúde advérsùs eos qui perſequúntur me: * dic ánimæ meæ: Salus tua ego ſum.

Confundántur & reveréantur, * quæréntes ánimam meam.

Avertántur retrórsùm, & confundántur, * cogitántes mihi mala.

Fiant tanquam pulvis ante fáciem venti; * & ángelus Dómini coárctans eos.

Fiat via illórum ténebræ & lúbricum; * & ángelus Dómini pérſequens eos.

Quóniam gratis abſcondérunt mihi intéritum láquei ſui; * ſupervácuè exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus quem ignórat; & cáptio quam abſcóndit, apprehéndat eum; * & in láqueum cadat in ipſum.

Anima autem mea exultábit in Dómino, * & delectábitur ſuper ſalutári ſuo.

Omnia oſſa mea dicent: * Dómine, quis símilis tibi?

Erípiens inopem de manu fortiórum ejus, * egénum & paúperem à diripiéntibus eum.

Diviſio Pſalmi 34.

SUrgéntes teſtes iníqui, * quæ ignorábam, interrogábant me;

Retribuébant mihi mala pro bonis, * ſterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem, cùm mihi moléſti eſſent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam, * & orátio mea in ſinu meo convertétur.

Quaſi próximum & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacébam: * quaſi lugens & contriſtátus, ſic humiliábar.

Et advérsùm me lætáti ſunt, & convenérunt: * congregáta ſunt ſuper me flagélla, & ignorávi.

Diſſipáti ſunt, nec compúncti; tentavérunt me,

ſubſannavérunt me ſubſannatióne; * frenduérunt ſuper me déntibus ſuis.

Dómine, quandò reſpícies? * reſtítue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in eccléſia magna, * in pópulo gravi laudábo te.

Non ſupergaúdeant mihi qui adversántur mihi iníquè; * qui odérunt me gratis, & ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebántur; * & in iracúndia terræ loquéntes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt ſuper me os ſuum: dixérunt: Euge, euge; vidérunt óculi noſtri.

Vidíſti, Dómine, ne ſíleas; * Dómine, ne diſcédas à me.

Altera diviſio Pſal. 34.

EXúrge, & inténde judício meo; * Deus meus, & Dóminus meus in cauſam meam.

Júdica me ſecúndùm juſtítiam tuam, Dómine Deus meus; * & non ſupergaúdeant mihi.

Non dicant in córdibus ſuis: Euge, euge, ánimæ noſtræ: * nec dicant: Devorávimus eum.

Erubéſcant, & revereántur ſimul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confuſióne & reveréntiâ, * qui magna loquúntur ſuper me.

Exúltent & læténtur, qui volunt juſtítiam meam; * & dicant ſemper: Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem ſervi ejus.

Et lingua mea meditábitur juſtítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

Ant. Trádidit in mortem ánimam ſuam, & cum ſcelerátis reputátus eſt. *Iſ.* 53. 12.

CAPITULUM. *Hebr.* 12. 3. 4.

REcogitáte eum qui talem ſuſtínuit à peccatóribus advérsùm ſemetípſum contradictiónem; ut ne fatigémini ánimis veſtris deficiéntes: nondum enim uſque ad ſánguinem reſtitíſtis, advérsùs peccátum repugnántes.

AD TERTIAM.

Ant. 6. F. Vulnerátus eſt.

PSALMUS 25.

Anima fidelis ab iniquis vexata humilis apud Deum querela.

JUdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréſſus ſum; * & in Dómino ſperans non infirmábor.

Proba me, Dómine, & tenta me: * ure renes meos & cor meum.

Quóniam miſericórdia tua ante óculos meos eſt; * & complácui in veritáte tua.

Non ſedi cum concílio vanitátis; * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi eccléſiam malignántium; * & cum ímpiis non ſedébo.

Lavábo inter innocéntes manus meas; * & circúmdabo

...tum tuum, Dómino;
...diam vocem lau-
...enárrem univérſa
...tua.
...diléxi decó-
...tuæ, * & locum
...tis, glóriæ tuæ.
...das cum ímpiis,
...nimam meam; *
...iris ſánguinum vi-
...am,
...rum mánibus ini-
...unt; * déxtera eó-
...ta eſt munéribus.
...tem in innocéntia
...éſſus ſum: * rédi-
... miſerére mei.
...eus ſtetit in diré-
...in ecclésiis benedí-
Dómine.

...ALMUS 39.

...mortis & inferi
...Deo Patri pro ſe
...agit, pro ſuis
...is preces offert.

...tans expectávi Dó-
... * & inténdit mihi;
...dívit preces meas; *
... me de lacu misé-
...e luto fæcis.
...tuit ſuper petram
...eos; * & diréxit
...eos.
...míſit in os meum
... novum, * carmen
...ro.
...nt multi, & timé-
...& ſperábunt in Dó-

... vir cujus eſt nomen
... ſpes ejus; * &
...éxit in vanitátes,
...as falſas.
... fecíſti tu, Dómine
...us, mirabília tua: *

& cogitatiónibus tuis non eſt qui ſímilis ſit tibi.

Annuntiávi & locútus ſum: * multiplicáti ſunt ſuper númerum.

Sacrifícium & oblatiónem noluíſti: * aures autem perfeciſti mihi.

Holocauſtum, & pro peccáto non poſtuláſti: * tunc dixi: Ecce vénio.

In cápite libri ſcriptum eſt de me, ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus, vólui, & legem tuam in médio cordis mei.

Diviſio Pſalmi 39.

ANnuntiávi juſtítiam tuam in ecclésia magna: * ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu ſciſti.

Juſtítiam tuam non abſcóndi in corde meo: * veritátem tuam, & ſalutáre tuum dixi.

Non abſcóndi miſericórdiam tuam & veritátem tuam, * à concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longè fácias miſeratiónes tuas à me: * miſericórdia tua & véritas tua ſemper ſuſcepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala quorum non eſt númerus: * comprehendérunt me iniquitátes meæ, & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ ſunt ſuper capíllos cápitis mei, * & cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me; * Dómine, ad adjuvándum me réſpice.

Confundántur & revereán-

tur ſimul, qui quærunt ánimã meam, * ut aúferant eam.

Convertántur retrórsùm, & revereántur, * qui volunt mihi mala.

Ferant conféſtim confuſiónem ſuam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent & læténtur ſuper te omnes quæréntes te; * & dicant ſemper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt ſalutáre tuum.

Ego autem mendícus ſum & pauper: * Dóminus ſollícitus eſt meî.

Adjútor meus & protéctor meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

Ant. Vulnerátus eſt propter iniquitátes noſtras; attrítus eſt propter ſcélera noſtra. *Iſ.* 53. 5.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 6. 20.

EMpti eſtis prétio magno; glorificáte & portáte Deum in córpore veſtro.

℟. *breve.* Protéctor noſter, * Aſpice, Deus. ℟. Protéctor. ℣. Et réſpice in fáciem Chriſti tui. * Aſpice. Glória. ℟. Protéctor. *Pſ.* 83. 10.

℣. Memóriam fecit mirabílium ſuórum, ℟. Miséricors & miſerátor Dóminus. *Pſ.* 110. 4.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Póſuit.

PSALMUS 21.

Chriſtus in cruce, Patrem obſecrat, ut ſibi adſit.

DEus, Deus meus, réſpice in me, quare me dereliquíſti? * longè à ſalúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, & non exáudies; * & nocte, & non ad inſipiéntiam mihi.

Tu autem in Sancto hábitas, * Laus Iſraël.

In te ſperavérunt patres noſtri; * ſperavérunt, & liberáſti eos.

Ad te clamavérunt, & ſalvi facti ſunt: * in te ſperavérunt, & non ſunt confúſi.

Ego autem ſum vermis, & non homo; * oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, deriſérunt me; * locuti ſunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum; * ſalvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxíſti me de ventre, * ſpes mea ab ubéribus matris meæ:

In te projéctus ſum ex útero; * de ventre matris meæ, Deus meus es tu.

Diviſio Pſalmi 21.

NE diſceſſeris à me; * quóniam tribulátio próxima eſt, quóniam non eſt qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi; * tauri pingues obſedérunt me.

Aperuérunt ſuper me os ſuum, * ſicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúſus ſum; *

& diſpérſa ſunt ómnia oſſa mea.

Factum eſt cor meum tanquam cera liquéſcens, * in médio ventris mei.

Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhǽſit faúcibus meis: * & in púlverē mortis deduxíſti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos; * dinumeravérunt ómnia oſſa mea.

Ipſi verò conſideravérunt & inſpexérunt me: * divisérunt ſibi veſtiménta mea, & ſuper veſtem meam miſérunt ſortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me; * ad defenſiónem meam cónſpice.

Erue à frámea, Deus, ánimam meam, * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis, * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis; * in médio eccléſiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum; * univérſum ſemen Jacob, glorificáte eum; tímeat eum omne ſemen Iſraël:

Quóniam non ſprevit neque deſpéxit deprecatiónem paúperis, nec avértit fáciem ſuam à me; * & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Altera diviſio Pſal. 21.

Apud te laus mea in eccléſia magna; * vota mea reddam in conſpéctu timéntium eum.

Edent paúperes, & ſaturabúntur: & laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in séculum séculi.

Reminiſcéntur, & converténtur ad Dóminum * univérſi fines terræ:

Et adorábunt in conſpéctu ejus. * univérſæ famíliæ géntium.

Quóniam Dómini eſt regnum; * & ipſe dominábitur géntium.

Manducavérunt, & adoravérunt omnes pingues terræ: * in conſpéctu ejus cadent omnes qui deſcéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet; * & ſemen meum sérviet ipſi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: * & annuntiábunt cœli juſtítiam ejus pópulo qui naſcétur, quem fecit Dóminus.

Ant. Póſuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium noſtrûm. *Iſ.* 53. 6.

Capitulum. 1. *Petr.* 1. 18. 19.

Non corruptibílibus auro vel argénto redémpti eſtis de vana veſtrâ converſatióne patérnæ traditiónis, ſed pretióſo Sánguine quaſi Agni immaculáti Chriſti & incontamináti.

℟. *breve.* Apud Dóminum * Miſericórdia. ℟. Apud. ℣. Et copióſa apud eum redémptio. * Miſericórdia. Glória. ℟. Apud. *Pſ.* 129. 7.

℣. Speráte in eo, omnis congregátio pópuli; ℟. Effúndite coram illo corda veſtra. *Pſ.* 61. 9.

AD NONAM.

Ant. 7. *d.* Tanquam ovis.

PSALMUS 30.

Vox Chriſti morientis & ſpiritum ſuum Patri commendantis.

IN te, Dómine, ſperávi, non confúndar in ætérnum: * in juſtítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuã; * accélera ut éruas me.

Eſto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii, * ut ſalvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea & refúgium meum es tu; * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc quem abſcondérunt mihi; * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas commréndo ſpíritum meum; * redemíſti me, Dómine, Deus veritátis.

Odíſti obſervántes vanitátes * ſupervácuè.

Ego autem in Dómino ſperávi: * exultábo, & lætábor in miſericórdia tua;

Quóniam reſpexíſti humilitátem meam; * ſalváſti de neceſſitátibus ánimam meam.

Nec conclusíſti me in mánibus inimíci; * ſtatuíſti in loco ſpatióſo pedes meos.

Diviſio Pſalmi 30.

MIſerére meî, Dómine, quóniam tríbulor: * conturbátus eſt in ira óculus meus, ánima mea, & venter meus:

Quóniam defécit in dolóre vita mea, * & anni mei in gemítibus.

Infirmáta eſt in paupertáte virtus mea; * & oſſa mea conturbáta ſunt.

Super omnes inimícos meos factus ſum oppróbriũ, & vicínis meis valde; * & timor notis meis.

Qui vidébant me, * foràs fugérunt à me.

Oblivióni datus ſum tanquam mórtuus à corde; * factus ſum tanquam vas pérditum:

Quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu, in eo dum convenírent ſimul advérsùm me, * accípere ánimam meam conſiliáti ſunt.

Ego autem in te ſperávi, Dómine: * dixi: Deus meus es tu; in mánibus tuis ſortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * & à perſequéntibus me.

Illúſtra fáciem tuam ſuper ſervum tuum; * ſalvum me fac in miſericórdia tua.

Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te: * eru-

béſcant ímpii, & deducántur in inférnum.

Muta fiant lábia dolóſa,* qui loquúntur advérsùs juſtum iniquitátem, in ſupérbia & in abuſióne.

Altera diviſio Pſal. 30.

QUàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * quam abſcondíſti timéntibus te!

Perfecíſti eis qui ſperant in te, * in conſpéctu filiórum hóminum.

Abſcóndes eos in abſcóndito faciéi tuæ,* à conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo, * à contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus; * quóniam mirificávit miſericórdiam ſuam mihi in civitáte muníta.

Ego autem dixi in excéſſu mentis meæ: * Projéctus ſum à fácie oculórum tuórum.

Ideò exaudíſti vocem oratiónis meæ, * cùm clamárem ad te.

Dilígite Dóminum, omnes ſancti ejus; * quóniam veritátem requíret Dóminus, & retríbuet abundánter faciéntibus ſupérbiam.

Viríliter ágite, & confortétur cor veſtrum, * omnes qui ſperátis in Dómino.

Ant. Tanquam ovis ad occiſiónem ductus eſt; & ſicut agnus coram tondénte ſe, ſinè voce, ſic non apéruit os ſuum. *Act.* 8. 32.

CAPITULUM. *Hebr.* 13. 12. 13.

JEſus, ut ſanctificáret per ſuum ſánguinem pópulum, extra portam paſſus eſt. Exeámus igitur ad eum extra caſtra, impropérium ejus portántes.

℟. *breve.* In cápite libri* Scriptum eſt de me. ℟. In cápite. ℣. Ut fácerem voluntátem tuam. *Scriptum. Glória. ℟. In cápite. *Pſ.* 39. 8. 9.

℣. Deus meus, vólui, ℟. Et legem tuam in médio cordis mei. *Pſ.* 39. 9.

AD VESPERAS.

Ant. 7. d. Cùm.

PSALMUS 128.

Chriſti & Eccleſiæ prælia & victoriæ.

SÆpè expugnavérunt me à juventúte mea, * dicat nunc Iſraël;

Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea; * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorſum meum fabricavérunt peccatóres, * prolongavérunt iniquitátem ſuam.

Dóminus juſtus concídit cervíces peccatórum: * confundántur & convertántur retrórsùm omnes qui odérunt Sion.

Fiant ſicut fœnum tectórum, * quod priúſquàm evellátur, exáruit:

De quo non implévit manum ſuam qui metit, * & ſinum ſuum qui manípulos cólligit:

Et non dixérunt qui prætéribant: Benedíctio Dómi-

ni ſuper vos; * benediximus vobis in nómine Dómini.

Ant. Cùm adhuc peccatóres eſsémus, ſecúndùm tempus, Chriſtus pro nobis mórtuus eſt. *Rom.* 5. 8. 9.

Ant. 1. a. Próprio.

PSALMUS 129.

Oratio pœnitentis veniam à Deo per Chriſtum poſcentis.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exaúdi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris, Dómine, * Dómine, quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt; * & propter legem tuam ſuſtínui te, Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus; * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem, * ſperet Iſraël in Dómino.

Quia apud Dóminum miſericórdia; * & copióſa apud eum redémptio:

Et ipſe rédimet Iſraël * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Próprio Fílio ſuo non pepércit Deus: ſed pro nobis ómnibus, trádidit illum. *Rom.* 8. 32.

Ant. 2. D. Chriſtus.

PSALMUS 139.

Se ab improbis defendi precatur Eccleſia.

ERipe me, Dómine, ab hómine malo: * à viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde, * totâ die conſtituébant prǽlia:

Acuérunt linguas ſuas ſicut ſerpéntis; * venénum áſpidum ſub lábiis eórum.

Cuſtódi me, Dómine, de manu peccatóris, * & ab homínibus iníquis éripe me;

Qui cogitavérunt ſupplantáre greſſus meos, * abſcondérunt ſupérbi láqueum mihi;

Et funes extendérunt in láqueum; * juxta iter ſcándalum poſuérunt mihi.

Dixi Dómino: Deus meus es tu: * exaúdi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Ant. Chriſtus factus eſt nobis ſapiéntia à Deo, & juſtítia, & ſanctificátio, & redémptio. 1. *Cor.* 1. 30.

Ant. 3. c. Majórem.

Diviſio Pſalmi 139.

DOmine, Dómine, virtus ſalútis meæ, * obumbráſti ſuper caput meum in die belli.

Ne tradas me, Dómine, à deſidério meo peccatóri; * cogitavérunt contra me, ne derelínquas me, ne fortè exalténtur.

Caput circúitûs eórum, * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent ſuper eos carbónes, in ignem dejícies eos; * in miſériis non ſubsiſtent.

Vir linguóſus non dirigétur in terra; * virum injúſtum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dó-

ndícium ínopis, *
tam paûperum.
rtâmen juſti confi-
nómini tuo; * &
int recti cum vultu

Majórem hâc dile-
nemo habet, ut
ſuam ponat quis
is ſuis. Joan. 15. 13.
. G. Animam.
L M U S 141.
umanâ ope deſtitu-
d divinum confugit
um.
meâ ad Dóminum
návi:*voce meâ ad
m deprecátus ſum.
to in conſpéctu ejus
m meam; * & tri-
em meam ante ip-
núntio.
iciéndo ex me ſpíri-
m : * & tu cogno-
itas meas.
hac quâ ambulá-
abſcondérunt lá-
nihi.
lerábam ad déxte-
vidébam; * & non
cognóſceret me.
fuga à me; * & non
requírat ánimam

ivi ad te Dómine, *
i es ſpes mea, pór-
in terra vivén-

e ad deprecatiónem
* quia humiliátus
nis.
i me à perſequén-
; * quia confortáti
er me.
le cuſtódia ánimam

meam, ad confiténdum nómini tuo; * me expéctant juſti, donec retríbuas mihi.

Ant. Animam ſuam pro nobis póſuit: & nos debémus pro frátribus ánimas pónere. 1. *Joan.* 3. 16.

CAPITULUM. 1. *Petr.* 2. 20. 21.

SI benefaciéntes patiénter ſuſtinétis, hæc eſt grátia apud Deum; in hoc enim vocáti eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut ſequámini veſtígia ejus.

HYMNUS.

SPERATE, mortáles, gravi
Peccáta quos premunt jugo:
Qui Sanguis in terras fluit,
Veſtræ ſalútis pignus eſt.

DIVINA mundi Víctima,
Amándo non ſervas modum:
Cur totus it venis cruor?
Guttam dediſſe ſúfficit.

IMMENSUS hic amor jubet,
Suáſque dat leges tibi:
Hic ſolus impónit crucem,
Et crux amánti fit levis.

SIC ergo, Chriſte, nos amas!
Salváre ſic mundum juvat!
O ter beátum! cui licet
Tecum pati, tecum mori.

QUI nos creávit, laus Patri;
Qui nos redémit, Filio;
Fovens redémptos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Pérfice greſſus meos in ſémitis tuis, Dómine;
℟. Ut non moveántur veſtígia mea. *Pſ.* 16. 5.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. c. Si unus pro ómnibus mórtuus eſt, ergo omnes mórtui ſunt; & pro ómnibus mórtuus eſt Chriſtus; ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mórtuus eſt. 2. *Cor.* 5. 14. 15.

Suffragia habentur infrà poſt Completorium Sabbati.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 2. D. Quis.

PSALMUS 37.

Mala hujus vitæ ſuſtinenda, ad obtinendam peccatorum veniam.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me;

Quóniam ſagíttæ tuæ infixæ ſunt mihi, * & confirmáſti ſuper me manum tuam.

Non eſt sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ: * non eſt pax óſſibus meis à fácie peccatórum meórum:

Quóniam iniquitátes meæ ſupergréſſæ ſunt caput meum, * & ſicut onus grave, gravátæ ſunt ſuper me.

Putruérunt & corrúptæ ſunt cicatríces meæ, * à fácie inſipiéntiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvátus ſum uſque in finem, * totâ die contriſtátus ingrediébar:

Quóniam lumbi mei im*pléti ſunt illuſiónibus*; * & non eſt sánitas in carne mea.

Afflíctus ſum & humiliátus ſum nimis; * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne deſidérium meum, * & gémitus meus à te non eſt abſcónditus.

Cor meum conturbátum eſt, derelíquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipſum non eſt mecum.

Diviſio Pſalmi 37.

AMici mei & próximi mei * advérsùm me appropinquavérunt & ſtetérunt;

Et qui juxta me erant, de longè ſtetérunt; * & vim faciébant, qui quærébant ánimam meam;

Et qui inquirébant mala mihi, locúti ſunt vanitátes; * & dolos totâ die meditabántur.

Ego autem tanquam ſurdus non audiébam, * & ſicut mutus non apériens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non aúdiens, * & non habens in ore ſuo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, ſperávi; * tu exaúdies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequándo ſupergaúdeant mihi inimíci mei; * & dum commovéntur pedes mei, ſuper me magna locúti ſunt.

Quóniam ego in flagélla parátus ſum, * & dolor meus in conſpéctu meo ſemper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo, * & cogitábo pro peccáto meo:

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti ſunt ſuper me; * & multiplicáti ſunt, qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; * quóniam ſequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus, * ne diſcéſſeris à me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine, Deus ſalútis meæ.

PSALMUS 55.

Anima fidelis in Deo ſperans, nihil ab homine timet.

MIſerére meî, Deus, quóniam conculcávit me homo: * totâ die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die; * quóniam multi bellántes advérsùm me.

Ab altitúdine diéi timébo: * ego verò in te ſperábo.

In Deo laudábo ſermónes meos, in Deo ſperávi: * non timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabántur; * advérsùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt & abſcóndent: * ipſi calcáneum meum obſervábunt.

Sicut ſuſtinuérunt ánimam meam, pro níhilo ſalvos fácies illos: * in ira pópulos confrínges.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi; * poſuíſti lácrymas meas in conſpéctu tuo, ſicut & in promiſſióne tua.

Tunc converténtur inimíci mei retrórsùm: * in quacúmque die invocávero te, ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo ſermónem; * in Deo ſperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me ſunt, Deus, vota tua, quæ reddam, * laudatiónes tibi.

Quóniam eripuíſti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapſu; * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Ant. Quis ergo nos ſeparábit à caritáte Chriſti? *Rom.* 8. 35.

Hymnus. Grates, peráctо jam die. *infrà.*

CAPITULUM. 1. *Theſſ.* 5. 9. 10.

FRatres, non póſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitiónem ſalútis, per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui mórtuus eſt pro nobis.

℟. *breve.* In manus. *infrà.*

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 7. *d.* Si quis non amat Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anáthema. 1. *Cor.* 16. 22.

Preces & Oratio, infrà.

SABBATO,
AD OFFIC. NOCTURN.

Invitatorium. Dóminum, qui reddit juſtis mercédem labórum, * Veníte, adorémus. *Sap.* 10. 17.

Pſalmus, Veníte. *p.* 2.

HYMNUS.

RECENS ab Autóris manu
Primus parens mortálium,
Curis ſolútus ánxiis,
Dies agébat cándidos.

MOX, pœna peccáti, labor;
Cum patre natos óbruit;
Hinc terra, cultóris manu
Versánda, ſpinas prótulit.

OMNES dolóris filii,
Omnes labóri náſcimur:
Inter labóres vívimus,
Labóre vitam claúdimus.

AT non caret fructu labor
Factus medéla críminis;
Corpus domat, cor érigit,
Et munit ad cœlum viam.

QUI nos corónat, laus Patri;
Qui nos redémit, Filio;
Almâ juvans nos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Deus

PSALMUS 16.

Chriſti pro nobis patientis oratio cum ſpe reſurgendi.

EXaúdi, Dómine, juſtítiam meam; * inténde deprecatiónem meam.

Aúribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolóſis.

De vultu tuo judícium meum pródeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

Probáſti cor meum, & viſitáſti nocte: * igne me examináſti, & non eſt invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum, * propter verba labiórum tuórũ, ego cuſtodívi vias duras.

Pérfice greſſus meos in sémitis tuis, * ut non moveántur veſtígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudíſti me, Deus: * inclína aurem tuam mihi, & exaúdi verba mea.

Diviſio Pſalmi 16.

MIrífica miſericórdias tuas, [Dómine], * qui ſalvos facis ſperántes in te.

A reſiſténtibus déxteræ tuæ cuſtódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me, * à fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meã circumdedérunt, ádipem ſuum concluſérunt, * os eórum locútum eſt ſupérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me: * óculos ſuos ſtatuérunt declináre in terram.

Suſcepérunt me ſicut leo parátus ad prædam, * & ſicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exúrge, Dómine, prævéni eum, & ſupplánta

eum :* éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Dómine, à paucis de terra divide eos in vita eórum ; * de abſcónditis tuis adimplétus eſt venter eórũ.

Saturáti ſunt filiis : * & dimiſérunt relíquias ſuas párvulis ſuis.

Ego autem in juſtítia apparébo conſpéctui tuo : * ſatiábor, cùm apparúerit glória tua.

PSALMUS 35.

Impiorum malitia. Juſtitia Dei. Juſtorum gloria.

DIxit injúſtus, ut delínquat in ſemetípſo : * non eſt timor Dei ante óculos ejus.

Quóniam dolóſè egit in conſpéctu ejus;*ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas & dolus ; * nóluit intellígere ut benè ágeret.

Iniquitátem meditátus eſt in cubíli ſuo ; áſtitit omni viæ non bonæ ; * malítiam autem non odívit.

Dómine, in cœlo miſericórdia tua, * & véritas tua uſque ad nubes.

Juſtítia tua ſicut montes Dei : * judícia tua abýſſus multa.

Hómines & juménta ſalvábis, Dómine : * quèmádmodum multiplicáſti miſericórdiam tuam, Deus.

Fílii autem hóminum * in tégmine alárum tuárum ſperábunt :

Inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ ; * & torrénte voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te eſt fons vitæ ; * & in lúmine tuo vidébimus lumen.

Prætende miſericórdiam tuam ſciéntibus te, * & juſtítiam tuam his qui recto ſunt corde.

Non véniat mihi pes ſupérbiæ ; * & manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitátem ; * expúlſi ſunt, nec potuérunt ſtare.

Ant. Deus póſuit hóminem in paradíſo voluptátis, ut operarétur. *Gen.* 2. 15.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. D. Cuncti.

PSALMUS 57.

Chriſtus inimicorum ſuorum injuſtitiam arguit, & Dei vindictam in ipſos prænuntiat.

SI verè útique juſtítiam loquímini, * recta judicáte, filii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini in terra, * injuſtítias manus veſtræ concínnant.

Alienáti ſunt peccatóres à vulva, erravérunt ab útero, * locúti ſunt falſa.

Furor illis ſecúndùm ſimilitúdinem ſerpéntis, * ſicut áſpidis ſurdæ & obturántis aures ſuas,

Quæ non exaúdiet vocem incantántium, * & venéfici incantántis ſapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum ;* molas leónum confrínget Dóminus.

Ad níhilum devénient tanquam aqua decúrrens : * inténdit arcum ſuum, donec infirméntur.

Sicut cera quæ fluit, auferéntur : * ſupercécidit ignis ; & non vidérunt ſolem.

Priúſquàm intellígerent ſpinæ veſtræ rhamnum, * ſicut vivéntes, ſic in ira absórbet eos.

Lætábitur juſtus cùm víderit vindíctam ; * manus ſuas lavábit in sánguine peccatóris.

Et dicet homo : Si útique eſt fructus juſto, * útique eſt Deus júdicans eos in terra.

PSALMUS 142.

Oratio pœnitentis opem & miſericordiam Dei deprecantis.

DOmine, exaúdi oratiónem meam, áuribus pércipe obſecratiónem meam in veritáte tua, * exaúdi me in tua juſtítia ;

Et non intres in judícium cum ſervo tuo ; * quia non juſtificábitur in conſpéctu tuo omnis vivens ;

Quia perſecútus eſt inimícus ánimam meam, * humiliávit in terra vitam meam ;

Collocávit me in obſcúris ſicut mórtuos séculi ; * & anxiátus eſt ſuper me ſpíritus meus, in me turbátum eſt cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus ſum in ómnibus opéribus tuis, * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te ; * ánima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velóciter exaúdi me, Dómine ; * defécit ſpíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me : * & símilis ero deſcendéntibus in lacum.

Diviſio Pſalmi 142.

AUditam fac mihi manè miſericórdiam tuam, [Dómine] ; * quia in te ſperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem ; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine, ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam, * & in miſericórdia tua diſpérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam ; * quóniam ego ſervus tuus ſum.

Ant. Cuncti dies hóminis dolóribus & ærúmnis pleni ſunt. *Eccle.* 2. 23.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 3. c. Caro.

PSALMUS 38.

Hujus vitæ vanitas & miſeria. Divinum poſtulatur ſubſidium.

DIxi : Cuſtódiam vias meas, * ut non delínquam in lingua mea.

Póſui ori meo cuſtódiã, * cùm conſíſteret peccátor advérsùm me.

Obmútui, & humiliátus ſum, & ſílui à bonis : * & dolor meus renovátus eſt.

Concáluit cor meum intra me : * & in meditatióne mea exardéſcet ignis.

Locútus ſum in lingua mea : * Notum fac mihi, Dómine, finem meum,

Et númerum diérum meórum quis eſt ; * ut ſciam quid deſit mihi.

Ecce menſurábiles poſuíſti dies meos : * & ſubſtántia mea tanquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérſa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránſit homo : * ſed & fruſtrà conturbátur.

Theſaurízat, * & ignórat cui congregábit ea.

Et nunc, quæ eſt expectátio mea ? nónne Dóminus ? * & ſubſtántia mea apud te eſt.

Diviſio Pſalmi 38.

AB ómnibus iniquitátibus meis érue me, [Dómine] ; * oppróbrium inſipiénti dedíſti me.

Obmútui, & non apérui os meum, * quóniam tu fecíſti.

Amove à me plagas tuas ; * à fortitúdine manûs tuæ ego deféci, in increpatiónibus.

Propter iniquitátem corripuíſti hóminem, & tabéſcere fecíſti ſicut aráneam ánimam ejus : * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exaúdi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam ; * aúribus pércipe lácrymas meas.

Ne ſíleas, quóniam ádvena ego ſum apud te, & peregrínus, * ſicut omnes patres mei.

Remítte mihi, ut refrígerer priúſquàm ábeam, * & ámpliùs non ero.

PSALMUS 46.

Chriſtus Rex magnus ſuper omnem terram ; ipſi pſallendum.

OMnes gentes, plaúdite mánibus ; * jubiláte Deo, in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélſus, terríbilis, * Rex magnus ſuper omnem terrã.

Subjécit pópulos nobis, * & gentes ſub pédibus noſtris.

Elégit nobis hæreditátem ſuam, * ſpéciem Jacob, quam diléxit.

Aſcéndit Deus in júbilo, * & Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo noſtro, psállite : * psállite Regi noſtro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus; *pſállite ſapiénter.

Regnábit Deus ſuper gentes: * Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.

Príncipes populórum congregáti ſunt cum Deo Abraham; * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti ſunt.

Ant. Caro hóminis, dum vivet, dolébit; & ánima illius ſuper ſemetipſo lugébit. *Job.* 14. 22.

℣. Qui séminant in lácrymis, ℟. In exultatióne metent. *Pſ.* 125. 5.

Pater noſter, &c. *ut ſuprà.*

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotális.* Inclinávi cor meum, Dómine, ad faciéndas juſtificatiónes tuas in ætérnum, ℟. Propter retributiónem. *Pſ.* 118. 112.

Ant. 4. a. Magna.

PSALMUS 47.

Ecclеſia Dei fruſtrà impugnatur; Deus fundavit eam in æternum.

MAgnus Dóminus & laudábilis nimis, * in civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus.

Fundátur exultatióne univérſæ terræ mons Sion, látera Aquilónis, * cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoſcétur, * cum ſuſcípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti ſunt, * convenérunt in unum.

Ipſi vidéntes ſic a[...]
ſunt, conturbáti [...]
commóri ſunt; [...]

Tremor apprehén[...]
ibi dolóres ut part[...]

In ſpíritu vehem[...]
cónteres naves Th[...]

Sicut audívimus[...]
dimus in civitáte [...]
virtútum, in civit[...]
noſtri; * Deus fund[...]
in ætérnum.

Suſcépimus, Deus[...]
ricórdiam tuam, * [...]
templi tui.

Secúndum nomen[...]
Deus, ſic & laus t[...]
nes terræ: * juſtit[...]
eſt déxtera tua.

Lætétur mons [...]
exúltent fíliæ Judæ[...]
pter judícia tua. [...]

Circúmdate Si[...]
compléctimini eam[...]
ráte in túrribus eju[...]

Pónite corda v[...]
virtúte ejus, & di[...]
domos ejus, * ut [...]
in progénie áltera: [...]

Quóniam hic e[...]
Deus noſter in ætér[...]
in séculum séculi; [...]
get nos in sécula.

Ant. Magna ſunt [...]
tua, Dómine, & [...]
rabília verba tua. *S*[...]

Ant. 7. d. Quæ.

PSALMUS [...]

Deus in toto orbe [...]
ſtum cognoſcer[...]

DEus miſereátu[...]
& benedícat [...]
illúminet vultum [...]
per nos, & miſer[...]
ſtri;

Ut cognoſcámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus ſalutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur & exúltent gentes; * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum ſuum.

Benedícat nos Deus, Deus noſter, benedícat nos Deus; * & métuant eum omnes fines terræ.

Ant. Quæ de manu tua accépimus, Dómine, dédimus tibi. 1. *Par.* 29. 14.

Ant. 3. c. Quid eſt.

PSALMUS 86.

Eccleſiæ Dei dilatatio: ipſe fundavit eam Altiſſimus.

FUndaménta ejus in móntibus ſanctis: * díligit Dóminus portas Sion ſuper ómnia tabernácula Jacob.

Glorióſa dicta ſunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis * ſciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthiópum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo & homo natus eſt in ea: * & ipſe fundávit eam Altíſſimus?

Dóminus narrábit in ſcriptúris populórum & príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium * ómnium habitátio eſt in te.

Ant. Quid eſt homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? *Job.* 7. 17.

Ant. 2. *D.* Peregríni.

ALTERUM MOYSI CANTICUM. *Deut. c.* 32. *v.* 1. *ad* 43.

Populi ſui infidelitates, Deíque vindictas & miſerationes, prænuntiat.

AUdíte, cœli, quæ loquor; * áudiat terra verba oris mei.

Concréſcat ut plúvia doctrína mea; * fluat ut ros elóquium meum;

Quaſi imber ſuper herbam, * & quaſi ſtillæ ſuper grámina.

Quia nomen Dómini invocábo, * date magnificéntiam Deo noſtro.

Dei perfécta ſunt ópera, * & omnes viæ ejus judícia.

Deus fidélis & abſque ulla iniquitáte, * juſtus & rectus.

Peccavérunt ei, & non filii ejus, in sórdibus; * generátio prava atque pervérſa.

Hæccine reddis Dómino, * pópule ſtulte & insípiens?

Numquid non ipſe eſt Pater tuus, * qui poſsédit te, & fecit & creávit te?

Meménto diérum antiquórum, * cógita generatiónes síngulas:

Intérroga patrem tuum, & annuntiábit tibi; * majóres tuos, & dicent tibi:

Quando dividébat Altíſſimus gentes, * quando ſeparábat filios Adam,

Conſtítuit términos populórum, * juxta númerum filiórum Iſraël.

Pars autem Dómini pópulus ejus; * Jacob funículus hæreditátis ejus.

Invénit eum in terra desérta, * in loco horróris, & vaſtæ ſolitúdinis.

Circumdúxit eum, & dócuit, * & cuſtodívit quaſi pupíllam óculi ſui.

Sicut áquila próvocans ad volándum pullos ſuos, * & ſuper eos vólitans,

Expándit alas ſuas, & aſſúmpſit eum, * atque portávit in húmeris ſuis.

Dóminus ſolus dux ejus fuit; * & non erat cum eo deus aliénus.

Conſtítuit eum ſuper excélſam terram, * ut comédéret fructus agrórum,

Ut súgeret mel de petra, * oleúmque de ſaxo duríſſimo,

Bútyrum de arménto, & lac de óvibus, * cum ádipe agnórum & aríetum filiórum Baſan;

Et hircos cum medúlla trítici, * & sánguinem uvæ bíberet meracíſſimum.

Incraſſátus eſt diléctus, & recalcitrávit: * incraſſátus, impinguátus, dilatátus,

Derelíquit Deum factórem ſuum, * & recéſſit à Deo ſalutári ſuo.

Provocavérunt eum in diis aliénis, * & in abominatiónibus, ad iracúndiam concitavérunt.

Immolavérunt dæmóniis, & non Deo; * diis quos ignorábant.

Novi recentéſque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum qui te génuit, dereliquíſti, * & oblítus es Dómini Creatóris tui.

Vidit Dóminus, & ad iracúndiam concitátus eſt, * quia provocavérunt eum filii ſui & filiæ:

Et ait: Abſcóndam fáciem meam ab eis; * & conſiderábo noviſſima eórum;

Generátio enim pervérſa eſt, * & infidéles filii.

Ipſi me provocavérunt in eo qui non erat Deus, * & irritavérunt in vanitátibus ſuis:

Et ego provocábo eos in eo qui non eſt pópulus, * & in gente ſtulta irritábo illos.

Ignis ſuccénſus eſt in furóre meo, * & ardébit uſque ad inférni noviſſima:

Devorabítque terram cum gérmine ſuo, * & móntium fundaménta combúret.

Congregábo ſuper eos mala, * & ſagíttas meas complébo in eis.

Conſuméntur fame; * & devorábunt eos aves morſu amaríſſimo.

Dentes beſtiárum immíttam in eos, * cum furóre trahéntium ſuper terram, atque ſerpéntium.

Foris vaſtábit eos gládius, & intùs pavor, * júvenem ſimul ac vírginem, lacténtem cum hómine ſene.

Dixi: Ubinàm ſunt? * ceſsáre fáciam ex homínibus memóriam eórum:

Sed propter iram inimicórum díſtuli; * ne fortè ſuperbírent hoſtes eórum,

Et dícerent: Manus noſtra excélſa, * & non Dóminus, fecit hæc ómnia.

Gens abſque consílio eſt, & ſinè prudéntia: * útinàm ſáperent & intellígerent, ac noviſſima providérent.

Quómodo perſequátur unus mille, * & duo fugent decem míllia?

Nónne ideò, quia Deus ſuus véndidit eos, * & Dóminus conclúſit illos?

Non enim eſt Deus noſter ut dii eórum: * & inimíci noſtri ſunt júdices.

De vínea Sodomórum vínea eórum, * & de ſuburbánis Gomórrhæ:

Uva eórum uva fellis, * & botri amaríſſimi.

Fel dracónum vinum eórum, * & venénum áſpidum inſanábile.

Nónne hæc cóndita ſunt apud me, * & ſignáta in theſáuris meis?

Mea eſt últio, & ego retríbuam in témpore, * ut labátur pes eórum.

Juxtà eſt dies perditiónis, * & adéſſe feſtínant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum ſuum, * & in ſervis ſuis miſerébitur.

Vidébit quòd infirmáta ſit manus, * & clauſi quoque defecérunt, reſiduíque conſúmpti ſunt.

Et dicet: Ubi ſunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam?

De quorum víctimis comedébant ádipes, * & bibébant vinum libáminum?

Surgant, & opituléntur vobis, * & in neceſſitáte vos prótegant.

Vidéte quòd ego ſim ſolus, * & non ſit álius deus præter me:

Ego occídam, & ego vívere fáciam; percútiam, & ego ſanábo; * & non eſt qui de manu mea poſſit erúere.

Levábo ad cœlum manum meam; * & dicam: Vivo ego in ætérnum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * & arripúerit judícium manus mea,

Reddam ultiónem hóſtibus meis, * & his qui odérunt me, retríbuam:

Inebriábo ſagíttas meas ſánguine, * & gládius meus devorábit carnes,

De cruóre occiſórum, * & de captivitáte nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte, gentes, pópulum ejus, * quia ſánguinem ſervórum ſuórum ulciſcétur:

Et vindíctam retríbuet in hoſtes eórum; * & propítius erit terræ pópuli ſui.

Ant. Peregríni ſumus coram te, & advenæ, ſicut omnes patres noſtri. 1. *Par.* 29. 15.

Ant. 5. a. Ob hoc.

PSALMUS 116.

Miſericordia & veritas Dei in populum ſuum à gentibus laudanda.

LAudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli;

Quóniā confirmáta eſt ſuper nos miſericórdia ejus; * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Ant. Ob hoc quòd ómnium Dóminus es, ómnibus te párcere facis. *Sap.* 12. 16.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 9. 24.

NEſcítis quòd ii qui in ſtádio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus áccipit bravíum? ſic cúrrite, ut comprehendátis.

HYMNUS.

PUGNATE, Chriſti mílites,
Fortes fide reſíſtite;
Imménſa promíſit Deus
Pio labóri prǽmia.

NON ille fluxas ac leves
Palmas dabit vincéntibus;
Sed lucis ætérnæ decus,
Et pura ſemper gaúdia.

MENTES beátas éxcipit
Formóſa Cœlitûm domus:
Hîc turba, cœlis áltior,
Subjécta calcat ſídera.

HUC certa nos ſpes évocat:
Huc vota tendant ómnia:
Nec térreat brevis labor,
Ætérna quos merces
QUI nos [illegible]
Patri
Qui nos redémit, F
Almâ juvans nos grá
Sit par tibi laus, S
Amen.

℣. Dómine, qu
quiéſcet in monte
tuo? ℟. Qui ing
ſinè mácula, & o
juſtítiam. *Pſ.* 14. 1.

Ad Benedictus, *An*
Deus noſter, magn
tis & terríbilis, cuſ
pactum & miſericó
ne avértas à fácie
nem labórem qui
nos. 2. *Eſdr.* 9. 32.

Suffragia habent
poſt Completorium S

AD PRIM

Ant. 3. c. Quid p

PSALMUS

Chriſtus propter
nus, morti tradi
ſurrectionem ſua
& impetrat.

BEátus qui intélli
per egénum &
rem; * in die ma
rábit eum Dóminus

Dóminus consérv
& vivíficet eum, &
fáciat eum in terr
non tradat eum in
inimicórum ejus.

Dóminus opem
ſuper lectum dolóris
univérſum ſtratum
ſáſti in infirmitáte

Ego dixi: Dómi
ſerére meî; * ſana
meam, quia peccá

Inimíci mei dixér

la mihi ; * Quandò moriétur, & períbit nomen ejus ?

Et ſi ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur ; * cor ejus congregávit iniquitátem ſibi.

Egrediebátur forás, * & loquebátur in idípſum.

Advérsùm me ſuſurrábant omnes inimíci mei, * advérsùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum conſtituérunt advérsùm me : * numquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat ?

Etenim homo pacis meæ, in quò ſperávi, qui edébat panes meos, * magnificávit ſuper me ſupplantatiónẽ.

Tu autem, Dómine, miſerére meî, & resúſcita me ; * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluíſti me, * quóniam non gaudébit inimícus meus ſuper me.

Me autem propter innocéntiam ſuſcepíſti ; * & confirmáſti me in conſpéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Iſraël à século, & uſque in séculum. * Fiat, fiat.

PSALMUS 98.

Chriſti regnum ſuper omnes populos : ipſe eſt cui ſerviebant patres antiqui.

DOminus regnávit, iraſcántur pópuli ; * qui ſedet ſuper Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * & excélſus ſuper omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno, quóniam terríbile & ſanctum eſt : * & honor regis judícium díligit.

Tu paráſti directiónes, * judícium & juſtítiam in Jacob tu fecíſti.

Exaltáte Dóminum Deũ noſtrum ; * & adoráte ſcabéllum pedum ejus, quóniam ſanctum eſt.

Móyſes & Aaron in ſacerdótibus ejus, * & Sámuel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum ; & ipſe exaudiébat eos, * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Cuſtodiébant teſtimónia ejus, * & præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noſter, tu exaudiébas eos ; * Deus, tu propítius fuíſti eis, & ulcíſcens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deũ noſtrum, & adoráte in monte ſancto ejus ; * quóniam Sanctus Dóminus Deus noſter.

PSALMUS 107.

Chriſtus reſurrectionem ſuam, & regni ſui dilatationem prænuntiat.

PArátum cor meum, Deus, parátum cor meum ; * cantábo, & pſallam in glória mea.

Exúrge, glória mea, exúrge, pſaltérium & cíthara : * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & pſal-

lam tibi in natiónibus;

Quia magna est super cœlos misericórdia tua, * & usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos, Deus, * & super omnem terram glória tua.

Ut liberéntur dilécti tui, * salvum fac déxterâ tuâ; & exaúdi me.

Deus locútus est in Sancto suo: * Exultábo, & dívidam Síchimam; & convállem tabernaculórum dimétiar.

Meus est Gálaad, & meus est Manásses; * & Ephraïm suscéptio cápitis mei.

Juda rex meus; * Moab lebes spei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum: * mihi alienígenæ amíci facti sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nónne tu, Deus, qui repulísti nos? * & non exíbis, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne; * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem; * & ipse ad níhilum dedúcet inimícos nostros.

Ant. Quid prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ verò suæ detriméntum patiátur? *Matt. 16. 26.*

CAPITULUM. Pl
2. 12. 13.

CArissimi, cum m
tremóre vestra
lútem operámini; D
enim qui operátur in
& velle, & perfícer
bona voluntáte.

AD TERTI

Ant. 5. a. Qui te

PSALMUS

Christus morti tra
Patrem suum ora
dæis incredulis
sionem, regnúmqu
super gentes p
tians.

ERipe me de in
meis, Deus meu
ab insurgéntibus in
bera me.

Eripe me de oper
iniquitátem, * & d
sánguinum salva me.

Quia ecce cepéru
mam meam: * ir
in me fortes.

Neque iníquitas
neque peccátum m
Dómine: * sine ini
cucúrri, & diréxi.

Exúrge in occúrsu
& vide: * & tu
mine Deus virtútum
Israël,

Inténde ad vi
omnes gentes; * n
sereáris ómnibus, q
rántur iniquitátem.

Converténtur ad
ram, & famem p
ut canes; * & cir
civitátem.

Ecce loquéntur
suò, & gládius in

eórum : * quóniam quis audívit ?

Et tu, Dómine, deridébis eos : * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Diviſio Pſalmi 58.

Fortitúdinem meam ad te cuſtódiam, quia, Deus, ſuſcéptor meus es : * Deus meus, miſericórdia ejus prævéniet me.

Deus oſténdet mihi ſuper inimícos meos, ne occídas eos : * nequándo obliviſcántur pópuli mei.

Diſpérge illos in virtúte tua : * & depóne eos, protéctor meus Dómine.

Delíctum oris eórum, ſermónem labiórum ipsórum, * & comprehendántur in ſupérbia ſua.

Et de execratióne & mendácio annuntiabúntur in conſummatióne : * in ira conſummatiónis, & non erunt.

Et ſcient quia Deus dominábitur Jacob, * & fínium terræ.

Converténtur ad véſperam, & famem patiéntur ut canes ; * & circuíbunt civitátem.

Ipſi diſpergéntur ad manducándum : * ſi verò non fúerint ſaturáti, & murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam : * & exultábo manè miſericórdiā tuam :

Quia factus es ſuſcéptor meus & refúgium meum, * in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus, tibi pſallam, quia, Deus, ſuſcéptor meus es : * Deus meus, miſericórdia mea.

PSALMUS 75.

Terribilis eſt Deus in judiciis ſuis ſuper iniquos.

Notus in Judǽa Deus ;* in Iſraël magnum nomen ejus.

Et factus eſt in pace locus ejus ; * & habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * ſcutum, gládium & bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus ætérnis : * turbáti ſunt omnes inſipiéntes corde.

Dormiérunt ſomnum ſuum,* & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus ſuis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui aſcendérunt equos.

Tu terríbilis es, & quis reſíſtet tibi ? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum fecíſti judícium ; * terra trémuit, & quiévit,

Cùm exúrgeret in judícium Deus ; * ut ſalvos fáceret omnes manſuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi ;* & relíquiæ cogitatiónis diem feſtum agent tibi.

Vovéte, & réddite Dómino Deo veſtro, * omnes qui in circúitu ejus affértis múnera,

Terríbili, & ei qui aufert ſpíritum príncipum, *

terríbili apud reges terræ.

Ant. Qui certat in agóne, non coronátur, niſi legítimè certáverit. 2. *Tim.* 2. 5.

CAPITULUM. *Eph.* 5. 15. 16.

Vidéte, fratres, quómodo cautè ambulétis, non quaſi inſipiéntes, ſed ut ſapiéntes, rediméntes tempus, quóniam dies mali ſunt.

℟. *breve.* Juſti * Hæreditábunt terram. ℟. Juſti. ℣. Et inhabitábunt in ſéculum ſéculi ſuper eam. * Hæreditábunt. Glória. ℟. Juſti. *Pſ.* 36. 29.

℣. Viríliter ágite, & confortétur cor veſtrum, ℟. Omnes qui ſperátis in Dómino. *Pſ.* 30. 25.

AD SEXTAM.

Ant. 1. D. Unuſquiſque.

PSALMUS 100.

Chriſti regnum deſcribitur: ultimum ejus judicium prænuntiatur.

Miſericórdiam & judícium * cantábo tibi, Dómine.

Pſallam & intélligam in via immaculáta, * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domûs meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injúſtam; * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæſit mihi cor pravum; * declinántem à me malígnum non cognoſcébam.

Detrahéntem ſecre[...] ximo ſuo, * hunc [...] québar.

Supérbo óculo [...] tiábili corde, * cu[...] non edébam.

Oculi mei ad fidel[...] ræ, ut ſédeant mec[...] ámbulans in via im[...] láta, hic mihi m[...] bat.

Non habitábit in [...] domûs meæ, qui faci[...] biam: * qui lóquit[...] qua, non diréxit in [...] ctu oculórum meóru[...]

In matutíno int[...] bam omnes peccató[...] ræ; * ut diſpérder[...] civitáte Dómini [...] operántes iniquitáte[...]

PSALMUS [...]

Chriſtus inimicis ſu[...] in ipſis vindictam [...] que de ipſis vi[...] prædicit.

Deus, laudem [...] ne tacúeris; * [...] peccatóris, & os [...] ſuper me apértum eſt[...]

Locúti ſunt ad[...] me linguâ dolóſâ, [...] mónibus ódii cir[...] dérunt me, * & ex[...] vérunt me gratìs.

Pro eo ut me dilig[...] detrahébant mihi; [...] autem orábam.

Et poſuérunt ad[...] me mala pro bonis [...] ódium pro dilectión[...]

Conſtitue ſuper eu[...] catórem, * & diábo[...] à dextris ejus.

Cùm judicátur, [...]

condemnátus ; * & orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci ; * & epiſcopátum ejus accípiat alter.

Fiant filii ejus órphani , * & uxor ejus vídua.

Nutántes transferántur filii ejus , & mendícent , * & ejiciántur de habitatiónibus ſuis.

Scrutétur fœnerátor omnem ſubſtántiam ejus ; * & diripiant aliéni labóres ejus.

Non ſit illi adjútor , * nec ſit qui miſereátur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum ; * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conſpéctu Dómini , * & peccátũ matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum ſemper , * & diſpéreat de terra memória eórum ;

Pro eo quòd non eſt recordátus fácere miſericórdiam , * & perſecútus eſt hóminem ínopem & mendícum , & compúnctum corde mortificáre.

Et diléxit maledictiónem , & véniet ei ; * & nóluit benedictiónem , & elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem ſicut veſtiméntum ; * & intrávit ſicut aqua in interióra ejus , & ſicut óleum in óſſibus ejus.

Fiat ei ſicut veſtiméntum quo operítur , * & ſicut zona quâ ſemper *præcíngitur.*

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dóminum ; * & qui loquúntur mala advérsùs ánimã meam.

Diviſio Pſalmi 108.

ET tu , Dómine , Dómine , fac mecum propter nomen tuum ; * quia ſuávis eſt miſericórdia tua.

Líbera me , quia egénus & pauper ego ſum ; * & cor meum conturbátum eſt intra me.

Sicut umbra cùm declínat , ablátus ſum ; * & excúſſus ſum ſicut locúſtæ.

Génua mea infirmáta ſunt à jejúnio , * & caro mea immutáta eſt , propter óleum.

Et ego factus ſum oppróbrium illis ; * vidérunt me , & movérunt cápita ſua.

Adjuva me , Dómine Deus meus ; * ſalvum me fac ſecúndùm miſericórdiam tuam.

Et ſciant quia manus tua hæc , * & tu , Dómine , feciſti eam.

Maledicent illi , & tu benedíces ; * qui insúrgunt in me , confundántur ; ſervus autem tuus lætábitur.

Induántur qui détrahunt mihi pudóre ; * & operiántur ſicut diplóide , confuſióne ſuâ.

Confitébor Dómino nimis in ore meo , * & in médio multórum laudábo eum ;

Quia áſtitit à dextris paúperis , * ut ſalvam fáceret à perſequéntibus ánimam meam.

Ant. Unuſquíſque própriam mercédem accípiet, ſecúndùm ſuum labórem. 1. *Cor.* 3. 8.

Capitulum. *Rom.* 13. 13. 14.

Sicut in die honéſtè ambulémus, non in comeſſatiónibus & ebrietátibus, non in cubílibus & impudicítiis, non in contentióne & æmulatióne: ſed induímini Dóminum Jeſum Chriſtum, & carnis curam ne fecéritis in deſidériis.

℟. *breve.* Cuſtódi innocéntiam, * Et vide æquitátem. ℟. Cuſtódi. ℣. Quóniam ſunt relíquiæ hómini pacífico. * Et vide. Glória. ℟. Cuſtódi. *Pſ.* 36. 37.

℣. Novit Dóminus viam juſtórum; ℟. Et iter impiórum períbit. *Pſ.* 1. 6.

AD NONAM.

Ant. 8. c. Deus.

Psalmus 59.

Chriſtus mala gentis ſuæ deflet, regnique ſui dilatationem prænuntiat.

Deus, repuliſti nos, & deſtruxíſti nos: * irátus es, & misértus es nobis.

Commovíſti terram, & conturbáſti eam: * ſana contritiónes ejus, quia commóta eſt.

Oſtendíſti pópulo tuo dura; * potáſti nos vino compunctiónis.

Dedíſti metuéntibus te ſignificatiónem; * ut fúgiant à fácie arcûs.

Ut liberéntur dilécti tui, * ſalvum fac déxterâ tuâ, & exaúdi me.

Deus locútus eſt in Sancto ſuo: * Lætábor & partíbor Síchimam, & convállem tabernaculórum metíbor.

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manáſſes; * & Ephraïm fortitúdo cápitis mei;

Juda rex meus; * Moab olla ſpei meæ.

In Idumǽam extendam calceaméntum meum; * mihi alienígenæ súbditi ſunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me uſque in Idumǽam?

Nónne tu, Deus, qui repuliſti nos? * & non egrediéris, Deus, in virtútibus noſtris?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana ſalus hóminis.

In Deo faciémus virtútem; * & ipſe ad níhilum dedúcet tribulántes nos.

Psalmus 78.

Fideles ab infidelibus vexati, opem Dei poſcunt.

Deus, venérunt gentes in hæreditátem tuam, polluérunt templum ſanctum tuum, * poſuérunt Jerúſalem in pomórum cuſtódiam.

Poſuérunt morticína ſervórum tuórum eſcas volatílibus cœli, * carnes ſanctórum tuórum béſtiis terræ.

Effudérunt ſánguinem eórum, tanquam aquam, in circúitu Jerúſalem; * & non erat qui ſepelíret.

Facti ſumus oppróbrium vicínis

vicinis noſtris, * ſubſannátio, & illúſio his qui in circúitu noſtro ſunt.

Uſquequò, Dómine, iraſcéris in finem, * accendétur velut ignis zelus tuus?

Effúnde iram tuam in gentes quæ te non novérunt, * & in regna quæ nomen tuum non invocavérunt:

Quia comedérunt Jacob, * & locum ejus deſolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum noſtrárum antiquárũ, citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ; * quia páuperes facti ſumus nimis.

Adjuva nos, Deus ſalutáris noſter, & propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos, * & propítius eſto peccátis noſtris, propter nomen tuum;

Ne forte dicant in géntibus: * Ubi eſt Deus eórũ?

Et innotéſcat in natiónibus coram óculis noſtris, * últio ſánguinis ſervórum tuórum, qui effúſus eſt.

Intróeat in conſpéctu tuo gémitus compeditórum; * ſecúndùm magnitúdinem bráchii tui póſſide filios mortificatórum;

Et redde vicínis noſtris séptuplum in ſinu eórum, * impropérium ipsórũ, quod exprobravérunt tibi, Dómine.

Nos autem pópulus tuus, & oves páſcuæ tuæ, * confitébimur tibi in séculum.

In generatiónem & generatiónem, * annuntiábimus laudem tuam.

PSALMUS 82.

Infidelium adversùs Eccleſiam motus: ipſorúmque confuſio & interitus.

DEus, quis ſímilis erit tibi? * ne táceas, neque compeſcáris, Deus:

Quóniam ecce inimíci tui ſonuérunt: * & qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium, * & cogitavérunt advérsùs ſanctos tuos.

Dixérunt: Veníte, & diſperdámus eos de gente; * & non memorétur nomen Iſraël ultrà.

Quóniam cogitavérunt unanímiter ſimul, * advérsùm te teſtaméntum diſpoſuérunt, tabernácula Idumæórum, & Iſmaëlítæ,

Moab & Agaréni, Gebal, & Ammon, & Amalec, * alienígenæ cum habitántibus Tyrum.

Etenim Aſſur venit cum illis; * facti ſunt in adjutórium filiis Lot.

Fac illis ſicut Mádian & Síſaræ, * ſicut Jabin in torrénte Ciſſon.

Diſperiérunt in Endor; * facti ſunt ut ſtercus terræ.

Pone príncipes eórum, ſicut Oreb, * & Zeb, & Zébee, & Sálmana.

Omnes príncipes eórum, qui dixérunt: * Hæreditáte poſſideámus ſanctuáriũ Dei.

Deus meus, pone illos ut rotam, * & ſicut ſtípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit

ſylvam, * & ſicut flamma combúrens montes,

Ità perſequéris illos in tempeſtáte tua; * & in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomíniâ; * & quærent nomen tuum, Dómine.

Erubéſcant, & conturbéntur in séculum séculi, * & confundántur, & péreant.

Et cognóſcant quia nomen tibi Dóminus; * tu ſolus Altíſſimus in omni terra.

Ant. Deus citò fáciet vindíctam electórum ſuórum. *Luc.* 18. 8.

Capitulum. *Sap.* 5. 16. 17.

JUſti in perpétuum vivent, & apud Dóminum eſt merces eórum, & cogitátio illórum apud Altíſſimum: ídeò accípient regnum decóris, & diadéma ſpeciéi de manu Dómini.

℞. *breve.* Lætábitur juſtus, * Cùm víderit vindíctam. ℞. Lætábitur. ℣. Manus ſuas lavábit in sánguine peccatóris. * Cùm. Glória. ℞. Lætábitur. *Pſ.* 57. 11.

℣. Semen impiórum períbit; ℞. Juſti autem hæreditábunt terram. *Pſ.* 36. 28. 29.

A D V E S P E R A S,

Quæ ſunt Primæ de Dominica.

Ant. 4. E. Sex diébus.

P s a l m u s 114.

Tribulationes vitæ præſentis: æternæ vitæ deſiderium.

DIléxi, quóniam exaúdiet Dóminus * vocem oratiónis meæ;

Quia inclinávit aurem ſuam mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inférni invenérunt me:

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam; * miséricors Dóminus, & juſtus, & Deus noſter miſerétur.

Cuſtódiens párvulos Dóminus; * humiliátus ſum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapſu.

Placébo Dómino, * in regióne vivórum.

Ant. Sex diébus fecit Dóminus cœlum, & terram, & mare, & ómnia quæ in eis ſunt. *Exod.* 20. 11.

Ant. 8. *g.* In die.

P s a l m u s 121.

Spes æternæ vitæ. Pax Eccleſiæ deſideranda.

LÆtátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes noſtri, * in átriis tuis, Jerúſalem;

Jerúſalem, quæ ædificátur ut cívitas * cujus participátio ejus in idipſum:

Illuc enim aſcendérunt tribus, tribus Dómini, teſtimónium Iſraël, * ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic ſedérunt ſedes in judício, * ſedes ſuper domum David.

Rogáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem; * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei noſtri, * quæſívi bona tibi.

Ant. In die séptimo Sábbatum eſt, réquies ſancta Dómino. *Exod.* 31. 15.

Ant. 1. a. Dies.

PSALMUS 132.

Fraterna concordia beatitudo.

ECce quàm bonum & quàm jucúndum, * habitáre fratres in unum!

Sicut unguéntum in cápite, quod deſcéndit in barbam, barbam Aaron, * quod deſcéndit in oram veſtiménti ejus.

Sicut ros Hermon, * qui deſcéndit in montem Sion.

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, * & vitam uſque in séculum.

Ant. Dies séptimus, quia Sábbati réquies eſt, vocábitur ſanctus. *Levit.* 23. 3.

Ant. 4. *E.* Cuſtódiant.

PSALMUS 136.

Sub hujus mundi Babylone, anima fidelis coram Deo gemit.

SUper flúmina Babylónis illic sédimus, * & flévimus cùm recordarémur Sion.

In ſalícibus, in médio ejus, * ſuſpéndimus órgana noſtra:

Quia illic interrogavérunt nos qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum;

Et qui abduxérunt nos: * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini, * in terra aliéna?

Si oblítus fúero tuî, Jerúſalem, * obliviòni detur déxtera mea:

Adhæreat lingua mea faúcibus meis, * ſi non meminero tuî,

Si non propoſúero Jerúſalem, * in princípio lætítiæ meæ.

Memor eſto, Dómine, filiórum Edom, * in die Jerúſalem;

Qui dicunt: Exinaníte, exinaníte, * uſque ad fundaméntum in ea.

Fília Babylónis míſera; * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuíſti nobis:

Beátus qui tenébit, * & allídet párvulos tuos ad petram.

Ant. Cuſtódiant filii Iſraël Sábbatum, & célebrent illud in generatiónibus ſuis. *Exod.* 31. 16.

Ant. 7. b. Omnis.

PSALMUS 140.

Orat juſtus, ut ſit patiens, & tutus ab inimicis.

DOmine, clamávi ad te, exaúdi me; * inténde voci meæ, cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea ſicut incénſum in conſpéctu tuo : * elevátio mánuum meárum, ſacrifícium veſpertinum.

Pone, Dómine, cuſtódiam ori meo, * & óſtium circumſtántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ, * ad excuſándas excuſatiónes in peccátis,

Cum homínibus operántibus iniquitátem, * & non communicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me juſtus in miſericórdia, & increpábit me; * óleum autem peccatóris non impínguet caput meum;

Quóniam adhuc & orátio mea * in beneplácitis eórum.

Absórpti ſunt juncti petræ júdices eórum, * aúdient verba mea quóniam potuérunt.

Sicut craſſitúdo terræ erúpta eſt ſuper terram, * diſſipáta ſunt oſſa noſtra ſecùs inférnum.

Quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei; * in te ſperávi, non aúferas ánimam meam.

Cuſtódi me à láqueo quem ſtatuérunt mihi, * & à ſcándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres : * ſinguláriter ſum ego, donec tránſeam.

Ant. Omnis qui fécerit *opus in hac die*, moriétur. *Exod. 31. 15.*

CAPITULUM. *Exod.* 20. 8. 9. 10.

MEménto ut diem Sábbati ſanctífices. Sex diébus operáberis, & fácies ómnia ópera tua : séptimo autem die, Sábbatum Dómini Dei tui eſt.

HYMNUS.

QUÆ, ſex labórans per dies,
Terras polúmque cóndidit,
Die quiéſcens séptimâ,
Divína ceſsávit manus.

ÆTERNUS orbis Cónditor
Hanc ipſe ſacrávit diem,
Judæa quam, Legis tenax,
Piis colébat rítibus.

FŒDUS novum, ritus novos,
Chriſtus dedit: Chriſto duce,
Adoptiónis filios
Jam ſánctior manet quies.

FUGAVIT umbram véritas;
Antíqua ceſſant Sábbata :
Jam lex amóris córdibus
Inſcrípta mortáles regit.

NON victimárum ſánguinis
Inánis aſcéndit vapor;
Cruóre ſed litans ſuo,
Fit noſtra Chriſtus víctima.

TE mens, ô alma Trínitas,
Anhélat ardens, te ſitit:
Tuâ redémptis grátiâ
Ætérna redde præmia.
Amen.

℣. Convértere, ánima mea, in réquiem tuam; ℟. Quia Dóminus beneſécit tibi. Pſ. 114. 7.

Ad Magníficat, Antipho-

u, ut in Proprio de Tempore.

Oratio Dominica ſequentis.

Non fiunt ſuffragia; ſed ſi facienda ſit Commemoratio de aliquo Sancto, fit hoc loco.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 6. F. Réquies.

PSALMUS 50.

Anima pœnitentis oratio. Eccleſia bona deſideranda.

MIſerére meî, Deus, * ſecúndùm magnam miſericórdiam tuam:

Et ſecúndùm multitúdinē miſeratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me:

Quóniam iniquitátem meam ego cognóſco; * & peccátum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccávi, & malum coram te feci, * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus ſum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexíſti; * incérta & occúlta ſapiéntiæ tuæ manifeſtáſti mihi.

Aſpérges me hyſſópo, & mundábor: * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo *dabis gaúdium & lætítiam; * & exultábunt oſſa humiliáta.*

Avérte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus; * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua; * & Spíritum ſanctum tuum ne aúferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui; * & ſpíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas; * & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de ſanguínibus, Deus, Deus ſalútis meæ; * & exultábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluíſſes ſacrificiū, dedíſſem útique; * holocaúſtis non delectáberis.

Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus; * cor contrítum & humiliátum, Deus, non deſpícies.

Benígnè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificéntur muri Jerúſalē.

Tunc acceptábis ſacrifícium juſtítiæ, oblatiónes & holocaúſta: * tunc impónent ſuper altáre tuū vítulos.

PSALMUS 85.

Chriſtus in anguſtia mortis, à Deo Patre ſalutem poſcit.

INclína, Dómine, aurem tuam, & exaúdi me; * quóniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtódi ánimam meam, quóniam ſanctus ſum; * ſalvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperántem in te.

Miſerére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die; * lætífica ánimam ſervi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi:

Quóniam tu, Dómine, ſuávis & mitis, * & multæ miſericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Aúribus pércipe, Dómine, oratiónem meam, * & inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, * quia exaudíſti me.

Non eſt ſímilis tuî in diis, Dómine, * & non eſt ſecúndùm ópera tua.

Omnes gentes quaſcúmque fecíſti vénient, & adorábunt coram te, Dómine, * & glorificábunt nomen tuũ;

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília; * tu es Deus ſolus.

Diviſio Pſalmi 85.

DEduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * & glorificábo nomen tuum in ætérnum:

Quia miſericórdia tua magna eſt ſuper me, * & eruíſti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui inſurrexérunt ſuper me, & ſynagóga poténtium quæſiérunt ánimam meam, * & non propoſuérunt te in conſpéctu ſuo.

Et tu, Dómine, Deus miſerátor & miséricors, * pátiens, & multæ miſericórdiæ, & verax.

Réſpice in me, & miſerére meî; * da impérium tuum púero tuo, & ſalvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundántur; * quóniam tu, Dómine, adjuvíſti me, & conſolátus es me.

Ant. Réquies Sábbati ſanctificáta eſt Dómino cras. *Exod.* 16. 23.

Hymnus. Grates, peráćto jam die, *infrà*, p. 158.

CAPITULUM. *Levit.* 23. 32.

A Véſpera uſque ad véſperam, celebrábitis Sábbata veſtra.

℟. *breve.* In manus, *infrà*, p. 159.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 3. *a.* Benedíctus Dóminus, qui dedit réquiem pópulo ſuo Iſraël. 3. *Reg.* 8. 56.

Non dicuntur Preces.

Oratio Illúmina, *infrà*, p. 160.

IN FERIIS PER ANNUM.

AD LAUDES MATUTINAS.

In Vigiliis & Feriis Quatuor Temporum, poſt Antiphonam ad Benedíctus, *dicuntur, flexis genibus, & voce paulò minùs elatâ,*

PRECES.

KYrie, eléiſon. *Chorus:* Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon.

Pater, *ſecretò, uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Peccávimus cum pátribus noſtris; ℟. Injúſtè égimus; iniquitátem fécimus. *Pſ.* 105. 6.

℣. Convértere, Dómine, úſquequò? ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſ.* 89. 13.

℣. Ne memíneris iniquitátum noſtrárum antiquárum; ℟. Citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ. *Pſ.* 78. 8.

℣. Propítius eſto peccátis noſtris, ℟. Propter nomen tuum. *Pſ.* 78. 9.

℣. Orémus pro Pontífice noſtro *N.* ℟. Dóminus consérvet eum & vivíficet eum. *Pſ.* 40. 3.

℣. Sacerdótes tui induántur juſtítiam; ℟. Et ſancti tui exúltent. *Pſ.* 131. 9.

℣. Dómine, ſalvum fac Regem; ℟. Et exaúdi nos in die quâ invocavérimus te. *Pſ.* 19. 10.

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, ℟. Et bénedic hæreditáti tuæ. *Pſ.* 27. 9.

℣. Rogáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem. ℟. Fiat pax in virtúte tua, & abundántia in túrribus tuis. *Pſ.* 121. 6. 7.

℣. Orémus pro frátribus noſtris abséntibus. ℟. Bénefac, Dómine, bonis & rectis corde. *Pſ.* 124. 4.

℣. Pro infírmis, afflíctis, & captívis. ℟. Líbera, Deus, Iſraël ex ómnibus tribulatiónibus ſuis. *Pſ.* 24. 22.

℣. Pro cunctis fidélibus defúnctis. ℟. Animas páuperum tuórum ne obliviſcáris in finem. *Pſ.* 73. 19.

PSALMUS 129.

Oratio pœnitentis veniam à Deo per Chriſtum poſcentis.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exaúdi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris, Dómine, * Dómine, quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt; * & propter legem tuam ſuſtínui te, Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus; * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem, * ſperet Iſraël in Dómino.

Quia apud Dóminum miſericórdia, * & copióſa apud eum redémptio.

Et ipſe rédimet Iſraël * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri, &c.

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos: ℟. Et oſténde fáciem tuam, & ſalvi érimus. *Pſ.* 79. 20.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

Deinde altâ voce, ℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio conveniens.

Si facienda ſit Commemoratio de aliquo Sancto, ſit eo loco.

Deinde ſiunt

SUFFRAGIA,

Seu Commemorationes Communes.

De Cruce.

Ant. Redemíſti nos Deo in sánguine tuo, Dómine, ex omni tribu, & lingua, & pópulo, & natióne. *Apoc.* 5. 9.

℣. Hæc recordátus ſum, ℟. Et effúdi in me ánimam meam. *Pſ.* 41. 5.

Orémus.

PErpétuâ nos, quæſumus, Dómine, pace cuſtódi, quos per lignum ſanctæ *Crucis redímere* dignátus *es; Qui vivis & regnas, Deus.* ℟. *Amen.*

De omnibus Sanctis.

Ant. Maniſeſtétur glória veſtra in univérſa terra. 1. *Mach.* 15. 9.

℣. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine! ℟. In sécula ſeculórum laudábunt te. *Pſ.* 83. 5.

Orémus.

ACunctis nos, quæſumus, Dómine, mentis & córporis defénde perículis; & intercedéntibus beátâ & glorióſâ ſemper Vírgine Dei Genitríce Maríâ, beátis Apóſtolis tuis Petro & Paulo, atque beáto *N.* & ómnibus Sanctis, ſalútem nobis tríbue benígnus & pacem, ut deſtrúctis adverſitátibus & erróribus univérſis, Eccléſia tua ſecúrâ tibi sérviat libertáte; Per eúmdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus; Per ómnia sécula ſeculórum.

℟. Amen.

[*Nomen Patroni additur poſt nomina ſanctorum Apoſtolorum.*]

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias.

Si aliud Officium non ſequatur, dicitur ſecretò:

Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

Deinde, Pater noſter. Ave.

AD PRIMAM.

Pater. Ave. *ſecretò.*

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus.

JAm lucis orto ſídere,
Deum precémur ſúpplices,
Noſtras ut ipſe dírigat
Lux increáta ſémitas.

Nil lingua peccet, nil manus;
Nil mens ináne cógitet;
In ore ſimplex véritas,
In corde regnet cáritas.

Incœpta dum fluet dies,
O Chriſte, cuſtos pérvigil,
Quas ſævus hoſtis óbſidet,
Portas tuére ſénſuum.

Præsta diúrnus ut tuæ
Subſérviat laudi labor:
Autóre quæ te cœpimus,
Da, te favénte, próſequi.

Superba ne nimis caro
Menti licénter ímperet,
Carnis domet ſupérbiam
Potûs cibíque párcitas.

Æterne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

Pſal. Ant. & Capit. ut habentur in Pſalterio ſecundùm Feriam, niſì aliter notetur.

℟. *breve.* Chriſte, Fili Dei vivi, * Miſerére nobis, ℟. Chriſte, Fili Dei vivi, * Miſerére nobis. ℣. Qui ſedes ad déxteram Patris, (*Hic ℣. mutatur aliquando, ut in propriis locis aſſignatur.*) * Miſerére nobis. *Glória Patri, & Filio, &* Spirítui ſancto. ℟. Chriſte, Fili Dei vivi, * Miſerére nobis. *Matt.* 16. 16. *Tob.* 8. 10. *Hebr.* 1. 3.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos, ℟. Et rédime nos, propter nomen tuum. *Pſ.* 43. 26.

Quando fit Officium de aliquo Sancto, hìc dicitur, Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo. Orémus, &c. *ut infrà. Quando autem fit de Feria, adduntur*

PRECES.

[*In Vigiliis, & Feriis Quatuor Temporum, dicuntur, flexis genibus, cum ℣℣. inferiùs poſitis.*]

KYrie, eléiſon. *Chor.* Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon.

Pater noſter. *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Vivet ánima mea & laudábit te, ℟. Et judícia tua adjuvábunt me. *Pſ.* 118. 175.

Credo in Deum. *ſecretò uſque ad* ℣. Carnis reſurrectiónem, ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Ego ad te, Dómine, clamávi; ℟. Et manè orátio mea prævéniet te. *Pſ.* 87. 14.

℣. Repleátur os meum laude; ℟. Ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam. *Pſ.* 70. 8.

℣. Avérte fáciem tuam à peccátis meis; ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. *Pſ.* 50. 11.

℣. Cor mundum crea in me, Deus; ℟. Et ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis. *Pſ.* 50. 12.

℣. Ne projícias me à fácie tua; ℟. Et Spíritum ſanctum tuum ne aúferas à me. *Pſ.* 50. 13.

℣. Redde mihi lætítiam ſalutáris tui; ℟. Et ſpíritu principáli confírma me. *Pſ.* 50. 14.

In Vigiliis, & Feriis Quatuor Temporum, adduntur ſequentia. In aliis autem, hic fit Confeſſio.

℣. Vias tuas, Dómine, demónſtra mihi: ℟. Et ſémitas tuas édoce me. *Pſ.* 24. 4.

℣. Dírige me in veritáte tua, & doce me; ℟. Quia tu es Deus Salvátor meus. *Pſ.* 24. 5.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo; ℟. A viro iníquo éripe me. *Pſ.* 139. 2.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus; ℟. Et ab inſurgéntibus in me líbera me. *Pſ.* 58. 2.

℣. Eripe me de operántibus iniquitátem; ℟. Et de viris sánguinum ſalva me. *Pſ.* 58. 3.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. *Pſ.* 69. 2.

℣. Delícta juventútis meæ & ignorántias meas ne memíneris; ℟. Secúndum miſericórdiam tuam meménto meî, tu. *Pſ.* 24. 7.

Tunc Hebdomadarius facit Confeſſionem.

Confiteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ ſemper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptíſtæ, ſanctis Apóſtolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, (Et vobis, fratres;) quia peccávi nimis cogitatióne, verbo, & ópere, (*ad ſequentia verba ter percutitur pectus.*) Meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideò precor beátam Maríam ſemper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptíſtam, ſanctos Apóſtolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, (& vos, fratres,) oráre pro me ad Dóminum Deum noſtrum.

Chorus reſpondet:

Miſereátur tuî omnípotens Deus, & dimíſſis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

Hebdomadarius dicit: Amen.

Deinde Chorus repetit Confeſſionem: & ubi dictum eſt: vobis, fratres, *& vos,* fratres, *dicit*, tibi, pater, *&* te, pater.

Factâ Confeſſione à Choro, Hebdomadarius dicit:

Miſereátur veſtrî omnípotens Deus, & dimíſſis peccátis veſtris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

INdulgéntiam, abſolutiónem, & remiſſiónem peccatórum noſtrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Mulieres in ſuis conventibus; loco, fratres, *& pater, dicunt*, ſorores, *&* mater.

Qui ſolus recitat, ſemel dicit Confiteor, *omiſſis vocibus quæ clauduntur parenthesi; & addit particulam*, &, *ante voces*, ómnibus, *&* omnes. *Deinde* Miſereátur, *ſemel; ad quod dicit*, noſtri, noſtris, nos.

Proſequitur Heddomadarius:

℣. Exaudi nos, Deus ſalutáris noſter, ℟. Spes ómnium finium terræ. *Pſ. 64. 6.*

℣. Miſerére noſtri, Dómine, ℟. Miſerére noſtri. *Pſ.* 122. 3.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32. 22.

℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos; ℟. Et osténde fáciem tuam, & ſalvi érimus. *Pſ.* 79. 20.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

Oratio ſequens ſemper dicitur ad Primam, etiam in Feſtis Sanctorum.

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos perveníre fecíſti, tuâ nos hódie ſalva virtúte; ut ad nullum declinémus peccátum, ſed ſemper ad tuam juſtítiam faciéndam, noſtra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes & ópera; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus; Per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias.

AD OFFIC. CAPITULI.

Primò fit Lectio Martyrologii, in cujus fine nihil reſpondetur; ſed ſtatim Hebdomadarius dicit altâ voce:

℣. Pretióſa in conſpéctu Dómini ℟. Mors Sanctórum ejus. *Pſ.* 115. 15.

Et abſolutè, ſinè Dóminus vobíſcum, *& ſinè* Orémus, *addit:*

SAncta María (iſti) & omnes Sancti, ádjuvent nos in oratiónibus ſuis pro nobis ad Deum; ut ſecúndùm eum, qui vocávit nos, Sanctum, & ipſi in omni converſatióne ſancti ſimus. *Rom.* 15. 30. 1. *Petr.* 1. 15. ℟. Amen.

Hæc vox (iſti) *omittitur ubi non legitur Martyrologium; & tunc Officium Capituli inchoatur à* ℣. Pretióſa: *quod & obſervant qui privatim recitant.*

Tum fit Lectio Canonis,

qui, quâlibet die, varius legitur, & habetur ad calcem Breviarii.

Lector petit Benedictionem, dicens:

Jube, Domne, benedícere.

Hebdomadarius benedicens, dicit:

Bonitátem, & diſciplínam, & ſciéntiam dóceat nos Dóminus. *Pſ.* 118. 66. ℟. Amen.

Lector legit Canonem, & in fine ſubjungit: Tu autem, Dómine, miſerére noſtrî. ℟. Deo grátias.

A privatim recitantibus, legitur Canon, omiſſo, Jube, Domne, benedícere, *ſed præmiſſâ Benedictione, ut ſuprà.*

Sequentes ℣℣. *cum Oratione* Dirígere, *ante laborem quotidianum dicendi, omittuntur diebus Feſtis à populo feriatis; & lecto Canone, dicitur,* ℣. Adjutórium noſtrum, *infrà.*

Diebus autem à populo non feriatis, abſoluto Canone, Hebdomadarius dicit:

℣. Deus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. *Pſ.* 69. 2.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvándū me feſtína.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto; Sicut erat, in princípio, & nunc, & ſemper, & in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

℣. Réſpice in ſervos tuos, Dómine, & in ópera tua, ℟. Et dírige fílios eórum. *Pſ.* 89. 16.

℣. Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, ℟. Et ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrárum dírige. *Pſ.* 89. 17.

Orémus.

DIrígere, ſanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora noſtra, ſenſus, ſermónes & actus noſtros, in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum; ut hîc & in ætérnum, te auxiliánte, ſalvi & líberi eſſe mereámur, Salvátor mundi, qui vivis & regnas in ſécula ſeculórū. ℟. Amen.

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Pſ.* 123. 8.

Submiſſiori voce Hebdomadarius dicit: Benedícite, ℟. Dóminus. *Et ſtatim ſubjungit:*

Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem, fáciens in vobis quod pláceat coram ſe; Per Jeſum Chriſtum, cui eſt glória in ſécula ſeculórum. *Hebr.* 13. 20. 21. ℟. Amen.

Niſi alia ſequatur Hora, dicitur ſecretò: Fidélium ánimæ, &c. Pater. Ave.

AD TERTIAM.

Pater. Ave. *ſecretò.*

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

O Fons amóris Spíritus,
O Sancte donórum Parens,
Tuas refúſus íntimis
Accénde flammas córdibus.

Qui caritátis vínculo
Cum Patre nectis Fílium,
Et nos amóris mútui
Arctis coápta néxibus.

Æterne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

Cœtera ut in Pſalterio ſecundùm Feriam.

In Vigiliis, & Feriis Quatuor Temporum, ad Tertiam, Sextam & Nonam, flexis genibus, dicuntur poſt ℟. *breve,*

PRECES.

Kyrie, eléiſon. *Chor.* Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon.

Pater noſter. *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos; ℟. Et oſténde fáciem tuam, & ſalvi érimus. *Pſ.* 79. 20.

℣. Dómine, exaúdi oratióne̅ meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Deinde dicitur Oratio quæ dicta fuit in Laudibus. Et ſi alia non ſequatur Hora:

Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

Deinde, Pater noſter. Ave.

AD SEXTAM.

Pater. Ave. *ſecretò.*

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

Jam ſolis áureum jubar
Toto corúſcat lúmine;
Sic, Chriſte, tu mundum novâ
Sol verus accéndis face.

Fac plena noſtris fúlgeat
Lux veritátis méntibus;
Fac noſtra plenam cáritas
Creſcéndo ſurgat ad diem.

Æterne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

Cœtera ut ad Tertiam.

AD NONAM.

Pater. Ave. *ſecretò.*

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

Prono volútus ímpetu,
Inclínat in noctem dies;
Sic vita ſuprémam cito
Feſtínat ad metam gradu.

O Christe, dum fixus cruci,
Expándis orbi bráchia,
Amáre da crucem, tuo
Da nos in ampléxu mori.

Æterne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

Cœtera ut ad Tertiam.

AD VESPERAS.

Suffragia,

Seu Commemorationes Communes.

De Cruce.

Ant. Si unus pro ómnibus mórtuus eſt, ergo omnes mórtui ſunt; & pro ómnibus mórtuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mórtuus eſt. 2. *Cor* 5. 14. 15.

℣. Pérfice greſſus meos in ſémitis tuis, Dómine; ℟. Ut non moveántur veſtígia mea. *Pſ.* 16. 5.

Orémus.

PErpétuâ nos, quǽſumus, Dómine, pace cuſtódi, quos per lignum ſanctæ Crucis redímere dignátus es; Qui vivis & regnas, Deus. ℟. Amen.

De omnibus Sanctis.

Ant. Sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus. *Apoc.* 7. 15.

℣. Inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ, Dómine; ℟. Et torrénte voluptátis tuæ potábis eos. *Pſ.* 35. 9.

Orémus.

A Cunctis nos, quǽſumus, Dómine, mentis & córporis defénde perículis; & intercedéntibus beátâ & glorióſâ ſemper Vírgine Dei Genitríce Maríâ, beátis Apóſtolis tuis Petro & Paulo atque beáto *N.* & ómnibus Sanctis, ſalútem nobis tríbue benígnus & pacem, ut deſtrúctis adverſitátibus & erróribus univérſis, Eccléſia tua ſecúrâ tibi sérviat libertáte; Per eúmdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus; Per ómnia sécula ſeculórum.

℟. Amen.

Nomen Patroni additur poſt nomina ſanctorum Apoſtorum.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias.

Et ſi non ſequatur immediatè Completorium, dicitur ſecretò:

Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

Deinde, Pater noſter. Ave.

AD COMPLETORIUM.

Si ſeparetur à Veſperis, dicitur: Pater. Ave. *ſecretò.*

COnvérte nos, Deus ſalutáris noſter; ℟. Et avérte iram tuam à nobis. *Pſ.* 84. 5.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus.

GRates, perácto jam die,
Deus, tibi persólvimus;
Pronóque dum nox íncipit,
Proſtérnimus vultu preces.

Quod longa peccávit dies,
Amárus éxpiet dolor;
Somno gravátis ne nova
Infligat hoſtis vúlnera.

Infestus uſque círcuit
Quærens leo quem dévoret;
Umbra ſub alárum tuos
Defénde filios, Pater.

O QUANDO lucéſcet tuus
Qui neſcit occáſum dies!
O quando ſancta ſe dabit
Quæ neſcit hoſtem pátria!
QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Filio;
Qui caritáte nos foves,
Par ſit tibi laus, Spíritus.
Amen.

Capitulum habetur in proprio loco.

℟. *breve.* In manus tuas, Dómine, * Commendo ſpíritum meum. ℟. In manus tuas, Dómine, * Commendo ſpíritum meum. ℣. Redemíſti me, Dómine, Deus veritátis. * Commendo ſpíritum meum. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto. ℟. In manus tuas, Dómine, * Commendo Spíritum meum. *Pſ.* 30. 6.

℣. Cuſtódi me, Dómine, ut pupíllam óculi; ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me. *Pſ.* 16. 8.

CANTICUM SIMEONIS.
Luc. c. 2. *v.* 29 *ad* 32.
De Salvatoris adventu gratiarum actio.

NUnc dimíttis ſervum tuum, Dómine, * ſecúndùm verbum tuum, in pace;
Quia vidérunt óculi mei* Salutáre tuum,
Quod paráſti, * ante fáciem ómnium populórũ,
Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Iſraël.
Glória Patri, &c.

Quando Officium ſit de aliquo Sancto, immediatè poſt Antiphonam Cantici Nunc dimíttis, *dicitur* ℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo. Orémus, &c. *ut infrà. Quando autem ſit de Feria, adduntur*

PRECES.

KYrie, eléiſon. *Chor.* Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater noſter. *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. In pace in idípſum dórmiam, ℟. Et requiéſcam. *Pſ.* 4. 9.

Credo in Deum. *ſecretò uſque ad* ℣. Carnis reſurrectiónem, ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Benedíctus es, Dómine, Deus patrum noſtrórũ, ℟. Et laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſécula. *Dan.* 3. 52.

℣. Benedíctum nomen glóriæ tuæ ſanctum, ℟. Et laudábile, & ſuperexaltátum in ómnibus ſéculis. *Dan.* 3. 52.

℣. Benedíctus es in firmaménto cœli, ℟. Et laudábilis, & glorióſus in ſécula. *Dan.* 3. 56.

℣. Benedícat nos Deus, Deus noſter, ℟. Benedícat nos Deus. *Pſ.* 66. 7. 8.

Deinde ſit Confeſſio ut ſuprà ad Primam. p. 154.

℣. Exaúdi nos, Deus ſalutáris noſter, ℟. Spes om-

nium finium terræ. *Pſ.* 64. 6.

℣. Miſerére noſtrî, Dómine, ℟. Miſerére noſtrî. *Pſ.* 122. 3.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32. 22.

℣. Dómine, exaúdi oratiónẽ meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

Oratio ſequens ſemper dicitur ad Completorium, niſì aliter notetur.

ILlúmina, quæſumus, Dómine, ténebras noſtras, & hujus noctis inſídias à nobis repélle propítius; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Filiũ tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus; Per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias.

Deinde ſubmiſſiori voce:

Grátia Dómini noſtri Jeſu Chriſti, & cáritas Dei, & communicátio ſancti Spíritûs, ſit cum ómnibus vobis. 2. *Cor.* 13. 13. ℟. Amen.

Poſteà dicitur ad devotionem Antiphona ſubſequens de Beata Maria Virgine. Demùm dicitur ſecretò: Pater. Ave. Credo.

ANTIPHONA
DE BEATA MARIA VIRGINE.

A Sabbato Dominicæ I. poſt Pentecoſten, uſque ad Sabbatum Dominicæ I. Adventûs, niſì aliter notetur in propriis locis.

SAlve, Regína, Mater miſericórdiæ, vita, dulcédo, & ſpes noſtra, ſalve. Ad te clamámus éxules fílii Evæ: ad te ſuſpirámus geméntes & flentes, in hac lacrymárum valle. Eia ergo, advocáta noſtra, illos tuos miſericórdes óculos ad nos convérte; Et Jeſum benedíctum fructum ventris tui, nobis poſt hoc exíliũ oſténde, O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria!

℣. Vultum tuum deprecabúntur, ℟. Omnes dívites plebis. *Pſ.* 44. 13.

Orémus.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui glorióſæ Vírginis Matris Maríæ corpus & ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu ſancto cooperánte præparáſti; da, ut cujus commemoratióne lætámur, ejus piâ interceſſióne, ab inſtántibus malis, & à morte perpétua liberémur; Per eúmdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

ENEDICTIONES
NDÆ IN OFFICIO NOCTURNO
ANTE LECTIONES.

MINIЄA,
ficiis novem Lectio-
num.
IOCTURNO.
ius Dómini noſtri
ſeſu Chriſti, Pater
:, det nobis ſpíri-
apiéntiæ. *Epheſ.* 1.
℞. Amen. *Et ſic ad*
tes.
is Dei det nobis
n, ut cognoſcámus
ı Deũ. 1. *Joan.* 5. 20.
itus veritátis dóceat
omnem veritátem.
16. 13.
NOCTURNO.
r Dómini noſtri Je-
riſti benedícat nos
mni benedictióne
áli. *Epheſ.* 1. 3.
nus ſupereminén-
ciéntiæ caritátem
i, ut impleámur
nem plenitúdinem
Epheſ. 3. 19.
tio quam accépi-
Deo, máneat in
& dóceat nos de
us. 1. *Joan.* 2. 27.
NOCTURNO.
r Dómini noſtri Je-
hriſti det nobis
um habitáre per
in córdibus no-
Epheſ. 3. 14. 16. 17.
cámus in grátia &
ióne Dómini no-

ſtri & Salvatóris Jeſu Chriſti. 2. *Petr.* 3. 18.

9. Evangélium non ſit in ſermóne tantùm, ſed & in virtúte, & in Spíritu ſancto, & in plenitúdine multa. 1. *Theſſ.* 1. 5.

IN FESTIS
B. MARIÆ VIRGINIS,
Quæ ſunt novem Lectio-num.

In I. & III. Nocturno, Benedictiones, ut ſuprà. In II. verò Nocturno, ut ſequitur.

4. Exúltet ſpíritus noſter in Deo, quia reſpéxit humilitátem Ancíllæ ſuæ. *Luc.* 1. 47. 48.

5. Nobíſcum ſit Deus, qui in Ancílla ſua adimplévit miſericórdiam ſuã, quam promíſit dómui Iſraël. *Judith.* 13. 13. 18.

6. Invocet Dóminum, & loquátur Regi pro nobis, & líberet nos de morte. *Eſther.* 15. 3.

Hæ Benedictiones non dicuntur in Feſtis quæ ſunt ſimul de Domino & B. Maria, qualia ſunt Purificatio, Annuntiatio, & Viſitatio.

In Officio de Beata Maria in Sabbato, itémque in Officio parvo, tres tantùm præcedentes dicuntur Benedictiones.

In Officio autem trium Lectionum Feſti B. Mariæ, ſi ultima ſit Evangelium, dicitur, pro ultima Benedictione: Evangéliũ non ſit in ſermóne, &c. *ſuprà*, p. 161.

IN FESTIS SANCTORUM,

Quæ ſunt novem Lectionum, Benedictiones I. & III. Nocturni, ut ſuprà. In II. autem Nocturno, ut ſequitur.

4. Deus det nobis illuminátos óculos cordis, ut ſciámus quæ ſit ſpes vocatiónis ejus in Sanctis. *Eph.* 1. 17. 18.

5. Dignos fáciat nos in partem ſortis Sanctórum, qui erípuit nos de poteſtáte tenebrárum. *Coloſſ.* 1. 12. 13.

6. Aperiántur óculi noſtri, ut convertámur à ténebris ad lucem, & accipiámus ſortem inter Sanctos. *Act.* 26. 18.

In Officiis Sanctorum quæ ſunt trium Lectionum, tres tantùm præcedentes dicuntur Benedictiones; ſi autem ultima ſit Evangelium, dicitur pro Benedictione: Evangélium non ſit in ſermóne, &c. *ſuprà*, p. 161.

Quando poſt Laudes Matutinas habetur aliqua Lectio pro Commemoratione; ſi ſit Evangelium cum Homilia, Benedictio erit:

Permaneámus in fide fundáti, & ſtábiles, & immóbiles à ſpe Evangélii. *Coloſſ.* 1. 23.

Si verò Lectio ſit de aliquo Sancto, Benedictio erit:

Digni habeámur in regno Dei, cùm vénerit in Sanctis ſuis admirábilis fieri. 2. *Theſſ.* 1. 5. 10.

IN FERIALI OFFICIO,

Benedictiones dicuntur ſecundùm feriam, ut ſequitur.

Feriâ II. & V. ſumuntur è I. Nocturno Dominicæ, ſuprà, p. 161.

Feriâ III. & VI. ſumuntur è II. Nocturno Dominicæ.

Feriâ IV. & Sabbato, duæ priores Benedictiones, ut in III. Nocturno Dominicæ; ultima autem, ut ſequitur.

Deus ſpei répleat nos omni gaúdio & pace in credéndo, ut abundémus in ſpe & virtúte Spíritûs ſancti. *Rom.* 15. 13.

Si tertia Lectio ſit Evangelium, dicitur:

Non erubeſcámus Evangélium; virtus enim Dei eſt, in ſalútem omni credénti. *Rom.* 1. 16.

Quando D. D. Epiſcopus Lectionem lecturus eſt, præmittit ex more, Jube, Domne, benedícere: *omnes reſpondent:* Amen. *Et Epiſcopus legit Lectionem.*

Idem obſervatur, ubi unicus eſt Presbyter, qui, ſive in choro, ſive extra chorum, recitat cum inferioribus Clericis.

ROPRIUM
E TEMPORE.
RS AUTUMNALIS.

A QUARTA
mada undecima
PENTECOSTEN.
um ut in Pſalterio, qua ſequuntur; & iis Feriis.
ſecúndo Regum.
I. *c.* 4. *v.* 8. *ad* 12.
érunt caput Isbo-
ad David in He-
ixerúntque ad Re-
ce caput Isboſeth,
l inimíci tui qui
t ánimam tuam:
Dóminus Dómino
gi ultiónem hódie
, & de ſémine ejus.
lens autem David
& Báana fratri
iis Remmon Bero-
lixit ad eos: Vivit
is qui éruit ánimam
le omni angúſtia,
ı eum qui annun-
mihi, & díxerat:
s eſt Saül: qui pu-
próſpera nuntiáre,
c occídi eum in Sí-
cui oportébat mer-
dare pro núntio.
magìs nunc, cùm
ímpii interfecérunt
móxium, in domo
ſua, ſuper lectum ſuum, non quæram ſánguinem ejus de manu veſtra, & áuferam vos de terra? Præcépit ítaque David púeris ſuis, & interfecérunt eos.* Tu autem, Dómine, miſerére noſtri.

℟. Deo grátias.

**Sic ſemper terminantur Lectiones, niſi aliter notetur.*

℟. j. Dixit David ad Dóminum, cùm vidíſſet Angelum cædéntem pópulum: * Ego ſum qui peccávi, ego iniquè egi; iſti qui oves ſunt, quid fecérunt? 2. *Reg.* 24. 17. ℣. Tribulátio & angúſtia in omnem ánimam hóminis operántis malum. *Rom.* 2. 9. * Ego.

LECTIO II. *c.* 5. *v.* 7. *ad* 12.

CEpit autem David arcem Sion, hæc eſt, Cívitas David. Propoſúerat enim David in die illa præmium, qui percuſſíſſet Jebuſæum, & tetigíſſet dómarum fiſtulas, & abſtulíſſet cœcos & claudos odiéntes ánimam David. Idcircò dícitur in provérbio: Cœcus & claudus non intrá-

bunt in templum. Habitávit autem David in arce, & vocávit eam, Civitátem David: & ædificávit per gyrum à Mello & intrínſecùs. Et ingrediebátur proficiens atque ſuccréſcens, & Dóminus Deus exercítuum erat cum eo. Miſit quoque Hiram Rex Tyri núntios ad David, & ligna cedrína, & artífices lignórum, artificéſque lápidum ad paríetes: & ædificavérunt Domum David. Et cognóvit David quóniam confirmáſſet eum Dóminus regem ſuper Iſraël, & quóniam exaltáſſet regnum ejus ſuper pópulum ſuum Iſraël.

℟. *ij.* Mórtuus eſt David in ſenectúte bona,* Plenus diérum & divítiis, & glóriâ: & regnávit Sálomon fílius ejus pro eo. 1. *Par.* 29.28. ℣. David in ſua generatióne, cùm adminiſtráſſet voluntáti Dei, dormívit, & appóſitus eſt ad patres ſuos. *Act.* 13. 36. * Plenus.

LECTIO III. *c. 6. v. 2. ad 7.*

SUrréxit David & ábiit, & univérſus pópulus qui erat cum eo de viris Juda, ut addúcerent arcam Dei, ſuper quam invocátum eſt nomen Dómini exercítuum, ſedéntis in Chérubim ſuper eam. Et impoſuérunt arcam Dei ſuper plauſtrum novum, tulerúntque eam de domo Abínadab qui erat in Gábaa: Oza autē & Ahio, fílii Abínadab, *minábant* plauſtrum *novum. Cúm*que tuliſſent eam de domo Abínadab qui erat in Gábaa cuſtódiens arcam Dei, Ahio præcedébat arcam. David autem & omnis Iſraël ludébant coram Dómino, in ómnibus lignis fabrefáctis, & cítharis, & lyris, & týmpanis, & ſiſtris, & cýmbalis. Poſtquàm autem venérunt ad Aream Nachon, exténdit Oza manum ad arcam Dei, & ténuit eam; quóniam calcitrábant boves, & declinavérunt eam. Iratúſque eſt indignatióne Dóminus contra Ozam, & percúſſit eum ſuper temeritáte: qui mórtuus eſt ibi juxta arcam Dei.

℟. *iij.* Teténdit Oza manum ſuam, ut ſuſtentáret arcam; bos quippe, laſcíviens, paúlulùm inclináverat eam. * Irátus eſt ítaque Dóminus contra Ozam, & percúſſit eum, eò quòd tetigíſſet arcam, & mórtuus eſt ibi. 1. *Par.* 13. 9. 10. ℣. Quantò magìs putátis deterióra meréri ſupplícia, qui Fílium Dei conculcáverit, & Sánguinem Teſtaménti pollútum dúxerit? *Hebr.* 10. 29. * Irátus. Glória. * Irátus.

Oratio.

SEntiámus, Dómine, quæſumus, auxílium grátiæ tuæ, quæ aures noſtras ad obediéndum tibi apériat, & linguam noſtram ad rectè & piè loquéndum ſolvat; Per Dóminum.

CANON *habetur ad calcem* Breviarii, & *ſic aliis diebus.*

FERIA QUINTA.
De Libro ſecúndo Regum.
Lectio I. *c.* 6. *v.* 8. *ad.* 11.

Contriſtátus eſt David, eò quòd percuſsíſſet Dóminus Ozam, & vocátum eſt nomen loci illíus, Percúſſio Ozæ, uſque in diem hanc. Et extímuit David Dóminum in die illa, dicens: Quómodo ingredìétur ad me arca Dómini? Et nóluit divértere ad ſe arcam Dómini in Civitátem David: ſed divértit eam in domum Obédedom Gethǽi. Et habitávit arca Dómini in domo Obédedom Gethǽi, tribus ménſibus: & benedíxit Dóminus Obédedom & omnem domum ejus.

℟. *j.* Interfécit Dominus Saül, & * Tránſtulit regnũ ejus ad David filium Iſaï. 1. *Par.* 10. 14. ℣. Amóto Saül, ſuſcitávit Deus David regẽ. *Act.* 13. 22. * Tránſtulit.

Lectio II. *v.* 12. *ad* 17.

Nuntiatúmque eſt regi David quòd benedixíſſet Dóminus Obédedom & ómnia ejus, propter arcã Dei. Abiit ergo David, & addúxit arcam Dei de domo Obédedõ in Civitátẽ David, cum gaúdio: & erant cum David ſeptem chori, & víctima víituli. Cúmque tranſcendíſſent qui portábant arcam Dómini ſex paſſus, immolábat bovem & aríetem, & David ſaltábat totis víribus ante Dóminum: porrò David erat *accínctus ephod líneo. Et David, & omnis* domus Iſraël ducébant arcam teſtaménti Dómini, in júbilo, & in clangóre búccinæ. Cúmque intráſſet arca Dómini in Civitátem David, Michol filia Saül, proſpíciens per fenéſtram, vidit regem David ſubſiliéntem atque ſaltántem còram Dómino: & deſpéxit eum in corde ſuo. Et introduxérunt arcam Dómini, & impoſuérunt eam in locò ſuo, in médio tabernáculi quod teténderat ei David: & óbtulit David holocaúſta, & pacífica coram Dómino.

℟. *ij.* Iniit David cum majóribus natu Iſraël fœdus coram Dómino: * Unxerúntque David Regem ſuper Iſraël, juxta ſermónem Dómini, quem locútus eſt in manu Sámuel. 1. *Par.* 11. 3. ℣. Teſtimónium pérhibens dixit Deus: Invéni David filium Jeſſe, virum ſecúndùm cor meum. *Act.* 13. 22. * Unxerúntque.

Lectio III. *v.* 20. *ad finem.*

Et egréſſa Michol filia Saül in occúrſum David, ait: Quàm glorióſus fuit hódie Rex Iſraël, diſcoopériens ſe ante ancíllas ſervórum ſuórum, & nudátus eſt, quaſi ſi nudétur unus de ſcurris! Dixítque David ad Michol: Ante Dóminum qui elégit me potiùs quàm patrem tuum, & quàm omnem domum ejus, & præcépit mihi ut eſſem dux ſuper pópulum Dómini in Iſraël, & lu-

dam, & vílior fiam pluſquàm factus ſum, & ero húmilis in óculis meis, & cum ancíllis de quibus locúta es, glorióſior apparébo. Igitur Michol filiæ Saül non eſt natus filius uſque in diem mortis ſuæ.

℟. *iij.* Cùm tranſcendíſſent qui portábant arcam Dómini ſex paſſus, immolábat bovem & aríetem; * Et David ſaltábat totis víribus ante Dóminum. 2. *Reg.* 6. 13. 14. ℣. Pétiit David ut inveníret tabernáculum Deo Jacob. *Act.* 7. 46.* Et David. Glória. * Et David.

FERIA SEXTA.

De Libro ſecúndo Regum.

LECTIO I. *c.* 7. *v.* 4. *ad* 7.

FActum eſt in illa nocte: & ecce ſermo Dómini ad Nathan, dicens: Vade, & lóquere ad ſervum meum David: Hæc dicit Dóminus: Nunquid tu ædificábis mihi domum ad habitándum? Neque enim habitávi in domo, ex die illa quâ edúxi filios Iſraël de terra Ægýpti, uſque in diem hanc: ſed ambulábam in tabernáculo, & in tentório. Per cuncta loca quæ transívi cum ómnibus filiis Iſraël, nunquid loquens locútus ſum ad unam de tríbubus Iſraël, cui præcépi ut páſceret pópulum meum Iſraël, dicens: Quare non ædificáſtis mihi domum cedrínam?

℟. *j.* Cùm compléti fúerint dies tui, & dormíeris cum pátribus tuis, * Suſcitábo ſemen tuum poſt te, quod egrediétur de útero tuo, & firmábo regnum ejus. 2. *Reg.* 7. 12. ℣. Hujus Deus ex sémine, ſecúndùm promiſſiónem, edúxit Iſraël Salvatórem, Jeſum. *Act.* 13. 23. * Suſcitábo.

LECTIO II. *v.* 8. *ad* 11.

ET nunc hæc dices ſervo meo David: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Ego tuli te de páſcuis ſequéntem greges, ut eſſes dux ſuper pópulum meum Iſraël: & fui tecum in ómnibus ubicúmque ambuláſti, & interféci univérſos inimícos tuos à fácie tua: fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum qui ſunt in terra. Et ponam locum pópulo meo Iſraël, & plantábo eum, & habitábit ſub eo, & non turbábitur ámpliùs: nec addent fílii iniquitátis ut affligant eum ſicut priùs, ex die quâ conſtítui Júdices ſuper pópulum meum Iſraël. Et réquiem dàbo tibi ab ómnibus inimícis tuis: prædicítque tibi Dóminus, quòd domum fáciat tibi Dóminus.

℟. *ij.* Dixit David ad Nathan: Peccávi Dómino: * Dixítque Nathan ad David: Dóminus quoque tránſtulit peccátum tuum. 2. *Reg.* 12. 13. ℣. Si confiteámur peccáta noſtra, fidélis eſt & juſtus Deus, ut remíttat nobis peccáta noſtra. 1. *Joan.* 1. 9. * Dixítque.

Lectio III. *v.* 12. *ad* 16.

CUmque compléti fúerint dies tui, & dormíeris cum pátribus tuis, ſuſcitábo ſemen tuum poſt te, quod egrediétur de útero tuo: & firmábo regnum ejus. Ipſe ædificábit domum nómini meo, & ſtabíliam thronum regni ejus uſque in ſempitérnum. Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium. Qui ſi iníquè áliquid géſſerit, árguam eum in virga virórum & in plagis filiórum hóminum: miſericórdiam autem meam non áuferam ab eo, ſicut ábſtuli à Saül quem amóvi à fácie mea. Et fidélis erit domus tua, & regnum tuum uſque in ætérnum ante fáciem tuam, & thronus tuus erit firmus júgiter.

℟. *iij.* Ait rex Abíſaï & univérſis ſervis ſuis: Ecce filius meus qui egréſſus eſt de útero meo, quærit ánimam meam: quantò magìs nunc filius Jémini? * Dimíttite eum, ut maledícat, juxta præcéptum Dómini. 2. *Reg.* 16. 11. ℣. Chriſtus, cùm maledicerétur, non maledicébat; cùm paterétur, non comminabátur; tradébat autem judicánti ſe injuſtè. 1. *Petr.* 2. 23. * Dimíttite. Glória. * Dimíttite.

SABBATO.

De Libro ſecúndo Regum.

Lectio I. *c.* 7. *v.* 18. *ad* 22.

INgréſſus eſt Rex David, & ſedit coram Dómino, & dixit: Quis ego ſum, Dómine Deus, & quæ domus mea, quia adduxíſti me huc uſque? Sed & hoc parùm viſum eſt in conſpéctu tuo, Dómine Deus, niſi loquerêris étiam de domo ſervi tui in longínquum: iſta eſt enim lex Adam, Dómine Deus. Quid ergo áddere póterit adhuc David, ut loquátur ad te? tu enim ſcis ſervum tuum, Dómine Deus. Propter verbum tuum, & ſecúndùm cor tuum, fecíſti ómnia magnália hæc, ità ut notum fáceres ſervo tuo. Idcírcò magnificátus es, Dómine Deus, quia non eſt símilis tuî, neque eſt deus extra te, in ómnibus quæ audívimus áuribus noſtris.

Si fiat de Sabbato, duo priora ℟℟. *è Feria IV. præcedenti.*

Lectio II. *c.* 9. *v.* 1. *ad* 5.

ET dixit David: Putáſne eſt áliquis qui remánſerit de domo Saül, ut fáciam cum eo miſericórdiam, propter Jónathan? Erat autem de domo Saül, ſervus nómine Siba: quem cùm vocáſſet Rex ad ſe, dixit ei: Túne es Siba? Et ille reſpóndit: Ego ſum ſervus tuus. Et ait Rex: Nunquid ſúpereſt áliquis de domo Saül, ut fáciam cum eo miſericórdiam Dei? Dixítque Siba Regi: Súpereſt filius Jónathæ, débilis pédibus. Ubi, inquit, eſt? Et Siba ad Regem: Ecce, ait, in domo eſt Machir filii Am-

miel in Lódabar. Miſit ergo rex David, & tulit eum.

LECTIO III. *v. 6. ad* 10.

CUm autem veniſſet Miphíboſeth, filius Jónathæ, fílii Saül ad David, córruit in fáciem ſuam, & adorávit. Dixítque David: Miphíboſeth? Qui reſpóndit: Adſum ſervus tuus. Et ait ei David: Ne tímeas, quia fáciens fáciam in te miſericórdiam, propter Jónathan patrem tuum, & reſtítuam tibi omnes agros Saül patris tui, & tu cómedes panem in menſa mea ſemper. Qui adórans eum, dixit: Quis ego ſum ſervus tuus, quóniam reſpexíſti ſuper canem mórtuum ſímilem meî? Vocávit ítaque Rex Sibam púerũ Saül, & dixit ei: Omnia quæcúmque fuérunt Saül & univérſam domum ejus, dedi filio dómini tui. Operáre ígitur ei terram tu, & filii tui, & ſervi tui: & ínferes filio dómini tui cibos ut alátur: Miphíboſeth autem filius dómini tui cómedet ſemper panem ſuper menſam meam. Erant autẽ Sibæ quíndecim filii, & vigínti ſervi.

DOMINICA XII.
POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

De Libro ſecúndo Regum.

LECTIO I. *c.* 11. *v.* 1. *ad* 5.

FActum eſt, verténte anno, eo témpore quo *ſolent reges ad bella procédere, miſit David Joab, &* ſervos ſuos cum eo, & univérſum Iſraël, & vaſtavérunt filios Ammon, & obſedérunt Rabba: David autem remánſit in Jerúſalem. Dum hæc ageréntur, áccidit ut súrgeret David de ſtrato ſuo poſt merídiem, & deambuláret in ſolário domûs régiæ: vidítque mulíerem ſe lavántem, ex advérſo ſuper ſolárium ſuum: erat autem múlier pulchra valde. Miſit ergo Rex, & requiſívit quæ eſſet múlier. Nuntiatúmque eſt ei, quòd ipſa eſſet Bethſabée, filia Eliam, uxor Uríæ Hethæi. Miſſis ítaque David núntiis, tulit eam: quæ cùm ingréſſa eſſet ad illum, dormívit cum ea: ſtatímque ſanctificáta eſt ab immundítia ſua, & revérſa eſt in domum ſuam, concépto fœtu. Mitténſque nuntiávit David, & ait: Concépi.

℞. *j.* Interfécit Dóminus Saül, & * Tránſtulit regnum ejus ad David filium Iſaï. 1. *Par.* 10. 14. ℣. Amóto Saül, ſuſcitávit Deus David regem. *Act.* 13. 22. * Tránſtulit.

LECTIO II. *v. 6. ad.* 11.

MIſit autem David ad Joab, dicens: Mitte ad me Uríam Hethæum. Miſítque Joab Uríam ad David. Et venit Urías ad David. Quæſivítque David quàm rectè ágeret Joab & pópulus, & quómodo adminiſtrarétur bellum. Et dixit David ad Uríam: Vade

in

in domum tuam, & lava pedes tuos. Et egréſſus eſt Urías de domo Regis, ſecutúſque eſt eum cibus régius. Dormívit autem Urías ante portam domûs régiæ cum áliis ſervis dómini ſui, & non deſcéndit ad domum ſuam. Nuntiatúmque eſt David à dicéntibus: Non ivit Urías in domum ſuam. Et ait David ad Uríam: Nunquid non de via veníſti? quare non deſcendiſti in domum tuam? Et ait Urías ad David: Arca Dei, & Iſraël, & Juda hábitant in papiliónibus, & dóminus meus Joab, & ſervi dómini mei ſuper fáciem terræ manent: & ego ingrédiar domum meam, ut cómedam & bibam, & dórmiam cum uxóre mea? Per ſalútem tuam, & per ſalútem ánimæ tuæ, non fáciam rem hanc.

℟. *ij*. Iniit David cum majóribus natu Iſraël fœdus coram Dómino: * Unxerúntque David Regem ſuper Iſraël, juxta ſermónem Dómini, quem locútus eſt in manu Sámuel. 1. *Par.* 11. 3. ℣. Teſtimónium pérhibens dixit Deus: Invéni David filium Jeſſe, virum ſecúndùm cor meum. *Act.* 13. 22. Unxerúntque.

Lectio III. *v.* 12. *ad* 17.

Alt ergo David ad Uríam: Mane hîc étiam hódie, & cras dimíttam te. Manſit Urías in Jerúſalem *in die illa & áltera: & vocávit eum David, ut coméderet* coram ſe & bíberet, & inebriávit eum: qui egréſſus véſpere, dormívit in ſtrato ſuo cum ſervis dómini ſui, & in domum ſuam non deſcéndit. Factum eſt ergo manè, & ſcripſit David epiſtolam ad Joab: miſítque per manum Uríæ, ſcribens in epíſtola: Pónite Uríam ex advérſo belli, ubi fortíſſimum eſt prǽlium: & derelínquite eum, ut percúſſus intéreat. Igitur cùm Joab obſidéret urbem, póſuit Uríam in loco ubi ſciébat viros eſſe fortíſſimos. Egreſſíque viri de civitáte, bellábant advérsùm Joab: & cecidérunt de pópulo ſervórum David, & mórtuus eſt étiam Urías Hethǽus.

℟. *iij*. Cùm tranſcendíſſent qui portábant arcam Dómini ſex paſſus, immolábat bovem & aríetem; * Et David ſaltábat totis víribus ante Dóminum. 2. *Reg.* 6. 13. 14. ℣. Pétiit David ut inveníret tabernáculum Deo Jacob. *Act.* 7. 46. * Et David. Glória. * Et David.

IN II. NOCTURNO.

De Libro Eccleſiáſtici.

Lectio IV. *c.* 3. *v.* 20. *ad* 27.

Quantò magnus es, humília te in ómnibus, & coram Deo invénies grátiam: quóniam magna poténtia Dei ſolíus, & ab humílibus honorátur. Altióra te ne quæſíeris, & fortióra te ne ſcrutátus fúeris: ſed quæ præcépit tibi Deus

illa cógita ſemper, & in plúribus opéribus ejus ne fúeris curióſus. Non eſt enim tibi neceſſárium, ea quæ abſcóndita ſunt, vidére óculis tuis. In ſupervácuis rebus noli ſcrutári multipliciter, & in plúribus opéribus ejus non eris curióſus. Plúrima enim ſuper ſenſum hóminum oſténſa ſunt tibi. Multos quoque ſupplantávit ſuſpício illórum, & in vanitáte detínuit ſenſus illórum. Cor durum habébit malè in noviſſimo: & qui amat perículum, in illo períbit.

℞. *iv.* Cùm compléti fúerint dies tui, & dormíeris cum pátribus tuis, * Suſcitábo ſemen tuum poſt te, quod egrediétur de útero tuo, & firmábo regnum ejus. 2. *Reg.* 7. 12. ℣. Hujus Deus ex sémine, ſecúndùm promiſſiónem edúxit Iſraël Salvatórem, Jeſum. *Act.* 13. 23. * Suſcitábo.

Lectio V. *c.* 16. *v.* 16. *ad* 19.

NOn dicas: A Deo abſcóndar, & ex ſummo quis mei memorábitur? In pópulo magno non agnóſcar: quæ eſt enim ánima mea in tam imménſa creatúra? Ecce cœlum, & cœli cœlórum, abýſſus, & univérſa terra, & quæ in eis ſunt, in conſpéctu illíus commovebúntur: montes ſimul, & colles, & fundaménta terræ, cùm conſpéxerit illa Deus, tremóre concutiéntur.

℞. *v.* Dixit David ad Nathan: Peccávi Dómino: * Dixítque Nathan ad David: Dóminus quoque tránſtulit peccátum tuum. 2. *Reg.* 12. 13. ℣. Si confiteámur peccáta noſtra, fidélis eſt & juſtus Deus, ut remíttat nobis peccáta noſtra. 1. *Joan.* 1. 9. * Dixítque.

Lectio VI. *v.* 20. *ad* 24.

ET in ómnibus his inſenſátum eſt cor: & omne cor intellígitur ab illo. Et vias illíus quis intélligit, & procéllam quam nec óculus vidébit hóminis? Nam plúrima illíus ópera ſunt in abſcónſis: ſed ópera juſtítiæ ejus quis enuntiábit? aut quis ſuſtinébit? Longè enim eſt teſtaméntum à quibúſdam, & interrogátio ómnium in conſummatióne eſt. Qui minorátur corde, cógitat inánia: & vir imprúdens & errans cógitat ſtulta. Audi me, fili, & diſce diſciplínam ſensûs, & in verbis meis atténde in corde tuo.

℞. *vj.* Ait Rex Abíſaï & univérſis ſervis ſuis: Ecce filius meus qui egréſſus eſt de útero meo, quærit ánimam meam: quantò magis nunc filius Jémini? * Dimíttite eum, ut maledicat, juxta præcéptum Dómini. 2. *Reg.* 16. 11. ℣. Chriſtus, cùm malediceréur, non maledicébat; cùm paterétur, non comminabátur; tradébat autem judicánti ſe injúſtè. 1. Petr. 2. 23. * Dimíttite. Glória. * Dimíttite.

IN III. NOCTURNO.

Sermo ſancti Ambróſii Epíſcopi.

De Apolog. David ad Theodoſ. Auguſt. Cap. 2. n. 5.

LECTIO VII.

UNuſquiſque noſtrûm per ſingulas horas quàm multa delínquit! & tamen unuſquíſque de plebe peccátum ſuum confiténdum non putat. Ille Rex tantus ac potens, ne exíguo quidem moménto, manére penès ſe delícti paſſus eſt conſciéntiam: ſed præmatúrâ confeſſióne, atque imménſo dolóre réddidit peccátum ſuum Dómino. Quem mihi nunc fácilè repérias honorátum ac dívitem, qui, ſi arguátur alicújus culpæ reus, non moléſtè ferat? At ille régio clarus império, tot divínis probátus oráculis, cùm à priváto hómine corriperétur, quòd gráviter deliquíſſet, non indignátus infrémuit, ſed conféſſus ingémuit culpæ dolóre. Déníque Dóminum dolor íntimi movit affèctûs, ut Nathan díceret: Quóniam pœnítuit te, & Dóminus tranſtulit peccátum tuum. Matúritas ítaque véniæ profúndam Regis fuíſſe pœniténtiam declarávit, quæ tanti erróris offénſam tradúxerit.

℟. *vij.* Dixit David ad Dóminum, cùm vidíſſet Angelum *cædéntem pópulum: * Ego ſum qui peccávi, ego iníquè egi; iſti* qui oves ſunt, quid fecérunt? 2. *Reg.* 24. 17. ℣. Tribulátio & angúſtia in omnem ánimam hóminis operántis malum. *Rom.* 2. 9. * Ego ſum qui peccávi, ego iníquè egi; iſti qui oves ſunt, quid fecérunt?

LECTIO VIII. *c.* 4. n. 15.

PEccávit David, quod ſolent Reges: ſed pœniténtiam geſſit, flevit, ingémuit, quod non ſolent Reges. Conféſſus eſt culpam, obſecrávit indulgéntiam, humi ſtratus, deplorávit ærúmnam, jejunávit, orávit, confeſſiónis ſuæ teſtimónium in perpétua ſécula, vulgáto dolóre, tranſmíſit. Quod erubéſcunt fácere priváti, Rex non erúbuit confitéri. Qui tenéntur légibus, audent ſuum negáre peccátum, dedignántur rogáre indulgéntiam, quam petébat qui nullis légibus tenebátur humánis. Quòd peccávit, conditiónis eſt: quòd ſupplicávit, correctiónis. Lapſus commúnis, ſed ſpeciális conféſſio. Culpam ítaque incidíſſe, natúræ eſt: diluíſſe, virtútis.

℟. *viij.* Mórtuus eſt David in ſenectúte bona, * Plenus diérum & divítiis, & glóriâ; & regnávit Sálomon fílius ejus, pro eo. 1. *Par.* 29. 28. ℣. David in ſua generatióne, cùm adminiſtráſſet voluntáti Dei, dormívit, & appóſitus eſt ad patres ſuos. *Act.* 13. 36. * Plenus.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Lucam.

Lectio IX. *c.* 10. *v.* 23. *ad* 37.

Samaritanus.

CONvérſus Jeſus ad diſcípulos ſuos, dixit: Beáti óculi qui vident quæ vos vidétis. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 171. *De verb. Apoſtol.* n. 2. 3.

TOtum genus humánum eſt homo ille qui jacébat in via ſemivívus à latrónibus relíctus, quem contémpſit tránſiens Sacérdos & Levítes: & accéſſit ad eum curándum eíque opitulándum tránſiens Samaritánus. Tránſiit Sacérdos, utríque génere próximus: prætériit jacéntem. Tránſiit Levítes, & hic génere próximus: jacéntem étiam ipſe contémpſit. Tránſiit Samaritánus, génere longínquus, miſericórdiâ próximus: fecítque quod noſtis. In quo Samaritáno vóluit ſe intélligi Dóminus noſter Jeſus Chriſtus. Quid tam longínquum, quid tam remótum, quàm Deus ab homínibus, Immortális à mortálibus, Juſtus à peccatóribus? Non loco longè ſed diſſimilitúdine. Cùm ergo longè à nobis eſſet Immortális & Juſtus, tanquam à mortálibus & *peccatóribus*, deſcéndit ad *nos, ut fieret nobis próximus ille longínquus.*

℟. ix. *Omnis* via viri recta ſibi vidétur: appéndit autem corda Dóminus. * Fácere miſericórdiam & judícium, magìs placet Dómino quàm víctimæ. *Prov.* 21. 2. 3. ℣. Samaritánus quidam iter fáciens, venit ſecùs eum; & videns eum miſericórdiâ motus eſt. *Luc.* 10. 33. * Fácere. Glória. * Fácere. Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. F. Non diligámus verbo neque linguâ, ſed ópere & veritáte. 1. *Joan.* 3. 18.

Oratio.

COnfirma, quǽſumus, Dómine, tuórum corda fidélium, & grátiæ tuæ virtúte corróbora; ut & in tua ſint ſupplicatióne devóti, & mútuâ dilectióne ſincéri. Per Dóminum noſtrum.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. a. Ait Jeſus: Quis horum trium vidétur tibi próximus fuíſſe illi qui íncidit in latrónes? At ille dixit: Qui fecit miſericórdiam in illum. *Luc.* 10. 36. 37.

FERIA SECUNDA.

De Libro ſecúndo Regum.

Lectio I. *c.* 12. *v.* 1. *ad* 6.

MIſit Dóminus Nathan ad David: qui cùm veniſſet ad eum, dixit ei: Duo viri erant in civitáte una, unus dives, & alter pauper. Dives habébat oves & boves plúrimos valde: pauper autem nihil habébat omnínò, præter ovem unam párvulam quam émerat, & nutríerat, & quæ créverat apud eum cum fíliis ejus.

ſimul, de pane illius cómedens, & de calice ejus bibens, & in ſinu illius dórmiens: erátque illi ſicut filia. Cùm autem peregrinus quidam veníſſet ad dívitem, parcens ille súmere de óvibus & de bobus ſuis, ut exhibéret convívium peregríno illi qui vénerat ad ſe, tulit ovem viri paúperis, & præparávit cibos hómini qui vénerat ad ſe. Irátus autem indignatióne David advérsùs hóminem illum nimis, dixit ad Nathan: Vivit Dóminus, quóniam filius mortis eſt vir qui fecit hoc. Ovem reddet in quádruplùm, eò quòd fécerit verbum iſtud, & non pepércerit.

℟. *j.* Interfécit, *p.* 168.

LECTIO II. *v.* 7. *ad* 12.

DIxit autem Nathan ad David: Tu es ille vir. Hæc dicit Dóminus Deus Iſraël: Ego unxi te in Regem ſuper Iſraël, & ego érui te de manu Saül, & dedi tibi domum dómini tui, & uxóres dómini tui in ſinu tuo, dedíque tibi domum Iſraël & Juda: & ſi parva ſunt iſta, adjíciam tibi multò majóra. Quare ergo contempsíſti verbum Dómini, ut fáceres malum in conſpéctu meo? Uríam Hethǽum percuſsíſti gládio, & uxórem illíus accepíſti in uxórem tibi, & interfeciſti *cum gládio filiórum Ammon. Quam ob* rem *non recédet* gládius de domo tua uſque in ſempitérnum, eò quòd deſpéxeris me, & túleris uxórem Uríæ Hethǽi, ut eſſet uxor tua. Itaque hæc dicit Dóminus: Ecce ego ſuſcitábo ſuper te malum de domo tua, & tollam uxóres tuas in óculis tuis, & dabo próximo tuo, & dórmiet cum uxóribus tuis, in óculis ſolis hujus. Tu enim feciſti abſcónditè: ego autem fáciam verbum iſtud in conſpéctu omnis Iſraël, & in conſpéctu ſolis.

℟. *ij.* Iniit, *p.* 169.

LECTIO III. *v.* 13. *ad* 15.

ET dixit David ad Nathan: Peccávi Dómino. Dixítque Nathan ad David: Dóminus quoque tránſtulit peccátum tuum: non moriéris. Verúmtamen, quóniam blaſphemáre feciſti inimícos Dómini, propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi, morte moriétur. Et revérſus eſt Nathan in domum ſuam. Percúſſit quoque Dóminus párvulum quem pepérerat uxor Uríæ, David; & deſperátus eſt.

℟. *iij.* Cùm, *p.* 169.

FERIA TERTIA.

De Libro ſecúndo Regum.

LECTIO I. *c.* 13. *v.* 1. *ad* 5.

FActum eſt ut Abſalom filii David ſorórem ſpecioſiſſimam vocábulo Thamar, adamáret Amnon filius David, & deperíret eam valde, ità ut propter amórem ejus ægrotáret:

quia cùm eſſet virgo, difficile ei videbátur ut quíppiam inhonéſtè ágeret cum ea. Erat autem Amnon amícus, nómine Jónadab, filius Sémmaa fratris David, vir prudens valde. Qui dixit ad eum: Quare ſic attenuáris mácie, fili regis, per ſíngulos dies? cur non índicas mihi? Dixítque ei Amnon: Thamar ſorórem fratris mei Abſalom amo. Cui reſpóndit Jónadab: Cuba ſuper lectum tuum, & languórem ſímula: cúmque vénerit pater tuus, ut víſitet te, dic ei: Véniat, oro, Thamar ſoror mea, ut det mihi cibum, & fáciat pulméntum, ut cómedam de manu ejus.

℟. *j.* Cùm compléti, *p.* 170.

Lectio II. *v. 6. ad* 10.

Accúbuit ítaque Amnon, & quaſi ægrotáre cœpit: cúmque veníſſet Rex ad viſitándum eum, ait Amnòn ad Regem: Véniat, óbſecro, Thamar ſoror mea, ut fáciat in óculis meis duas ſorbitiúnculas, & cibum cápiam de manu ejus. Miſit ergo David ad Thamar domum, dicens: Veni in domum Amnon fratris tui, & fac ei pulméntum. Venítque Thamar in domum Amnon fratris ſui: ille autem jacébat. Quæ tollens farínam commíſcuit: *& liquefáciens, in* óculis *ejus coxit* ſorbitiúnculas. *Tolléntſque quod cóxerat,* effúdit, & póſuit coram eo, & nóluit comédere. Dixítque Amnon: Ejícite univérſos à me. Cúmque ejeciſſent omnes, dixit Amnon ad Thamar: Infer cibum in concláve, ut veſcar de manu tua. Tulit ergo Thamar ſorbitiúnculas quas fécerat, & íntulit ad Amnon fratrem ſuum in concláve.

℟. *ij.* Dixit, *p.* 170.

Lectio III. *v.* 11. *ad* 15.

Cumque obtuliſſet ei cibum, apprehéndit eam, & ait: Veni, cuba mecum, ſoror mea. Quæ reſpóndit ei: Noli, frater mi, noli opprímere me, neque enim hoc fas eſt in Iſraël: noli fácere ſtultítiam hanc. Ego enim ferre non pótero oppróbrium meum, & tu eris quaſi unus de inſipiéntibus in Iſraël: quin pótiùs lóquere ad Regem, & non negábit me tibi. Nóluit autem acquiéſcere précibus ejus, ſed prævalens víribus, oppréſſit eam, & cubávit cum ea. Et exóſam eam hábuit Amnon ódio magno nimis: ita ut majus eſſet ódium quo óderat eam, amóre quo ante diléxerat. Dixítque ei Amnon: Surge, & vade.

℟. *iij.* Ait, *p.* 170.

FERIA QUARTA.

De Libro ſecúndò Regum.

Lectio I. *c.* 13. *v.* 27. *ad* 30.

Fecerat Abſalom convívium quaſi convívium regis. Præcéperat autem Abſalom púeris ſuis, dicens:

Obſerváte cùm temuléntus fúerit Amnon vino, & díxero vobis, Percútite eum, & interfícite. Nolíte timére: ego enim ſum qui præcípio vobis: roborámini, & eſtóte viri fortes. Fecérunt ergo púeri Abſalom advérsùm Amnon, ſicut præcéperat eis Abſalom. Surgentéſque omnes filii Regis, aſcendérunt ſínguli mulas ſuas, & fugérunt. Cùmque adhuc pérgerent in itínere, fama pervénit ad David, dicens: Percúſſit Abſalom omnes filios Regis, & non remánſit ex eis ſaltèm unus.

℟. *j.* Dixit, *p.* 171.

Lectio II. *c.* 14. *v.* 28. *ad fin.*

MAnsítque Abſalom in Jeruſalem duóbus annis, & fáciem Regis non vidit. Miſit ítaque ad Joab, ut mítteret eum ad Regem: qui nóluit veníre ad eum. Cùmque secúndò miſiſſet, & ille noluiſſet veníre ad eum, dixit ſervis ſuis: Scitis agrum Joab juxta agrum meum habéntem meſſem hórdei: ite ígitur & ſuccéndite eum igni. Succendérunt ergo ſervi Abſalom ſégetem igni. Et veniéntes ſervi Joab, ſciſſis véſtibus ſuis, dixérunt: Succendérunt ſervi Abſalom partem agri igni. Surrexítque Joab, & venit ad Abſalom in domum ejus, *& dixit: Quare ſuccendérunt ſervi tui ſégetem meã igni? Et reſpóndit* Abſalom ad Joab: Miſi ad te óbſecrans ut veníres ad me, & mítterem te ad Regem, & díceres ei: Quare veni de Geſſur? mélius mihi erat ibi eſſe. Obſecro ergo, ut vídeam fáciem Regis: quòd ſi memor eſt iniquitátis meæ, interfíciat me. Ingréſſus itaque Joab ad Regem, nuntiávit ei ómnia: vocatúſque eſt Abſalom, & intrávit ad Regem, & adorávit ſuper fáciem terræ coram eo: oſculatúſque eſt Rex Abſalom.

℟. *ij.* Mórtuus, *p.* 171.

Lectio III. *c.* 15. *v.* 1. *ad* 6.

IGitur poſt hæc fecit ſibi Abſalom currus, & équites, & quinquaginta viros qui præcéderent eum. Et manè conſúrgens Abſalom, ſtabat juxta intróitum portæ: & omnem virum qui habébat negótium ut veníret ad Regis judícium, vocábat Abſalom ad ſe, & dicébat: De qua civitáte es tu? Qui reſpóndens aiébat: Ex una tribu Iſraël ego ſum, ſervus tuus. Reſpondebátque ei Abſalom: Vidéntur mihi ſermónes tui boni & juſti. Sed non eſt qui te áudiat conſtitútus à Rege. Dicebátque Abſalom: Quis me conſtítuat júdicem ſuper terram, ut ad me véniant omnes qui habent negótium, & juſtè júdicem! Sed & cùm accéderet ad eum homo ut ſalutáret illum, extendébat manum ſuam, & apprehéndens

oſculabátur eum. Faciebátque hoc omni Iſraël venienti ad judícium, ut audirétur à Rege, & ſollicitábat corda virórum Iſraël.

℟. *iij*. Teténdit Oza manum ſuam, ut ſuſtentáret arcam; bos quippe laſcíviens, paululùm inclináverat eam. * Irátus eſt ítaque Dóminus contra Ozam, & percúſſit eum, eò quòd tetigíſſet arcam, & mórtuus eſt ibi. 1. *Par.* 13. 9. 10. ℣. Quantò mágis putátis deterióra meréri supplícia, qui Filium Dei conculcáverit, & Sánguinem Teſtaménti pollútum dúxerit? *Hebr.* 10. 29. * Irátus. Glória. * Irátus.

FERIA QUINTA.

De Libro ſecúndo Regum.

LECTIO I. *c.* 15. *v.* 10. *ad* 14.

MIſit Abſalom exploratóres in univérſas tribus Iſraël, dicens: Statim ut audiéritis clangórem búccinæ, dícite: Regnávit Abſalom in Hebron. Porrò cum Abſalom iérunt ducénti viri de Jeruſalem vocáti, eúntes símplici corde, & cauſam pénitùs ignorántes. Accerſívit quoque Abſalom Achítophel Gilonítem, conſiliárium David, de civitáte ſua Gilo. Cúmque immoláret víctimas, facta eſt conjurátio válida, populúſque concúrrens augebátur cum Abſalom. Venit ígitur núntius ad David, dicens: Toto corde univérſus Iſraël séquitur Abſalom. Et ait David ſervis ſuis qui erant cum eo in Jeruſalem: Súrgite, fugiámus: neque enim erit nobis effúgium à fácie Abſalom. Feſtináte égredi, ne fortè véniens occúpet nos, & impéllat ſuper nos ruínam, & percútiat civitátem in ore gládii.

℟. *j*. Interfécit, *p.* 168.

LECTIO II. *v.* 30. *ad* 31.

POrrò David aſcendébat Clivum olivárum, ſcandens, & flens, nudis pédibus incédens, & operto cápite: ſed & omnis pópulus qui erat cum eo, operto cápite aſcendébat plorans. Nuntiátum eſt autem David quòd & Achítophel eſſet in conjuratióne cum Abſalom; dixítque David: Infátua, quæſo, Dómine, conſílium Achítophel. Cúmque aſcénderet David ſummitátem montis in quo adoratúrus erat Dóminum, ecce occúrrit ei Chúſaï Arachítes, ſciſsâ veſte, & terrâ pleno cápite.

℟. *ij*. Iniit, *p.* 169.

LECTIO III. *c.* 16. *v.* 5. *ad* 12.

VEnit ergo rex David uſque Bahurim: & ecce egrediebátur inde vir de cognatióne domûs Saül, nómine Séme͏̈i, fílius Gera: procedebátque egrédiens, & maledicébat, mittebátque lápides contra David, & contra univérſos ſervos regis David. Omnis autem pópulus & univérſi bellatóres, à dextro & à ſiniſtro látere Regis incedébant. Ità

autem loquebátur Sémeï cùm maledíceret Regi: Egrédere, egrédere, vir sánguinum, & vir Bélial. Réddidit tibi Dóminus univérſum sánguinem domûs Saül, quóniam invasíſti regnum pro eo: & dedit Dóminus regnum in manu Abſalom filii tui: & ecce premunt te mala tua, quóniam vir sánguinum es. Dixit autem Abíſaï, filius Sárviæ, Regi: Quare maledícit canis hic mórtuus dómino meo Regi? Vadam, & amputábo caput ejus. Et ait Rex: Quid mihi & vobis eſt, filii Sárviæ? dimíttite eum, ut maledícat: Dóminus enim præcépit ei ut maledíceret David: & quis eſt qui audeat dícere quare ſic fécerit? Et ait Rex Abíſaï & univérſis ſervis ſuis: Ecce filius meus qui egréſſus eſt de útero meo, quærit ánimam meam: quantò magis nunc filius Jémini? Dimíttite eum, ut maledícat, juxta præcéptum Dómini: ſi fortè reſpíciat Dóminus afflictiónem meam: & reddat mihi Dóminus bonum pro maledictióne hac hodiérna.

℟. iij. Cùm, *p.* 169.

FERIA SEXTA.

De Libro ſecúndo Regum.

LECTIO I. *c.* 18. *v.* 5. *ad* 8.

PRæcépit Rex Joab, & Abíſaï, & Ethaï, dicens: *Serváte mihi púerum Abſalom. Et omnis pópulus audiébat præcipiéntem* Regem cunctis princípibus pro Abſalom. Itaque egréſſus eſt pópulus in campum contra Iſraël, & factum eſt prælium in ſaltu Ephraïm. Et cæſus eſt ibi pópulus Iſraël ab exércitu David, factaque eſt plaga magna in die illa, vigínti míllium. Fuit autem ibi prælium diſpérſum ſuper fáciem omnis terræ, & multò plures erant quos ſaltus conſúmpſerat de pópulo, quàm hi quos voráverat gládius in die illa.

℟. j. Cùm compléti, *p.* 170.

LECTIO II. *v.* 9. *ad* 15.

ACcidit autem ut occúrreret Abſalom ſervis David, ſedens mulo. Cúmque ingréſſus fuiſſet mulus ſubter condénſam quercum & magnam, adhæſit caput ejus quércui: & illo ſuſpénſo inter cœlum & terram, mulus cui inſéderat, pertranſívit. Vidit autem hoc quíſpiam, & nuntiávit Joab, dicens: Vidi Abſalom pendére de quercu. Et ait Joab viro qui nuntiáverat ei: Si vidíſti, quare non confodíſti eum cum terra, & ego dediſſem tibi decem argénti ſiclos, & unum bálteum? Qui dixit ad Joab: Si appénderes in mánibus meis mille argénteos, nequáquàm mítterem manum meam in filium Regis: audiéntibus enim nobis præcépit Rex tibi, & Abíſaï, & Ethaï, dicens: Cuſtodíte mihi púerum Abſalom.

Sed & ſi feciſſem contra ánimam meam audácter, nequáquàm hoc Regem latére potuiſſet: & tu ſtares ex advérſo? Et ait Joab: Non ſicut tu vis, ſed aggrédiar eum coram te. Tulit ergo tres lánceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalom: cúmque adhuc palpitáret hærens in quercu, cucurrérunt decem júvenes armígeri Joab, & percutiéntes interfecérunt eum.

℟. *ij.* Dixit, *p.* 170.

Lectio III. *v.* 31. *ad finem.*

APpáruit Chuſi: & véniens ait: Bonum appórto núntium, dómine mi Rex: judicávit enim pro te Dóminus hódie, de manu omnium qui ſurrexérunt contra te. Dixit autem Rex ad Chuſi: Eſtne pax púero Abſalom? Cui reſpóndens Chuſi: Fiant, inquit, ſicut puer, inimíci dómini mei Regis, & univérſi qui conſúrgunt advérsùs eum in malum. Contriſtátus itaque Rex, aſcéndit cœnáculum portæ, & flevit. Et ſic loquebátur, vadens: Fili mi, Abſalom, Abſalom, fili mi! quis mihi tríbuat ut ego móriar pro te? Abſalom, fili mi, fili mi, Abſalom!

℟. *iij.* Ait, *p.* 170.

SABBATO.

De Libro ſecúndo Regum.

Lectio I. *c.* 24. *v.* 1. *ad* 4.

ADdidit furor Dómini iráſci contra Iſraël, commovítque David in eis, dicéntem: Vade, númera Iſraël & Judam. Dixítque Rex ad Joab príncipem exércitûs ſui: Perámbula omnes tribus Iſraël à Dan uſque Berſabée, & numeráte pópulum, ut ſciam númerum ejus. Dixítque Joab Regi: Adáugeat Dóminus Deus tuus ad pópulum tuum, quantus nunc eſt, iterúmque centúplicet in conſpéctu dómini mei Regis. Sed quid ſibi dóminus meus Rex vult in re hujuſcémodi? Obtínuit autem ſermo Regis verba Joab & principum exércitûs: egreſſúſque eſt Joab, & príncipes mílitum, à fácie Regis, ut numerárent pópulum Iſraël.

Si fiat de Sabbato, dic priora ℟℟. *è III. Noct. Dom. præced.*

Lectio II. *v.* 11. *ad* 15.

SUrréxit itaque David manè, & ſermo Dómini factus eſt ad Gad Prophétam & Vidéntem David, dicens: Vade, & lóquere ad David: Hæc dicit Dóminus: Trium tibi datur óptio, élige unum quod volúeris ex his, ut fáciam tibi. Cúmque veniſſet Gad ad David, nuntiávit ei, dicens: Aut ſeptem annis véniet tibi fames in terra tua: aut tribus ménſibus fúgies adverſários tuos, & illi te perſequéntur: aut certè tribus diébus erit peſtiléntia in terra tua. Nunc ergo delíbera, & vide quem reſpóndeam, ei qui me miſit, ſermonem.

Dixit autem David ad Gad: Coárctor nimis: ſed mélius eſt ut incidam in manus Dómini, (multæ enim miſericórdiæ ejus ſunt,) quàm in manus hóminum. Immiſítque Dóminus peſtiléntiam in Iſraël, de manè uſque ad tempus conſtitútum: & mórtui ſunt ex pópulo, à Dan uſque ad Berſabée, ſeptuaginta míllia virórum.

Lectio III. *v.* 16. *ad* 19.

Cumque extendiſſet manum ſuam Angelus Dómini ſuper Jeruſalem, ut diſpérderet eam, miſértus eſt Dóminus ſuper afflictióne, & ait Angelo percutiénti pópulum: Súfficit: nunc cóntine manum tuam. Erat autem Angelus Dómini juxta áream Areúna Jebuſæi. Dixítque David ad Dóminum, cùm vidíſſet Angelum cædéntem pópulum: Ego ſum qui peccávi, ego iníquè egi: iſti qui oves ſunt, quid fecérunt? Vertátur, óbſecro, manus tua contrà me, & contra domum patris mei. Venit autem Gad ad David in die illa, & dixit ei: Aſcénde, & conſtítue altáre Dómino in área Areúnæ Jebuſæi. Et aſcéndit David juxta ſermónem Gad, quem præcéperat ei Dóminus.

Ad Magníficat, Ant. 6. F. Sedit Sálomon ſuper ſólium Dómini in Regem pro David patre ſuo, & cunctis plácuit. 1. *Par.* 29. 23.

Oratio, Largíre, *infrà*, *ad Laudes, p.* 183.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Liber tértius Regum.

Lectio I. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 4.

Et rex David ſenúerat, habebátque ætátis plúrimos dies: cúmque operirétur véſtibus, non calefiébat. Dixérunt ergo ei ſervi ſui: Quærámus dómino noſtro Regi adoleſcéntulam vírginem, & ſtet coram Rege, & fóveat eum, dormiátque in ſinu ſuo, & calefáciat dóminum noſtrum Regem. Quæſiérunt igitur adoleſcéntulam ſpecióſam in ómnibus fínibus Iſraël, & invenérunt Abiſag Sunamítidem, & adduxérunt eam ad Regem. Erat autem puélla pulchra nimis, dormiebátque cum Rege, & miniſtrabat ei: Rex verò non cognóvit eam.

℟. *j.* Dóminus diléxit Salomónem; miſítque in manu Nathan Prophétæ, * Et vocávit nomen ejus, Amábilis Dómino. 2. *Reg.* 12. 24. 25. ℣. Scient quia ego diléxi te. *Apoc.* 3. 9. * Et vocávit.

Lectio II. *v.* 5. *ad* 10.

Adonías autem fílius Haggith elevabátur, dicens: Ego regnábo. Fecítque ſibi currus & équites, & quinquaginta v-

qui cúrrerent ante eum. Nec corrípuit eum pater ſuus aliquándo, dicens: Quare hoc feciſti? Erat autem & ipſe pulcher valde, ſecúndus natu poſt Abſalom. Et ſermo ei cum Joab filio Sárviæ, & cum Abíathar ſacerdóte, qui adjuvábant partes Adoníæ. Sadoc verò ſacérdos, & Banaías filius Joíadæ, & Nathan Prophéta, & Séme"i, & Re"i, & robur exércitûs David, non erat cum Adonía. Immolátis ergo Adonías ariétibus & vítulis, & univérſis pínguibus, juxta Lápidem Zóheleth, qui erat vicínus Fonti Rogel, vocávit univérſos fratres ſuos fílios Regis, & omnes viros Juda ſervos Regis. Nathan autem Prophétam, & Banaíam, & robúſtos quoſque, & Salomónem fratrem ſuum, non vocávit.

℟. *ij.* Magnificávit Dóminus Salomónem ſuper omnem Iſraël; & * Dedit illi glóriam regni, qualem nullus hábuit ante eum Rex Iſraël. 1. *Par.* 29. 25. ℣. Deus fidélis pérmanet, negáre ſeípſum non poteſt. 2. *Tim.* 2. 13. * Dedit illi glóriam.

LECTIO III. *v.* 11. *ad* 14.

DIxit ítaque Nathan ad Bethſabée matrem Salomónis: Num audíſti quòd regnáverit Adonías fílius Haggith, & dóminus noſter David hoc ignórat? Nunc ergo veni, áccipe consílium à me, & ſalva ánimam tuam, filiíque tui Salomónis. Vade & ingrédere ad regem David, & dic ei: Nónne tu, dómine mi Rex, juráſti mihi ancíllæ tuæ, dicens: Sálomon fílius tuus regnábit poſt me, & ipſe ſedébit in sólio meo? quare ergo regnat Adonías? Et adhuc ibi te loquénte cum Rege, ego véniam poſt te, & complébo ſermónes tuos.

℟. *iij.* Dixit Sálomon Deo: * Da mihi ſapiéntiam & intelligéntiam, ut ingrédiar & egrédiar coram pópulo tuo. 2. *Par.* 1. 10. ℣. Si quis veſtrûm índiget ſapiéntiâ, póſtulet à Deo. *Jac.* 1. 5. * Da mihi. Glória. * Da mihi.

IN II. NOCTURNO.

De Libro Eccleſiáſtæ.

LECTIO IV. *c.* 1. *v.* 12. *ad finem.*

EGo Eccleſiáſtes fui Rex Iſraël in Jerúſalem: & propóſui in ánimo meo quǽrere & inveſtigáre ſapiénter de ómnibus quæ fiunt ſub ſole. Hanc occupatiónem péſſimam dedit Deus fíliis hóminum, ut occuparéntur in ea. Vidi cuncta quæ fiunt ſub ſole, & ecce univérſa vánitas & afflíctio ſpíritûs. Pervérſi difficilè corrigúntur, & ſtultórum infinítus eſt númerus. Locútus ſum in corde meo, dicens: Ecce magnus efféctus ſum, & præcéſſi omnes ſapiéntiâ, qui fuérunt ante me in Jerúſa-

& mens mea contem-
eſt multa ſapiénter ,
ici. Dedíque cor meũ
em prudéntiam atque
nam , erroréſque &
iam : & agnóvi quòd
quoque eſſet labor ,
ctio ſpíritûs : eò quòd
lta ſapiéntia , multa
lignátio : & qui ad-
éntiam , addit & la-
2.
iv. Dedi tibi cor ſá-
k intélligens , in tan-
ut nullus ante te ſími-
fúerit , nec poſt te
túrus ſit : ſed & * Hæc
non poſtuláſti , dedi
livítias ſcílicet & gló-
3. *Reg.* 3. 12. 13. ℣.
s eſt Deus ómnia fá-
aperabundánter quàm
us. *Eph.* 3. 20. * Hæc.
O V. *c.* 2. *v.* 11. *ad* 15.
m me convertíſſem
l univérſa ópera quæ
nt manus meæ , & ad
s in quibus fruſtrà
eram , vidi in ómni-
nitátem & afflictió-
ánimi , & nihil per-
e ſub ſole. Transívi
templándam ſapién-
erroréſque & ſtultí-
(Quid eſt, inquam ,
, ut ſequi poſſit Regem
rem ſuum ?) & vidi
antùm præcéderet ſa-
a ſtultítiam , quantùm
: lux à ténebris. Sa-
s óculi in cápite ejus :
s in ténebris ámbulat :
ici quòd unus utriúſ-
ſſet intéritus. Et dixi
de meo : Si unus , &
ſtulti , & meus occáſus erit , quid mihi prodeſt quòd majórem ſapiéntiæ dedi óperam ? Locutúſque cum mente mea , animadvérti quòd hoc quoque eſſet vánitas.

℟. v. Audívit omnis Iſraël judícium quod judicáſſet rex Sálomon ; * Et timuérunt Regem , vidéntes ſapiéntiam Dei eſſe in eo. 3. *Reg.* 3. 28. ℣. Audiéntes turbæ mirabántur in doctrína ejus. *Matt.* 22. 33. * Et timuérunt.

De Libro Eccleſiáſtici.

LECTIO VI. *c.* 47. *v.* 14. *ad* 17.

Poſt David ſurréxit fílius ſensátus , & propter illum dejécit omnem poténtiam inimicórum. Sálomon imperávit in diébus pacis , cui ſubjécit Deus omnes hoſtes , ut cónderet domum in nómine ſuo , & paráret ſanctitátem in ſempitérnum. Quemádmodum erudítus es in juventúte tua , & implétus es , quaſi flumen , ſapiéntiâ , & terram retéxit ánima tua ! Et repléſti in comparatiónibus ænígmata ! Ad ínſulas longè divulgátum eſt nomen tuum , & diléctus es in pace tua.

℟. vj. Sálomon * Orávit ; & deſcéndit ignis de cœlo , & consúmpſit holocaúſtum. 2. *Mach.* 2. 10. ℣. Sálomon ædificávit domum Deo Jacob. *Act.* 7. 47. * Orávit. Glória. * Orávit.

IN III. NOCTURNO.

Sermo ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Enarr. in Pſal. 126. *n.* 2.

LECTIO VII.

SAlomon erat témpore ſuo filius David : magnus ille, per quem multa ſancta præcépta, & salúbria mónita, & divína ſacraménta Spíritus ſanctus in Divínis Litteris operátus eſt. Nam ipſe Sálomon mulíerum amátor fuit, & reprobátus eſt à Deo ; & uſque ádeò láqueus illi fuit illa cupíditas, ut à muliéribus étiam idólis ſacrificáre cogerétur, ſicut de illo Scriptúra teſtis eſt. Sed ſi, illo cadénte, quæ per illum dicta ſunt, deleréntur, judicarétur quia ipſe díxerat, non quia per illum dicta erant. Optimè étiam hoc egit misericórdia Dei & Spíritus ejus, ut quidquid boni per Salomónem dictum eſt, Deo tribuerétur : peccátum hóminis, hómini. Quid mirum quia in pópulo Dei cécidit Sálomon ? In paradíſo non cécidit Adam ? Non cécidit de cœlo Angelus, & diábolus factus eſt ? Ideò docémur in nullo hóminum ſpem eſſe ponéndam.

℟. *vij.* Regína Saba non habébat ultrà ſpíritum ; * Dixítque ad Regem : Verus eſt ſermo quem audívi *in terra mea, ſuper ſermónibus tuis, & ſuper ſapiéntia tua. 3. Reg.* 10. 5. 6. 7.

℣. Regína Saba venit à fínibus terræ audíre ſapiéntiam Salomónis. *Luc.* 11. 31. * Dixítque.

LECTIO VIII.

QUia & iſte Sálomon ædificáverat templum Dómino, in typo quidem & in figúra Eccléſiæ & Córporis Dómini ; unde dicit in Evangélio : Sólvite templum hoc, & in tríduo excitábo illud. Quia ergo ipſe ædificáverat illud templum, ædificávit ſibi templum verus Sálomon Dóminus noſter Jeſus Chriſtus, verus Pacíficus. Eſt autem verè Pacíficus, de quo dixit Apóſtolus : Ipſe eſt verè Pacíficus, qui duos paríetes è divérſo veniéntes in ſe copulávit, quibus factus eſt lapis anguláris. Veniénti pópulo ex circumciſióne Credéntium, & veniénti pópulo ex præpútio Géntium, & ipſórum Credéntium, fecit unam Eccléſiam ex duóbus pópulis, & factus eſt illis lapis anguláris. Et ídeò verè Pacíficus, quia verus Sálomon : Sálomon autem ille filius David de mulíere Bethſabée, Rex Iſraël, figúram geſtábat hujus Pacífici, quando templum ædificávit.

℟. *viij.* Certè in géntibus multis non erat Rex ſímilis Salomóni ; * Et diléctus Deo ſuo erat, & póſuit eum Deus Regem ſuper omnem Iſraël, & ipſum ergo duxérunt ad peccátum mulíeres alienígenæ. 2. Eſdr. 13. 26.

℣. Itaque qui ſe exíſtimat ſtare, vídeat ne cadat. 1. *Cor.* 10. 12. * Et diléctus Deo ſuo.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

LECTIO IX. *c.* 17. *v.* 11. *ad* 19.

Decem leproſi.

DUm iret Jeſus in Jerúſalem, transíbat per médiam Samaríam & Galilǽam. Et réliqua.

Homília ſancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 27. *De diverſ. contra vitium ingratitud. n.* 5. 6.

NOnne decem mundáti ſunt? & novem ubi ſunt? Meminíſtis, credo, verba Salvatóris hæc eſſe, novem illórum ingratitúdinem arguéntis. Benè ſiquidem oráſſe, obſecráſſe, poſtuláſſe legúntur, qui levavérunt vocem, dicéntes; Jeſu, Fili David, miſerére nobis. Sed défuit eis quarta quam adjécit Apóſtolus, gratiárum áctio; quóniam non rediérunt, nec egérunt grátias Deo. Multos quoque vidémus uſque hódie ſatis importúnè peténtes quod ſibi deéſſe cognóverint: ſed paucos ádmodum nóvimus, qui dignas ſuper accéptis benefíciis grátias ágere videántur. Nec reprehensíbile eſt quòd inſtánter pétimus; ſed planè petitióni negat *effectum*, quód invenímur ingráti. Et fortè hoc *tiam clementiæ eſſe* videtur, ingrátis negáre quod póſtulant: ne contíngat nobis ut tantò gráviùs de ingratitúdine judicémur, quantò magis accumulátis benefíciis, ingráti probábimur extitíſſe.

℟. ix. Sacraméntum regis abſcóndere bonum eſt; * Opera autem Dei reveláre & confitéri honoríficum eſt. *Tob.* 12. 7. ℣. Unus ex illis, ut vidit quia mundátus eſt, regréſſus eſt cum magna voce, magníficans Deum. *Luc.* 17. 15. * Opera. Glória. * Opera.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. d. Ingráti ſpes tanquam hibernális glácies tabéſcet, & diſpériet tanquam aqua ſupervácua. *Sap.* 16 29.

Oratio.

LArgíre, quǽſumus, Dómine, fidélibus tuis indulgéntiam placátus & pacem; ut páriter ab ómnibus mundéntur offénſis, & ſecúrâ ſemper memoríque tibi mente deſérviant; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Non eſt invéntus qui redíret, & daret glóriam Deo, niſi hic alienígena. *Luc.* 17. 18.

FERIA SECUNDA.

De Libro tértio Regum.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 15. *ad* 21.

INgréſſa eſt Bethſabée ad Regem in cubículum: Rex autem ſenúerat nimis, & Abiſag Sunamítis miniſ-

trâbat ei. Inclinávit ſe Bethſabée, & adorávit Regem. Ad quam Rex : Quid tibi, inquit, vis ? Quæ reſpóndens, ait : Dómine mi, tu juráſti per Dóminum Deum tuum ancíllæ tuæ : Sálomon fílius tuus regnábit poſt me, & ipſe ſedébit in ſólio meo. Et ecce nunc Adonías regnat, te, dómine mi Rex, ignoránte. Mactávit boves, & pínguia quæque, & aríetes plúrimos, & vocávit omnes fílios Regis, Abíathar quoque ſacerdótem, & Joab príncipem milítiæ : Salomónem autem ſervum tuum non vocávit. Verúmtamen, dómine mi Rex, in te óculi reſpíciunt totíus Iſraël, ut índices eis, quis ſedére débeat in ſólio tuo, dómine mi Rex, poſt te. Eritque cùm dormíerit dóminus meus Rex cũ pátribus ſuis, érimus ego & fílius meus Sálomon peccatóres.

℟. *j*. Dóminus, *p.* 179.

Lectio II. *v.* 22. *ad* 31.

Adhuc illâ loquénte cum Rege, Nathan Prophéta venit. Et nuntiavérunt Regi, dicéntes : Adeſt Nathan Prophéta. Cúmque introíſſet in conſpéctu Regis, & adoráſſet eum pronus in terram, dixit Nathan : Dómine mi Rex, tu dixíſti : Adonías regnet poſt me, & ipſe ſédeat ſuper thronum meum ? Quia deſcéndit hódie, & immolávit boves, & pínguia, & aríetes plúrimos, & vocávit univérſos fílios Regis, & príncipes exércitûs, Abíathar quoque ſacerdótem : illíſque veſcéntibus, & bibéntibus coram eo, & dicéntibus : Vivat rex Adonías, me ſervum tuum, & Sadoc ſacerdótem, & Banaíam fílium Joíadæ, & Salomónem fámulum tuum, non vocávit. Nunquid à dómino meo Rege exivit hoc verbum, & mihi non indicáſti ſervo tuo, quis ſeſſúrus eſſet ſuper thronum dómini mei Regis poſt eum ? Et reſpóndit Rex David, dicens : Vocáte ad me Bethſabée. Quæ cùm fuíſſet ingréſſa coram Rege, & ſtetíſſet ante eum, jurávit Rex, & ait : Vivit Dóminus qui éruit ánimam meam de omni angúſtia, quia ſicut jurávi tibi per Dóminum Deum Iſraël, dicens : Sálomon fílius tuus regnábit poſt me, & ipſe ſedébit ſuper ſólium meum pro me, ſic fáciam hódie. Summiſſóque Bethſabée in terram vultu, adorávit Regem, dicens : Vivat dóminus meus David in ætérnum.

℟. *ij*. Magnificávit, *p.* 180.

Lectio III. *v.* 38. *ad* 40.

Deſcéndit ergo Sadoc ſacérdos, & Nathan Prophéta, & Banaías fílius Joíadæ, & Ceréthi, & Pheléthi : & impoſuérunt Salomónem ſuper mulam Regis David, & adduxérunt eum in Gihon. Sumpsítque Sadoc ſacérdos cornu ólei de tabernáculo, & unxit Salomó-

& cecinérunt búccinâ,
dit omnis pópulus :
Rex Sálomon. Et
it univérſa multitúdo
um, & pópulus canén-
tíbiis, & lætántium
magno, & insónuit
à clamóre eórum.
iij. Dixit, *p.* 180.
IA TERTIA.
ibro tértio Regum.
TIO I. *c.* 2. *v.* 1.
4.
ropinquavérunt dies
avid ut moreretur,
itque Salomóni filio
licens: Ego ingrédior
nivérſæ terræ: con-
e; & eſto vir: & ob-
cuſtódias Dómini Dei
ámbules in viis ejus,
ſtódias cæremónias
& præcépta ejus, &
, & teſtimónia, ſicut
m elt in lege Móyſi:
élligas univérſa quæ
& quocúmque te vér-
ut confirmet Dómi-
ermónes ſuos, quos
s eſt de me, dicens:
todíerint filii tui vias
& ambuláverint co-
ne, in veritáte, in
corde ſuo, & in omni
ſua, non auferétur
ir de sólio Iſraël.
j. Dedi, *p.* 181.
O II. *v.* 10. *ad* 18.
rmívit ígitur David
cum pátribus ſuis, &
us eſt in Civitáte Da-
Dies autem quibus re-
t David ſuper Iſraël,
agínta anni ſunt. In
n regnávit ſeptem
annis : in Jeruſalem, tri-
gínta tribus. Sálomon au-
tem ſedit ſuper thronum
David patris ſui, & firmá-
tum eſt regnum ejus nimis.
Et ingréſſus eſt Adonías,
fílius Haggith ad Bethſa-
bée matrem Salomónis:
quæ dixit ei: Pacificúſne
eſt ingréſſus tuus? Qui reſ-
póndit: Pacíficus. Addidít-
que: Sermo mihi eſt ad
te. Cui ait: Lóquere. Et
ille: Tu, inquit: noſti
quia meum erat regnum,
& me præpoſúerat omnis
Iſraël ſibi in regem: ſed
tranſlátum eſt regnum, &
factum eſt fratris mei: à
Dómino enim conſtitútum
eſt ei. Nunc ergo petitió-
nem unam precor à te; ne
confúndas fáciem meam.
Quæ dixit ad eum: Ló-
quere. Et ille ait: Precor ut
dicas Salomóni Regi, (neque
enim negáre tibi quidquam
poteſt,) ut det mihi Abiſag
Sunamítidem uxórem. Et
ait Bethſabée: Benè, ego
loquar pro te Regi.

℟. ij. Audívit, *p.* 181.

LECTIO III. *v.* 19. *ad* 25.

VEnit ergo Bethſabée ad Regem Salomónem, ut loquerétur ei pro Adonía. Et ſurréxit Rex in occúrſum ejus, adoravítque eam, & ſedit ſuper thronum ſuum: poſitúſque eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad déxteram ejus. Dixítque ei: Petitiónem unam párvulam ego déprecor à te; ne confúndas fáciem meam. Et di-

xit ei Rex: Pete, mater mea: neque enim fas eſt ut avértam fáciem tuam. Quæ ait: Detur Abiſag Sunamítis Adoníæ fratri tuo uxor. Reſpondítque Rex Sálomon, & dixit matri ſuæ: Quare póſtulas Abiſag Sunamítidē Adoníæ? Póſtula ei & regnum: ipſe eſt enim frater meus major me, & habet Abíathar ſacerdótem, & Joab filium Sárviæ. Jurávit itaque Rex Sálomon per Dóminum, dicens: Hæc fáciat mihi Deus & hæc addat, quia contra ánimam ſuam locútus eſt Adonías verbum hoc. Et nunc, vivit Dóminus qui firmávit me, & collocávit me ſuper sólium David patris mei, & qui fecit mihi domum, ſicut locútus eſt, quia hódie occidétur Adonías. Misítque Rex Sálomon per manum Banaíæ filii Joíadæ, qui interfécit eum, & mórtuus eſt.

℟. iij. Sálomon, p. 181.

FERIA QUARTA.

De Libro tértio Regum.

LECTIO I. c. 3. v. 1. *ad* 4.

Confirmátum eſt regnum in manu Salomónis, & affinitáte conjúnctus eſt Pharaóni regi Ægýpti: accépit namque fíliam ejus, & addúxit in Civitátem David, donec compléret ædíficans domum ſuam, & *domum Dómini*, & murum *Jerúſalem per circúitum*. Attamen *pópulus* immolábat in excélſis: non enim ædificátum erat templum nómini Dómini uſque in diem illum. Diléxit autem Sálomon Dóminum, ámbulans in præcéptis David patris ſui, excépto quòd in excélſis immolábat, & accendébat thymiáma. Abiit itaque in Gábaon, ut immoláret ibi: illud quippe erat excélſum máximum: mille hóſtias in holocauſtum óbtulit Sálomon ſuper altáre illud in Gábaon.

℟. j. Regína, p. 18[illegible]

LECTIO II. v. 5. ad 10.

Appáruit autem Dóminus Salomóni per ſómnium nocte, dicens: Póſtula quod vis ut dem tibi. Et ait Sálomon: Tu fecíſti cum ſervo tuo David patre meo miſericórdiam magnam, ſicut ambulávit in conſpéctu tuo in veritáte, & juſtítia, & recto corde tecum: cuſtodíſti ei miſericórdiam tuam grandem, & dedíſti ei filium ſedéntem ſuper thronum ejus, ſicut eſt hódie. Et nunc, Dómine Deus, tu regnáre fecíſti ſervum tuum pro David patre meo: ego autem ſum puer párvulus, & ignórans egréſſum & intróitum meū. Et ſervus tuus in médio eſt pópuli quem elegíſti, pópuli infiníti, qui numerári & ſupputári non poteſt præ multitúdine. Dabis ergo ſervo tuo cor dócile, ut pópulum tuum judicáre poſſit, &

diſcérnere inter bonum & malum. Quis enim póterit judicáre pópulum iſtum, pópulum tuum hunc multum? Plácuit ergo ſermo coram Dómino, quòd Sálomon poſtuláſſet hujuſcémodi rem.

℟. *ij.* Certè, *p.* 182.

LECTIO III. *v.* 11. *ad* 15.

ET dixit Dóminus Salomóni: Quia poſtuláſti verbum hoc, & non petíſti tibi dies multos, nec divítias, aut ánimas inimicórum tuórum, ſed poſtuláſti tibi ſapiéntiam ad diſcernéndum judícium, ecce feci tibi ſecúndùm ſermónes tuos, & dedi tibi cor ſápiens & intélligens, in tantùm ut nullus ante te ſimilis tuî fúerit, nec poſt te ſurrectúrus ſit. Sed & hæc quæ non poſtuláſti, dedi tibi, divítias ſcílicet, & glóriam, ut nemo fúerit ſímilis tuî in régibus, cunctis retrò diébus. Si autem ambuláveris in viis meis, & cuſtodíeris præcépta mea & mandáta mea, ſicut ambulávit pater tuus, longos fáciam dies tuos. Igitur evigilávit Sálomon, & intelléxit quod eſſet sómnium: cúmque veníſſet Jerúſalem, ſtetit coram arca fœ́deris Dómini, & óbtulit holocáuſta, & fecit víctimas pacíficas, & grande convívium univérſis fámulis ſuis.

℟. *iij. Dixit Dóminus Salomóni: Quia habuíſti hoc apud te, & non cuſtodíſti* pactum meum & præcépta mea quæ mandávi tibi, * Diſrúmpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſervo tuo. 3. *Reg.* 11. 11. ℣. Dicis, quia dives ſum, & locupletátus, & nullíus égeo; & neſcis quia tu es miſer & miſerábilis. *Apoc.* 3. 17. * Diſrúmpens ſcindam. Glória. * Diſrúmpens ſcindam.

FERIA QUINTA.

De Libro tértio Regum.

LECTIO I. *c.* 3. *v.* 16. *ad* 21.

VEnérunt duæ mulíeres meretríces ad Regem, ſteterúntque coram eo; quarum una ait: Obſecro, mi dómine: ego & múlier hæc habitabámus in domo una, & péperi apud eam in cubículo. Tértiâ autem die poſtquàm ego péperi, péperit & hæc: & erámus ſimul, nullúſque álius nobíſcum in domo, excéptis nobis duábus. Mórtuus eſt autem fílius mulíeris hujus nocte: dórmiens quippe oppréſſit eum. Et consúrgens intempéſtæ noctis ſiléntio, tulit fílium meum de látere meo, ancíllæ tuæ dormiéntis, & collocávit in ſinu ſuo: ſuum autem fílium qui erat mórtuus, póſuit in ſinu meo. Cúmque ſurrexíſſem manè ut darem lac fílio meo, appáruit mórtuus: quem diligéntiùs íntuens, clarâ luce, deprehéndi non eſſe meum quem genúeram.

℟. *j.* Dóminus, *p.* 179.

Lectio II. *v. 22. ad 23.*

RESpondítque áltera múlier : Non eſt ità ut dicis, ſed filius tuus mórtuus eſt, meus autem vivit. E contrário illa dicébat : Mentíris: filius quippe meus vivit, & filius tuus mórtuus eſt. Atque in hunc modum contendébant coram Rege. Tunc Rex ait: Hæc dicit, filius meus vivit, & filius tuus mórtuus eſt : & iſta reſpóndit : Non, ſed filius tuus mórtuus eſt, meus autem vivit.

℟. *ij.* Magnificávit, *p.* 180.

Lectio III. *v. 24. ad fin.*

DIxit ergo Rex : Afférte mihi gládium. Cúmque attuliſſent gládium coram Rege : Divídite, inquit, infántem vivum in duas partes, & date dimídiam partem uni, & dimídiam partem álteri. Dixit autem múlier cujus filius erat vivus, ad Regem : (commóta ſunt quippe víſcera ejus ſuper filio ſuo :) Obſecro, dómine, date illi infántem vivum, & nolíte interficere eum. E contrário illa dicébat : Nec mihi nec tibi ſit ; ſed dividátur. Reſpóndit Rex, & ait: Date huic infántem vivum, & non occidátur : hæc eſt enim mater ejus. Audívit ítaque omnis Iſraël judícium quod judicáſſet Rex, & timuérunt Regem, vidéntes ſapiéntiam Dei eſſe in eo ad faciéndum judícium.

℟. *iij.* Dixit, *p.* 180.

FERIA SEXTA.

De Libro tértio Regum.

Lectio I. *c. 6. v. 1. ad 5.*

FActum eſt quadringenteſimo & octogéſimo anno egreſſiónis filiórum Iſraël de terra Ægypti, in anno quarto, menſe Zio, (ipſe eſt menſis ſecúndus,) regni Salomónis ſuper Iſraël, ædificári cœpit domus Dómino. Domus autem quam ædificábat Rex Sálomon Dómino, habébat ſexagínta cúbitos in longitúdine, & vigínti cúbitos in latitúdine, & trigínta cúbitos in altitúdine. Et pórticus erat ante templum vigínti cubitórum longitúdinis, juxta menſúram latitúdinis templi : & habébat decem cúbitos latitúdinis ante fáciem templi. Fecítque in templo fenéſtras obliquas. Et ædificávit ſuper paríetem templi tabuláta per gyrum, in pariétibus domûs per circúitum templi & oráculi, & fecit látera in circúitu.

℟. *j.* Dedi, *p.* 181.

Lectio II. *v. 11. ad 13.*

ET factus eſt ſermo Dómini ad Salomónem, dicens : Domus hæc quam ædíficas, ſi ambuláveris in præcéptis meis, & judícia mea féceris, & cuſtodíeris ómnia mandáta mea, gradiens per ea, firmábo ſermónem meum tibi, quem locútus ſum ad David patrem tuum. Et habitábo in médio filiórum Iſraël, & non derelínquam pópulum

meum Iſraël. Igitur ædificávit Sálomon domum, & conſummávit eam. Et ædificávit paríetes domûs intrínſecùs tabulátis cedrínis: à paviménto domûs, uſque ad ſummitátem paríetum, & uſque ad laqueária, opéruit lignis cedrínis intrínſecùs: & texit paviméntum domûs tábulis abiégnis.

℟. *ij*. Audivit, *p.* 181.

Lectio III. *v.* 18. *ad* 22.

Et cedro omnis domus intrínſecùs veſtiebátur, habens tornatúras & junctúras ſuas fabrefáctas, & cælatúras eminéntes: ómnia cedrínis tábulis veſtiebántur, nec omninò lapis apparére póterat in paríete. Oráculum autem in médio domûs, in interióri parte fécerat, ut póneret ibi arcam fœ́deris Dómini. Porrò oráculum habébat vigínti cúbitos longitúdinis, & vigínti cúbitos latitúdinis, & vigínti cúbitos altitúdinis: & opéruit illud atque veſtívit auro puríſſimo, ſed & altáre veſtívit cedro. Domum quoque ante oráculum opéruit auro puríſſimo, & affíxit láminas clavis aúreis. Nihílque erat in templo quod non auro tegerétur: ſed & totum altáre oráculi texit auro.

℟. *iij*. Sálomon, *p.* 181.

SABBATO.

De Libro tértio Regum.

Lectio I. *c.* 6. *v.* 27. *ad* 33.

Poſuit Sálomon Chérubim in médio templi interióris: extendébant autem alas ſuas Chérubim, & tangébat ala una paríetem, & ala Cherub ſecúndi tangébat paríetem álterum: alæ autem álteræ in média parte templi ſe ínvicem contingébant. Texit quoque Chérubim auro. Et omnes paríetes templi per circúitum ſculpſit váriis cælatúris & torno: & fecit in eis Chérubim, & palmas, & pictúras várias, quaſi prominéntes de paríete, & egrediéntes. Sed & paviméntum domûs texit auro intrínſecùs & extrínſecùs. Et in ingréſſu oráculi fécit oſtíola de lignis olivárum, poſtéſque angulórum quinque. Et duo óſtia de lignis olivárum: & ſculpſit in eis pictúram Chérubim, & palmárum ſpécies, & anáglypha valde prominéntia: & texit ea auro: & opéruit tam Chérubim quàm palmas & cǽtera, auro. Fecítque in intróitu templi poſtes de lignis olivárum quadrangulátos.

Si fiat de Sabbato, duo priora ℟℟. *è III. Noct. Dom. præced.*

Lectio II. *c.* 7. *v.* 23. *ad* 25.

Fecit quoque mare fuſile decem cubitórum à lábio uſque ad lábium, rotúndum in circúitu: quinque cubitórum altitúdo ejus, & reſtícula trigínta cubitórum cingébat illud per circúitum. Et ſculptúra ſubter lábium circuíbat illud decem

cúbitis ámbiens mare: duo órdines ſculpturárum ſtriatárum erant fuſiles. Et ſtabat ſuper duódecim boves, è quibus tres reſpiciébant ad Aquilónem, & tres ad Occidéntem, & tres ad Merídiem, & tres ad Oriéntem, & mare ſuper eos déſuper erat: quorum poſterióra univérſa intrínſecus latitábant.

Lectio III. *v.* 48. *ad fin.*

FEcítque Sálomon ómnia vaſa in domo Dómini: altáre áureum, & menſam ſuper quam poneréntur panes propoſitiónis, áuream: & candelábra áurea, quinque ad déxteram, & quinque ad ſiníſtram, contra oráculum, ex auro: & quaſi lílii flores, & lucérnas déſuper áureas: & fórcipes áureos, & hýdrias, & fuſcínulas, & phíalas, & mortaríola, & thuríbula, de auro puríſſimo: & cárdines oſtiórum domûs interióris Sancti ſanctórum, & oſtiórum domûs templi, ex auro érant. Et perfécit omne opus quod faciébat Sálomon in domo Dómini, & íntulit quæ ſanctificáverat David pater ſuus, argéntum, & aurum, & vaſa, repoſuítque in theſáuris domûs Dómini.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Majéſtas Dómini implévit domum, nec póterant ſacerdótes íngredi templum Dómini, eò quòd impléſſet Majéſtas Dómini templum Dómini. 2. *Par.* 7. 1. 2.

Oratio, Da nobis, *infrà, ad Laudes*, *p.* 195.

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

De Libro tértio Regum.

Lectio I. *c.* 8. *v.* 6. *ad* 11.

INtulérunt ſacerdótes arcam fœderis Dómini in locum ſuum, in oráculum templi, in Sanctum ſanctórum, ſubter alas Chérubim. Siquidem Chérubim expandébant alas ſuper locum arcæ, & protegébant arcam & vectes ejus déſuper. Cúmque eminérent vectes, & apparérent ſummitátes eórum foris Sanctuárium ante oráculum, non apparébant ultrà extrínſecus, qui & fuérunt ibi uſque in præséntem diem. In arca autem non erat áliud, niſi duæ tábulæ lapídeæ, quas poſúerat in ea Móyſes in Horeb, quando pépigit Dóminus fœdus cum filiis Iſraël, cùm egrederéntur de terra Ægýpti. Factum eſt autem, cùm exíſſent ſacerdótes de Sanctuário, nébula implévit domum Dómini, & non póterant ſacerdótes ſtare & miniſtráre propter nébulam: impléverat enim glória Dómini domum Dómini.

℟. *j.* Dóminus diléxit Salomónem; miſítque in manu Nathan Prophétæ, * Et vocávit nomen ejus, Amábilis Dómino. 2. *Reg.* 12. 24. 25. ℣. Scient quia ego diléxi te. *Apoc.* 3. 9. * Et vocávit.

LECTIO II. *v.* 22. *ad* 28.

STetit autem Sálomon ante altáre Dómini, in conſpéctu eccléſiæ Iſraël, & expándit manus ſuas in cœlum, & ait: Dómine Deus Iſraël, non eſt ſímilis tuî deus in cœlo déſuper, & ſuper terram deórsùm: qui cuſtódis pactum & miſericórdiam ſervis tuis qui ámbulant coram te in toto corde ſuo. Qui cuſtodíſti ſervo tuo David patri meo quæ locútus es ei: ore locútus es, & mánibus perfecíſti, ut hæc dies probat. Nunc ígitur, Dómine Deus Iſraël, consérva fámulo tuo David patri meo quæ locútus es ei, dicens: Non auferétur de te vir coram me, qui sédeat ſuper thronum Iſraël: ità tamen ſi cuſtodíerint filii tui viam ſuam, ut ámbulent coram me, ſicut tu ambuláſti in conſpéctu meo. Et nunc, Dómine Deus Iſraël, firméntur verba tua quæ locútus es ſervo tuo David patri meo. Ergone putándum eſt quòd verè Deus hábitet ſuper terram? Si enim cœlum & cœli cœlórum te cápere non poſſunt, quantò magis domus hæc quam ædificávi? Sed réſpice ad oratiónem ſervi tui, & ad preces ejus: Dómine Deus meus, audi hymnum & oratiónem, quam ſervus tuus orat coram te hódie.

℟. *ij.* Magnificávit Dóminus Salomónem ſuper omnem Iſraël; & * Dedit illi glóriam regni, qualem nullus hábuit ante eum Rex Iſraël. 1. *Par.* 29. 25. ℣. Deus fidélis pérmanet, negáre ſeípſum non poteſt. 2. *Tim.* 2. 13. * Dedit.

LECTIO III. *v.* 62. *ad* 65.

IGitur Rex, & omnis Iſraël cum eo, immolábant víctimas coram Dómino. Mactavítque Sálomon hóſtias pacíficas quas immolávit Dómino, boum vigínti duo míllia & óvium centum vigínti míllia: & dedicavérunt templum Dómini, Rex & filii Iſraël. In die illa ſanctificávit Rex médium átrii quod erat ante domum Dómini: fecit quippe holocáuſtum ibi, & ſacrifícium, & ádipèm pacificórum: quóniam altáre ǽreum quod erat coram Dómino, minus erat, & cápere non póterat holocáuſtum, & ſacrifícium, & ádipem pacificórum. Fecit ergo Sálomon in témpore illo feſtivitátem célebrem, & omnis Iſraël cum eo, multitúdo magna ab intróitu Emath, uſque ad Rivum Ægýpti, coram Dómino Deo noſtro, ſeptem diébus, & ſeptem diébus, id eſt, quatuórdecim diébus.

℟. *iij.* Dixit Sálomon Deo: * Da mihi ſapiéntiam & intelligéntiam, ut ingrédiar & egrédiar coram pópulo tuo. 2. *Par.* 1. 10. ℣. Si quis veſtrûm índiget ſapiéntiâ, póſtulet à Deo,

Jac. 1. 5. * Da mihi. Glória. * Da mihi.

IN II. NOCTURNO.

De Libro Sapiéntiæ.

Lectio IV. *c.* 8. *v.* 21. *ad fin. & c.* 9. *v.* 1. *ad* 6.

UT ſcivi quóniam áliter non poſſem eſſe contínens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapiéntiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum, ádii Dóminum, & deprecátus ſum illum, & dixi ex totis præcórdiis meis: Deus patrum meórum, & Dómine miſericórdiæ, qui feciſti ómnia verbo tuo, & ſapiéntiâ tuâ conſtituiſti hóminem, ut dominarétur creatúræ quæ à te facta eſt, ut diſpónat orbem terrárum in æquitáte & juſtítia, & in directióne cordis judícium júdicet, da mihi ſédium tuárum aſſiſtrícem ſapiéntiam, & noli me reprobáre à púeris tuis: quóniam ſervus tuus ſum ego, & filius ancíllæ tuæ, homo infirmus, & exígui témporis, & minor ad intelléctum judícii & legum. Nam & ſi quis erit conſummátus inter filios hóminum, ſi ab illo abſúerit ſapiéntia tua, in nihilum computábitur.

℞. *iv.* Dedi tibi cor ſápiens & intélligens, in tantùm ut nullus ante te ſímilis tuî fúerit, nec poſt te ſurrectúrus ſit: ſed & * Hæc quæ non poſtuláſti, dedi tibi, divítias ſcílicet & glóriam. 3. *Reg.* 3. 12. 13. ℣. Potens eſt Deus ómnia fácere ſuperabundánter quàm pétimus. *Eph.* 3. 20. * Hæc.

Lectio V. *v.* 7. *ad* 12.

TU elegiſti me Regem pópulo tuo, & Júdicem filiórum tuórum & filiárum: & dixíſti me ædificáre templum in monte ſancto tuo, & in civitáte habitatiónis tuæ altáre, ſimilitúdinem tabernáculi ſancti tui, quod preparáſti ab inítio. Et tecum ſapiéntia tua, quæ novit ópera tua, quæ & áffuit tunc cùm orbem terrárum fáceres, & ſciébat quid eſſet plácitum óculis tuis, & quid diréctum in præcéptis tuis. Mitte illam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitúdinis tuæ, ut mecum ſit & mecum labóret: ut ſciam quid accéptum ſit apud te. Scit enim illa ómnia, & intélligit, & dedúcet me in opéribus meis ſóbriè, & cuſtódiet me in ſua poténtia. Et erunt accépta ópera mea, & diſpónam pópulum tuum juſtè, & ero dignus ſédium patris mei.

℞. *v.* Audívit omnis Iſraël judícium quod judicáſſet Rex Sálomon; * Et timuérunt Regem, vidéntes ſapiéntiam Dei eſſe in eo. 3. *Reg.* 3. 28. ℣. Audiéntes turbæ mirabántur in doctrína ejus. *Matt.* 22. 33. * Et.

Lectio VI. *v.* 13. *ad* 18.

QUis enim hóminum póterit ſcire consílium Dei? aut quis póterit cogitáre quid velit Deus? Cogitatiónes

gitatiónes enim mortálium tímidæ, & incértæ provídentiæ noſtræ. Corpus enim quod corrúmpitur, ággravat ánimam: & terréna inhabitátio déprimit ſenſum multa cogitántem. Et difficilè æſtimámus quæ in terra ſunt: & quæ in proſpéctu ſunt, invenímus cum labóre. Quæ autem in cœlis ſunt, quis inveſtigábit? Senſum autem tuum quis ſciet, nisi tu déderis ſapiéntiam, & míſeris Spíritum ſanctum tuum de altíſſimis: & ſic corréctæ ſint sémitæ eórum qui ſunt in terris, & quæ tibi placent, didícerint hómines?

℟. *vj.* Sálomon * Orávit; & deſcéndit ignis de cœlo, & conſúmpſit holocaúſtum. 2. *Mach.* 2. 10. ℣. Sálomon ædificávit domum Deo Jacob. *Act.* 7. 47. * Orávit. Glória. * Orávit.

IN III. NOCTURNO.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lib. 17. *de Civit. Dei. Cap.* 8. n. 1. & 2.

Lectio VII.

HÆc dicit Dóminus omnípotens: Suſcitábo ſemen tuum poſt te, qui erit de ventre tuo, & præparábo regnum ejus. Hic ædificábit mihi domum nómini meo, & dírigam thronum illíus uſque in ætérnum. Hanc tam grandem promiſſiónem, qui putat in Salomóne fuíſſe complétam, multùm errat. Atténdit enim quod dictum eſt: Hic ædificábit mihi domum, quóniam Sálomon templum illud nóbile extrúxit: & non atténdit: Fidélis erit domus ejus, & regnum ejus, uſque in ætérnum coram me. Atténdat ergo, & aſpíciat Salomónis domum plenam muliéribus alienígenis coléntibus deos falſos, & ipſum ab eis Regem, aliquándo ſapiéntem, in eámdem idololatríam ſedúctum, atque dejéctum: & non aúdeat exiſtimáre Deum, vel hoc promisíſſe mendáciter, vel talem Salomónem domúmque ejus futúram, non potuíſſe preſcíre. Non hinc autem debérémus ambígere; nec ſi non in Chriſto Dómino noſtro, qui factus eſt ex sémine David ſecúndùm carnẽ, jam viderémus iſta compléri: ne vanè atque inániter hîc álium áliquem requirámus, ſicut carnáles Judǽi.

℟. *vij.* Regína Saba non habébat ultrà ſpíritum; * Dixítque ad Regem: Verus eſt ſermo quem audívi in terra mea, ſuper ſermónibus tuis, & ſuper ſapiéntia tua. 3. *Reg.* 10. 5. 6. 7. ℣. Regína Saba venit à fínibus terræ audíre ſapiéntiam Salomónis. *Luc.* 11. 31. * Dixítque.

Lectio VIII.

FActa eſt quidem nonnúlla imágo rei futúræ, étiam in Salomóne, in eò quòd templum ædificávit, & pacem hábuit ſecúndùm

nomen ſuum ; (Sálomon quippe Pacíficus eſt Latìnè :) & in exórdio regni ſui mirabíliter laudábilis fuit. Sed eâdem ſuâ perſónâ, per umbram futúri prænuntiábat étiam ipſe Chriſtum Dóminum noſtrum, non exhibébat. Unde quædam de illo ità ſcripta ſunt, quaſi de ipſo iſta prædícta ſint, dum Scriptúra ſancta étiam rebus geſtis prophétans, quodámmodo in eo figúram delíneat futurórum.

℟. *viij.* Certè in géntibus multis non erat rex símilis Salomóni ; * Et diléctus Deo ſuo erat, & póſuit eum Deus Regem ſuper omnem Iſraël, & ipſum ergo duxérunt ad peccátum mulíeres alienígenæ. 2. *Eſdr.* 13. 26. ℣. Itaque qui ſe exíſtimat ſtare, vídeat ne cadat. 1. *Cor.* 10. 12. * Et.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

LECTIO IX. *c.6.v.* 24.*ad*33.

Deo ſerviendum, non mammonæ.

DIxit Jeſus diſcípulis ſuis: Nemo poteſt duóbus dóminis ſervíre. Et réliqua.

Homília ſancti Cypriáni Epíſcopi & Mártyris.

De opere & Eleemoſynis.

EIs ómnia appóni dicit & tradi, qui regnum & juſtítiam Dei quærunt. Eos enim Dóminus, cùm judícii *dies vénerit*, ad percipiéndū *regnum dicit* admítti, qui *fúerint in Ecclésia* ejus operáti. Métuis ne patrimónium tuum fortè deficiat, ſi operári ex eo lárgiter cœ́peris & neſcis, miſer, quia dum times ne res familiáris defíciat, vita ipſa & ſalus déficit : & dum, ne quid de rebus tuis minuátur atténdis, non réſpicis quòd ipſe minuáris, amátor magis mammónæ quàm ánimæ tuæ : ut dum times ne pr[illegible] te patrimónium tuum perdas, ipſe pro património tuo péreas ; & ideò benè Apóſtolus clamat & dicit : Nihil intúlimus in hunc mundum ; verum nec auférre quid póſſumus. Vólucres Deus paſcit, & paſſéribus aliménta diúrna præſtántur : & quibus nullus divínæ rei ſenſus eſt, eis nec potus nec cibus deeſt. Tu, Chriſtiáno, tu, Dei ſervo, tu, opéribus bonis dédito, tu, Dómino ſuo caro áliquid exíſtimas defutúrum ! niſì ſi putas quia qui Chriſtum paſcit, à Chriſto ipſe non páſcitur ; aut eis terréna déerunt, quibus cœléſtia & divína tribuúntur. Unde hæc incrédula cogitátio ? Unde ímpia & ſacrílega iſta meditátio ? Quid facit in domo fidei pérfidum pectus ? Quid, qui Chriſto omnìnò non credit, appellátur & dícitur Chriſtiánus ?

℟. *ix.* Mendicitátem & divítias ne déderis mihi, Dómine ; * Tríbue tantùm victui meo neceſſária. *Prov.* 30. 8. ℣. Nónne [illegible]

ıs eſt quàm eſca, &
ıplus quàm veſtimén-
Matt. 6. 25. * Trí-
Glória. * Tribue.
Deum.
Benedíctus, *Ant.* 2. D.
rbri dedit Deus af-
nem & curam ſupér-
, ut addat & côngre-
Eccle. 2. 26.

Oratio.

nobis, Dómine,
quǽſumus, regnum
& juſtítiam ejus pri-
inquírere; & præſta
nis temporálibus quæ
dignitáte ſpirituálibus
r, sóbriè, & piè, &
utámur; Per Dóminũ.
Magníficat, *Ant.* 2. D.*
poteſt duóbus dó-
ſervíre: aut enim
ódio habébit, & ál-
díliget; aut unum
ébit, & álterum con-
et. *Matt. 6. 24.*

IA SECUNDA.
Libro tértio Regum.
IO I. *c.* 10. *v.* 5. *ad* 9.
gína Saba, audítâ
amâ Salomónis in nó-
Dómini, venit ten-
eum in ænigmátibus.
ěréſſa Jerúſalem mul-
m comitátu & diví-
camélis portántibus
ata & aurum infiní-
nimis, & gemmas
ſas, venit ad Regem
nónem, & locúta eſt
vérſa quæ habébat in
ſuo. Et dócuit eam
*non ómnia verba quæ
uerat: non fuit ſer-
ui Regem poſſet la-*
tére, & non reſpondéret ei. Videns autem regína Saba omnem ſapiéntiam Salomónis, & domum quam ædificáverat, & cibos menſæ ejus, & habitácula ſervórum, & órdines miniſtrántium, veſtéſque eórum, & pincérnas, & holocáuſta quæ offerébat in domo Dómini, non habébat ultrà ſpíritum. Dixítque ad Regem: Verus eſt ſermo quem audívi in terra mea, ſuper ſermónibus tuis, & ſuper ſapiéntia tua: & non credébam narrántibus mihi, dónec ipſa veni, & vidi óculis meis, & probávi quòd média pars mihi nuntiáta non fúerit. Major eſt ſapiéntia & ópera tua, quàm rumor quem audívi. Beáti viri tui, & beáti ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & aúdiunt ſapiéntiam tuam! Sit Dóminus Deus tuus benedíctus, cui complacuíſti, & póſuit te ſuper thronum Iſraël, eò quòd diléxerit Dóminus Iſraël in ſempitérnum, & conſtítuit te Regem, ut fáceres judícium & juſtítiam.

℟. *j.* Dóminus, *p.* 190.

LECTIO II. *c.* 11. *v.* 1. *ad* 6.

REx autem Sálomon adamávit mulíeres alienígenas multas, fíliam quoque Pharaónis, & Moabítidas, & Ammonítidas, & Idumǽas, & Sidónias, & Hethǽas, de géntibus ſuper quibus dixit Dóminus fíliis Iſraël: Non ingrediémi-

mini ad eas, neque de illis ingrediéntur ad veſtras: certiſſimè enim avértent corda veſtra, ut ſequámini deos eárum. His itaque copulátus eſt Sálomon ardentíſſimo amóre. Fuerúntque ei uxóres quaſi regínæ ſeptingéntæ, & concubínæ trecéntæ: & avertérunt mulíeres cor ejus. Cúmque jam eſſet ſenex, depravátum eſt cor ejus per mulíeres, ut ſequerétur deos aliénos: nec erat cor ejus perféctum coram Dómino Deo ſuo, ſicut cor David patris ejus. Sed colébat Sálomon Aſtárthen deam Sidoniórum, & Moloch idólum Ammonitárum. Fecítque Sálomon quod non placúerat coram Dómino, & non adimplévit ut ſequerétur Dóminum, ſicut David pater ejus.

℞. *ij.* Magnificávit, *p.* 191.

Lectio III. *v.* 9. *ad* 13.

IGitur irátus eſt Dóminus Salomóni, quòd avérſa eſſet mens ejus à Dómino Deo Iſraël, qui apparúerat ei ſecúndò, & præcéperat de verbo hoc, ne ſequerétur deos aliénos, & non cuſtodívit quæ mandávit ei Dóminus. Dixit itaque Dóminus Salomóni: Quia habuíſti hoc apud te, & non cuſtodíſti pactum meum, & præcépta mea quæ mandávi tibi, diſrúmpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud *ſervo tuo. Verúmtamen in diébus tuis* non fáciam, *propter David* patrem tuum; de manu filii tui ſcindam illud, nec totum regnum áuferam, ſed tribum unam dabo filio tuo, propter David ſervum meum, & Jerúſalem quam elégi.

℞. *iij.* Dixit, *p.* 191.

FERIA TERTIA

De Libro tértio Regum.

Lectio I. *c.* 11. *v.* 29. *ad* 32.

FActum eſt in témpore illo, ut Jeróboam egrederétur de Jerúſalem, & inveníret eum Ahías Silonítes Prophéta, in via, opértus pállio novo: erant autem duo tantùm in agro. Apprehendénſque Ahías pállium ſuum novum quo coopértus erat, ſcidit in duódecim partes. Et ait ad Jeróboam: Tolle tibi decem ſciſſúras: hæc enim dicit Dóminus Deus Iſraël: Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomónis, & dabo tibi decem tribus. Porrò una tribus remanébit ei, propter ſervum meum David, & Jerúſalem civitátem quam elégi ex ómnibus tribubus Iſraël.

℞. *j.* Dedi, *p.* 192.

Lectio II. *v.* 40. *ad fin.*

VOluit ergo Sálomon interfícere Jeróboam; qui ſurréxit, & aufúgit in Ægyptum ad Seſac regem Ægypti: & fuit in Ægypto, uſque ad mortem Salomónis. Réliquum autem verbórum Salomónis, & ómnia quæ fecit, & ſapiéntia ejus: ecce univérſa ſcripta ſunt in Libro verbórum

ı Salomónis. Dies
quos regnávit Sá-
in Jerúſalem ſuper
a Iſraël, quadragínta
nt. Dormivítque Sá-
cum pátribus ſuis, &
ıs eſt in Civitáte Da-
ris ſui : regnavítque
m fílius ejus pro eo.
j. Audívit, *p.* 192.
ɔ III. *c.* 12. *v.* 20. *ad* 24.
um eſt autem, cùm
díſſet omnis Iſraël
evérſus eſſet Jeróboã,
ınt, & vocavérunt
congregáto cœtu, &
uérunt eum Regem
omnem Iſraël : nec
s eſt quiſquam do-
David, præter tri-
uda ſolam. Venit au-
óboam Jerúſalem, &
gávit univérſam do-
Juda, & tribum Bén-
, centum octogínta
electórum virórum
rum, ut pugnárent
domum Iſraël, &
rent regnum Róboã
alomónis. Factus eſt
ſermo Dómini ad Se-
ı virum Dei, dicens :
re ad Róboam fílium
ónis regem Juda, &
nem domum Juda, &
nin, & réliquos de
, dicens : Hæc dicit
nus : Non aſcendétis,
bellábitis contra fra-
eſtros fílios Iſraël.
tátur vir in domum
: à me enim *factum*
bum hoc. Audiérunt
em Dómini, & re-
it de itínere, ſicut
eis præcéperat Dóminus.

℟. *iij.* Sálomon, *p.* 193.

FERIA QUARTA.

De Libro tértio Regum.

LECTIO I. *c.* 18. *v.* 1. *ad* 8.

POſt dies multos factum eſt verbum Dómini ad Elíam, in anno tértio, dicens : Vade, & oſténde te Achab, ut dem plúviam ſuper fáciem terræ. Ivit ergo Elías, ut oſténderet ſe Achab : erat autem fames véhemens in Samaría. Vocavítque Achab Abdíam diſpenſatórem domûs ſuæ : Abdías autem timébat Dóminum valde. Nam cùm interfíceret Jézabel Prophétas Dómini, tulit ille centum Prophétas, & abſcóndit eos quinquagénos & quinquagénos in ſpelúncis, & pavit eos pane & aquâ. Dixit ergo Achab ad Abdíam : Vade in terram ad univérſos fontes aquárum, & in cunctas valles, ſi fortè poſsímus invenire herbam, & ſalváre equos & mulos, & non pénitùs juménta intéreant. Diviſerúntque ſibi regiónes, ut circuírent eas. Achab ibat per viam unam, & Abdías per viam álteram ſeórsùm. Cúmque eſſet Abdías in via, Elías occúrrit ei : qui cùm cognovíſſet eum, cécidit ſuper fáciem ſuam, & ait : Num tu es, dómine mi, Elías ? Cui ille reſpóndit : Ego. Vade, & dic dómino tuo : Adeſt Elías.

℟. *j.* Fecit Judas malum

coram Dómino, & * Irritavérunt eum ſuper ómnibus quæ fécerant patres eórum. 3. *Reg.* 14. 22. ℣. O generátio incrédula & pervérſa! *Matt.* 17. 16. * Irritavérunt.

LECTIO II. *v.* 16. *ad* 21.

ABiit ergo Abdías in occúrſum Achab, & indicávit ei: venítque Achab in occúrſum Elíæ. Et cùm vidíſſet eum, ait: Túne es ille qui contúrbas Iſraël? Et ille ait: Non ego turbávi Iſraël, ſed tu & domus patris tui, qui dereliquíſtis mandáta Dómini, & ſecúti eſtis Baálim. Verúmtamen nunc mitte, & cóngrega ad me univérſum Iſraël in monte Carméli, & prophétas Baal quadringéntos quinquagínta, prophetáſque lucórum quadringéntos qui cómedunt de menſa Jézabel. Miſit Achab ad omnes fílios Iſraël, & congregávit prophétas in monte Carméli. Accédens autem Elías ad omnem pópulum, ait: Uſquequò claudicátis in duas partes? Si Dóminus eſt Deus, ſequímini eum: ſi autem Baal, ſequímini illum. Et non reſpóndit ei pópulus verbum.

℟. *ij.* Dixit Elías ad Achab: * Vivit Dóminus Deus Iſraël in cujus conſpéctu ſto, ſi erit annis his ros & plúvia, nisi juxta oris mei verba. 3. *Reg.* 17. 1. ℣. Oratióne orávit Elías ut non plúeret ſuper terram, & *non pluit, annos* tres & menſes ſex. *Jac.* 5. 17. * Vivit.

LECTIO III. *v.* 22. *ad* 24.

AIt rursùs Elías ad pópulum: Ego remánſi Prophéta Dómini ſolus: prophétæ autem Baal quadringénti & quinquagínta viri ſunt. Dentur nobis duo boves, & illi éligant ſibi bovem unum, & in fruſta cædéntes, ponant ſuper ligna, ignem autem non ſuppónant: & ego fáciam bovem álterum, & impónam ſuper ligna, ignem autem non ſuppónam. Invocáte nómina deórum veſtrórum, & ego invocábo nomen Dómini mei: & Deus qui exaudíerit per ignem, ipſe ſit Deus. Reſpóndens omnis pópulus, ait: Optima propoſítio.

℟. *iij.* Ecce cœli contenebráti ſunt, & nubes, & ventus, * Et facta eſt plúvia grandis. 3. *Reg.* 18. 45. ℣. Rursùm orávit Elías, & cœlum dedit plúviam. *Jac.* 5. 18. * Et facta. Glória. * Et facta.

FERIA QUINTA.

De Libro tértio Regum.

LECTIO I. *c.* 18. *v.* 25. *ad* 28.

DIxit Elías prophétis Baal: Elígite vobis bovem unum, & fácite primi, quia vos plures eſtis: & invocáte nómina deórum veſtrórum, ignémque non ſupponátis. Qui cùm tulíſſent bovem quem déderat eis, fecérunt: & invocábant nomen Baal de manè uſque ad merídiem,

:es: Baal, exaúdi nos.
on erat vox, nec qui
ndéret: tranſiliebánt-
altáre quod fécerant.
jue eſſet jam merídies,
bat illis Elías, di-
Clamáte voce majó-
:us enim eſt, & fórſi-
quitur, aut in diver-
eſt, aut in itínere,
rtè dormit, ut exci-
Clamábant ergo voce
â, & incidébant ſe,
ritum ſuum, cultris
céolis, donec perfun-
tur ſánguine.
j. Accédens Elías ad
m pópulum, ait: Uſ-
ùò claudicátis in duas
? * Si Dóminus eſt
, ſequímini eum. 3.
18. 21. ℣. Nemo ſer-
oteſt duóbus dóminis
e. Luc. 16. 13. * Si
nus.
r IO II. v. 29. ad 35.
ſtquàm autem tránſiit
erídies, & illis pro-
ntibus vénerat tempus
acrificium offérri ſo-
nec audiebátur vox,
liquis reſpondébat,
tendébat orántes, di-
as omni pópulo: Ve-
ad me. Et accedénte
pópulo, curávit al-
ómini, quod deſtrúc-
ierat. Et tulit duóde-
pides juxta númerum
m filiórum Jacob,
em factus eſt ſermo
ni, dicens: Iſraël erit
tuum. Et ædificávit
dibus altáre in nómi-
ini: fecítque aquæ-

dúctum, quaſi per duas ara-
tiúnculas in circúitu altáris,
& compóſuit ligna: divi-
ſítque per membra bovem,
& póſuit ſuper ligna, &
ait: Impléte quátuor hýdrias
aquâ, & fúndite ſuper ho-
locaúſtum, & ſuper ligna.
Rursúmque dixit: Etiam ſe-
cúndò hoc fácite. Qui cùm
feciſſent ſecúndò, ait: Etiã
tértiò idípſum fácite. Fece-
rúntque tértiò, & curré-
bant aquæ circùm altáre, &
foſſa aquæductûs repléta eſt.
℟. ij. Ait Elías ad pópu-
lum: invocáte nómina deó-
rum veſtrórum; & * Ego
invocábo nomen Dómini
mei: & Deus qui exaudíerit
per ignem, ipſe ſit Deus.
3. Reg. 18. 24. ℣. Non de-
bémus æſtimáre, auro, aut
argénto, aut lápidi ſculp-
túræ artis & cogitatiónis
hóminis, Divínum eſſe ſi-
mile. Act. 17. 29. * Ego
invocábo.

Lectio III. v. 36. ad 40.

Cumque jam tempus eſſet
ut offerrétur holocaúſ-
tum, accédens Elías Prophé-
ta, ait: Dómine Deus Abra-
ham, & Iſaac, & Iſraël,
oſténde hódie quia tu es
Deus Iſraël, & ego ſervus
tuus, & juxta præcéptum
tuum feci ómnia verba hæc.
Exaúdi me, Dómine, exaú-
di me: ut diſcat pópulus iſte,
quia tu es Dóminus Deus,
& tu convertíſti cor eórum
íterùm. Cécidit autem ignis
Dómini, & vorávit holo-
caúſtum, & ligna, & la-

pides, púlverem quoque, & aquam quæ erat in aquædúctu lambens. Quod cùm vidíſſet omnis pópulus, cécidit in fáciem ſuam, & ait: Dóminus ipſe eſt Deus: Dóminus ipſe eſt Deus. Dixítque Elías ad eos: Apprehéndite prophétas Baal, & ne unus quidem effúgiat ex eis. Quos cùm apprehendíſſent, duxit eos Elías ad torréntem Ciſon, & interfécit eos ibi.

℟. *iij.* Omnis pópulus cécidit in fáciem ſuam, & ait: * Dóminus ipſe eſt Deus: Dóminus ipſe eſt Deus. 3. *Reg.* 18. 39. ℣. Unus Deus & Pater ómnium, qui eſt ſuper omnes. *Eph.* 4. 6. * Dóminus ipſe eſt. Glória. * Dóminus ipſe eſt.

FERIA SEXTA.

De Libro tértio Regum.

LECTIO I. *c.* 21. *v.* 1. *ad* 4.

TEmpore illo, vínea erat Naboth Jezrahelítæ, qui erat in Jézrahel, juxta palátium Achab regis Samaríæ. Locútus eſt ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi víneam tuam, ut fáciam mihi hortum oleórum, quia vicína eſt & propè domum meam, dabóque tibi pro ea víneam meliórem. Aut ſi commódius tibi putas, argénti prétium, quanto digna eſt. Cui reſpóndit Naboth: Propítius ſit mihi Dóminus, ne dem hæreditátem patrum meórum tibi. Venit *ergo* Achab in domum ſuã indígnans, & frendens ſuper verbo quod locútus fúerat ad eum Naboth Jezrahelítes, dicens: Non dabo tibi hæreditátem patrum meórum. Et projíciens ſe in léctulum ſuum, avértit fáciem ſuam ad paríetem, & non comédit panem.

℟. *j.* Fecit, *p.* 197.

LECTIO II. *v.* 7. *ad* 13.

DIxit ergo ad eum Jézabel uxor ejus: Grandis auctoritátis es, & benè regis regnum Iſraël. Surge, & cómede panem, & æquo ánimo eſto, ego dabo tibi víneam Naboth Jezrahelítæ. Scripſit ítaque lítteras ex nómine Achab, & ſignávit eas ánnulo ejus, & miſit ad majóres natu & optimátes, qui erant in civitáte ejus, & habitábant cum Naboth. Litterárum autem hæc erat ſenténtia: Prædicáte jejúnium, & ſedére fácite Naboth inter primos pópuli, & ſubmíttite duos viros filios Bélial contra eum, & falſum teſtimónium dicant: Benedíxit Deum & Regem, & edúcite eum, & lapidáte, ſicque moriátur. Fecérunt ergo cives ejus majóres natu & optimátes, qui habitábant cum eo in urbe, ſicut præcéperat eis Jézabel, & ſicut ſcriptum erat in lítteris quas míſerat ad eos. Prædicavérunt jejúnium, & ſedére fecérunt Naboth inter primos pópuli. Et addúctis duóbus viris filiis diáboli,

ıt eos ſedére contra
àt illi, ſcílicet ut vi-
ılici, dixéruntcontra
ſtimónium, coram
idine: Benedíxit Na-
Deum & Regem:
ob rem eduxérunt
tra civitátem, & la-
s interfecérunt.
j. Dixit, *p.* 198.
) III. *v.* 17. *ad* 22.
us eſt ígitur ſermo
mini ad Elíam Theſ-
dicens: Surge, &
de in occúrſum Achab
ſraël, qui eſt in Sa-
ecce ad víneam Na-
eſcéndit, ut poſsídeat
Et loquéris ad eum,
: Hæc dicit Dóminus:
ſti, ínſuper & poſſe-
Et poſt hæc addes:
icit Dóminus: In lo-
:, in quo linxérunt
ánguinem Naboth,
ıt quoque ſánguinem
Et ait Achab ad Eliã:
ıveniſti me inimícum
Qui dixit: Invéni, eò
venúmdatus ſis ut fá-
malum in conſpéctu
ii. Ecce ego indúcam
e malum, & déme-
ſteri óra tua, & in-
ım de Achab min-
ı ad paríetem, &
m & últimum in Iſ-
t dabo domum tuam,
omum Jeróboam filii
, & ſicut domum
filii Ahía: quia egíſti
ad iracúndiam pro-
s, & peccáre fecíſti

ij. Ecce, *p.* 198.

SABBATO.

De Libro tértio Regum.

Lectio I. *c.* 21. *v.* 23. *ad* 27.

De Jézabel locútus eſt Dóminus, dicens: Canes cómedent Jézabel in agro Jézrahel. Si mórtuus fúerit Achab in civitáte, cómedent eum canes: ſi autem mórtuus fúerit in agro, cómedent eum vólucres cœli. Igitur non fuit álter talis ſicut Achab, qui venúmdatus eſt ut fáceret malum in conſpéctu Dómini. Concitávit enim eum Jézabel uxor ſua, & abominábilis factus eſt, in tantùm ut ſequerétur idóla, quæ fécerant Amorrhæi, quos conſúmpſit Dóminus à fácie filiórum Iſraël. Itaque cùm audíſſet Achab ſermónes iſtos, ſcidit veſtiménta ſua, & opéruit cilício carnem ſuam, jejunavítque & dormívit in ſacco, & ambulávit demíſſo cápite.

Si fiat de Sabbato, duo priora ℟℟. *è Feria V. præcedenti, p.* 199.

Lectio II. *c.* 22. *v.* 34. *ad* 38.

Vir quidam teténdit arcum, in incértum ſagíttam dírigens, & caſu percúſſit Regem Iſraël, inter pulmónem & ſtómachum. At ille dixit aurígæ ſuo: Verte manum tuam, & éjice me de exércitu, quia gráviter vulnerátus ſum. Commíſſum eſt ergo prælium in die illa, & Rex Iſraël ſtabat in curru ſuo contra Syros, & mórtuus eſt

véſpere. Fluébat autem ſanguis plagæ in ſinum currûs, & præco insónuit in univérſo exércitu, ántequàm ſol occúmberet, dicens: Unuſquíſque revertátur in civitátem, & in terram ſuam. Mórtuus eſt autem Rex, & perlátus eſt in Samaríam: ſepeliérúntque Regem in Samaría, & lavérunt currum ejus in piſcína Samaríæ, & linxérunt canes sánguinem ejus; & habénas lavérunt, juxta verbum Dómini quod locútus fúerat.

Lectio III. *v.* 40. *ad* 45.

DOrmívit ergo Achab cũ pátribus ſuis: & regnávit Ochozías fílius ejus pro eo. Jóſaphat verò fílius Aſa regnáre cœperat ſuper Judam anno quarto Achab regis Iſraël. Trigínta quinque annórum erat, cùm regnáre cœpiſſet, & vigínti quinque annis regnávit in Jerúſalem: nomen matris ejus Azuba, fília Sálaï. Et ambulávit in omni via Aſa patris ſui, & non declinávit ex ea: fecítque quod rectum erat in conſpéctu Dómini. Verúmtamen excélſa non ábſtulit: adhuc énim pópulus ſacrificábat, & adolébat incénſum in excélſis. Pacémque hábuit Jóſaphat cum Rege Iſraël.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D.* Elías in túrbine tectus eſt; & in Eliséo complétus eſt *ſpíritus ejus. Eccli.* 48. 13.

Oratio, Ecclésiæ tuæ, *infrà, ad Laudes, p.* 206.

DOMINICA XV.

POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber quartus Regum.

Lectio I. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 4.

PRævaricátus eſt autem Moab in Iſraël, poſtquàm mórtuus eſt Achab. Cecidítque Ochozías per cancéllos cœnáculi ſui, quod habébat in Samaría, & ægrotávit. Misítque núntios, dicens ad eos: Ite, consúlite Beélzebub deum Accaron, utrùm vívere queam de infirmitáte mea hac. Angelus autem Dómini locútus eſt ad Elíam Thesbíten, dicens: Surge, & aſcénde in occúrſum nuntiórum Regis Samaríæ, & dices ad eos: Nunquid non eſt Deus in Iſraël, ut eátis ad conſuléndum Beélzebub deum Accaron? Quam ob rem hæc dicit Dóminus: De léctulo ſuper quem aſcendíſti, non deſcéndes, ſed morte moriéris. Et ábiit Elías.

℟. *j.* Amplificátus eſt Elías in mirabílibus ſuis: * Et quis poteſt ſimíliter ſic gloriári tibi? *Eccli.* 48. 4. ℣. Teſtimónium hábuit placuíſſe Deo. *Hebr.* 11. 5. * Et.

Lectio II. *v.* 5. *ad* 10.

REversíque ſunt núntii ad Ochozíam. Qui dixit eis: Quare revérſi eſtis? At illi reſpondérunt ei: Vir occúrrit nobis, & dixit ad nos: Ite, & revertímini ad Regem qui miſit vos, & dicétis ei: Hæc dicit Dóminus: Nunquid quia non

Deus in Iſraël, mittis
onſulátur Beélzebub
Accaron? Idcircò de
lo ſuper quem aſcen-
, non deſcéndes, ſed
e moriéris. Qui dixit
Cujus figúræ & hábi-
t vir ille qui occúrrit
, & locútus eſt verba
At illi dixérunt: Vir
us, & zonâ pellíceâ
ctus rénibus. Qui ait:
Thesbítes eſt. Misít-
d eum Quinquagená-
príncipem, & quin-
inta qui erant ſub eo.
aſcéndit ad eum: ſe-
que in vértice montis,
Homo Dei, Rex præ-
ut deſcéndas. Reſpon-
que Elías, dixit Quin-
enário: Si homo Dei
, deſcéndat ignis de
, & dévoret te, &
quagíntá tuos. Deſcén-
itque ignis de cœlo, &
rávit eum, & quinqua-
qui erant cum eo.
ij. Elías dixit ad Eli-
: Póſtula quod vis ut
n tibi, ántequàm tol-
te: * Dixitque Eli-
Obſecro ut fiat in me
x ſpíritus tuus. 4. *Reg.*
℣. Diviſiónes gratiárũ
idem autem Spíritus.
r. 12. 4. * Dixítque.
IO III. *v.* 11. *ad* 17.
Irsúmque miſit ad eum
príncipem Quinquage-
m álterum, & quin-
inta cum eo. Qui locú-
t *illi: Homo Dei, hæc
Rex: Feſtína, deſcén-
ſpóndens Elías*, ait:

Si homo Dei ego ſum, deſ-
céndat ignis de cœlo, & dé-
voret te, & quinquagínta
tuos. Deſcéndit ergo ignis de
cœlo, & devorávit illum,
& quinquagínta ejus. Ite-
rùm miſit príncipem Quin-
quagenárium tértium, &
quinquagínta qui erant cum
eo. Qui cùm veníſſet, cur-
vávit génua contra Elíam,
& precátus eſt eum, & ait:
Homo Dei, noli deſpícere
ánimam meam, & ánimas
ſervórum tuórum qui me-
cum ſunt. Ecce deſcéndit
ignis de cœlo, & devorávit
duos príncipes Quinquage-
nários primos, & quinqua-
génos qui cum eis erant: ſed
nunc óbſecro ut misereáris
ánimæ meæ. Locútus eſt au-
tem Angelus Dómini ad
Elíam, dicens: Deſcénde
cum eo, ne tímeas. Surréxit
ígitur, & deſcéndit cum eo
ad Regem, & locútus eſt
ei: Hæc dicit Dóminus:
Quia miſíſti núntios ad con-
ſuléndum Beélzebub deum
Accaron, quaſi non eſſet
Deus in Iſraël, à quo poſſes
interrogáre ſermónem, ídeò
de léctulo ſuper quem aſ-
cendíſti, non deſcéndes,
ſed morte moriéris. Mór-
tuus eſt ergo juxta ſermó-
nem Dómini, quem locú-
tus eſt Elías, & regnávit
Joram frater ejus pro eo.

℞. *iij*. Cùm pérgerent
Elías & Eliséus, & ince-
déntes ſermocinaréntur, *
Ecce currus ígneus & equi
ígnei diviſérunt utrúmque.

& aſcéndit Elías per túrbinem in cœlum. 4. *Reg.* 2. 11. ℣. Tranſlátus eſt, ne vidéret mortem. *Hebr.* 11. 5. * Ecce. Glória. * Ecce.

IN II. NOCTURNO.

De Libro Eccleſiáſtici.

Lectio IV. *c.* 48. *v.* 1. *ad* 11.

SUrréxit Elías Prophéta, quaſi ignis, & verbum ipsíus quaſi fácula ardébat. Qui indúxit in illos famem, & irritántes illũ invídiâ ſuâ, pauci facti ſunt; non enim póterant ſuſtinére præcépta Dómini. Verbo Dómini contínuit cœlum, & dejécit de cœlo ignem ter: ſic amplificátus eſt Elías in mirabílibus ſuis. Et quis poteſt ſimíliter ſic gloriári tibi? Qui ſuſtuliſti mórtuum ab ínferis de ſorte mortis, in verbo Dómini Dei. Qui dejeciſti reges ad perníciem, & confregíſti fácilè poténtiam ipſórum & glorióſos de lecto ſuo. Qui audis in Sina judícium, & in Horeb judícia defenſiónis. Qui ungis reges ad pœniténtiam, & Prophétas facis ſucceſſóres poſt te. Qui recéptus es in túrbine ignis, in curru equórum igneórum. Qui ſcriptus es, in judíciis témporum, leníre iracúndiam Dómini, conciliáre cor patris ad fílium, & reſtitúere tribus Jacob. Beáti ſunt qui te vidérunt, & in amicítia tua decoráti ſunt.

℟. *iv.* Vidéntes fílii prophetárum, qui erant in Jéricho è contrà, dixérunt: * Requiévit ſpíritus Elíæ ſuper Eliséum. 4. *Reg.* 2. 15. ℣. Operátur unus atque idem Spíritus, dívidens ſíngulis próut vult. 1. *Cor.* 12. 11. * Requiévit.

Lectio V. *v.* 13. *ad* 18.

ELías quidem in túrbine tectus eſt, & in Eliséo complétus eſt ſpíritus ejus. In diébus ſuis non pertímuit príncipem, & poténtiâ nemo vicit illum; nec ſuperávit illum verbum áliquod: & mórtuum prophetávit corpus ejus. In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabília operátus eſt. In ómnibus iſtis non pœnítuit pópulus, & non receſſérunt à peccátis ſuis, uſque dum ejécti ſunt de terra ſua, & diſpérſi ſunt in omnem terram, & relícta eſt gens perpaúca, & princeps in domo David. Quidam ipſórum fecérunt quod placéret Deo: álii autem multa commiſérunt peccáta.

℟. *v.* Ait Eliséus: * Hæc dicit Dóminus: Sanávi aquas has; & non erit ultrà in eis mors, neque ſterílitas. 4. *Reg.* 2. 21. ℣. Omnia quæcúmque petiéritis in oratióne credéntes, accipiétis. *Matt.* 21. 22. * Hæc.

Lectio VI. *v.* 25. *ad finem. & c.* 49. *v.* 1. *ad* 5.

FEcit Ezechías quod plácuit Deo, & fórtiter ivit in via David patris ſui, quam mandávit illi Iſaías Prophéta magnus & fidélis in conſpéctu Dei. In diébus

:trò rédiit ſol, &
Regi vitam. Spí-
;no vidit última, &
us eſt lugéntes in
que in ſempitérnum
futúra & abſcóndi-
equàm evenírent.
a Josíæ in compoſi-
ɔdóris facta, opus
árii. In omni oıe
:l indulcábitur ejus
ı, & ut múſica in
vini. Ipſe eſt di-
vínitùs in pœnitén-
tis, & tulit abomi-
impietátis. Et gu-
ad Dóminum cor
& in diébus pecca-
orroborávit pietá-
:ter David, & Eze-
& Josíam, omnes
ı commiſérunt.
. Aſcéndit Eliséus,
ıbuit ſuper púerum
n; & oſcitávit puer
aperuítque óculos.
ı. 35. ℣. A mórtuis
potens eſt Deus.
ı. 19. * Incúbuit.
: Incúbuit.

NOCTURNO.
ſancti Gregórii
Papæ.
ı. *Moral. Cap.* 6.
n. 9. 10.

:TIO VII.

ipſi, qui ſancto
.vánte Spíritu, ad
rapiúntur, quán-
ıac vita ſunt, ne
ıtióne ſupérbiant,
.m tentatiónibus
*tur: utnequáquàm
ˑoficere váleant,
ˑolunt. Sed ne ex-*

tollántur ſupérbiâ, fit in eis ipsárum quædam mensúra virtútum. Hinc eſt enim quòd Elías, dum tot virtútibus in alta profecíſſet, quâdam mensúrâ ſuſpénſus eſt, dum Jézabel póſtmodum, quamvis regínam, tamen muliérculam, fugit. Perpéndo hunc miræ virtútis virum ignem de cœlo tráhere, & ſecúndò Quinquagenários cum ſuis ómnibus petitióne súbitâ concremáre, verbo cœlos à plúviis claúdere, verbo cœlos ad plúvias aperíre, ſuſcitántem mórtuos, ventúra quæque prævidéntem. Et ecce rursùs ánimo occúrrit, quo pavóre ante unam muliérculam fúgerit. Consídero virum timóre percúlſum, de manu Dei mortem pétere, nec accípere: de manu mulíeris mortem fugiéndo vitáre.

℟. *vij.* Deſcéndit Náaman, & lavit in Jordáne sépties, juxta ſermónem viri Dei; * Et reſtitúta eſt caro ejus, ſicut caro púeri párvuli. 4. *Reg.* 5. 14. ℣. Multi lepróſi erant in Iſraël, ſub Eliséo Prophéta; & nemo eórum mundátus eſt, nisi Náaman Syrus. *Luc.* 4. 27. * Et.

LECTIO VIII.

QUærébat enim mortem dum fúgeret, dicens: Súfficit mihi; neque enim mélior ſum quàm patres mei. Unde ergo ſic potens, ut tot illas virtútes fáciat? Unde ſic infirmus, ut ità

féminam pertiméſcat, nisì quia aquæ appendúnturmensúrâ; ut ipſi ſancti Dei hómines, & multùm váleant per poténtiam Dei; & rursùm quâdam mensúrâ moderáti ſint per infirmitátem ſuam? In illis virtútibus Elías, quid de Deo accéperat: in iſtis infirmitátibus, quid de ſe eſſe póterat, agnoſcébat. Illa poténtia virtus fuit: iſta infirmitas, cuſtos virtútis. In illis virtútibus oſtendébat quid accéperat: in iſtis infirmitátibus, hoc quod accéperat cuſtodiébat. In miráculis monſtrabátur Elías: in infirmitáte ſervabátur.

℟. *viij*. Revérſus ad virum Dei Náaman, cum univérſo comitátu ſuo, venit & ſtetit coram eo, & ait: * Verè ſcio quòd non ſit álius Deus in univérſa terra, nisì tantùm in Iſraël. 4. *Reg*. 5. 15. ℣. Non ſunt dii qui mánibus fiunt. *Act*. 19. 26. * Verè.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio IX. *c*. 7. *v*. 11. *ad* 16.

Juvenis mortuus ſuſcitatur.

IBat Jeſus in civitátem quæ vocátur Naïm: & ibant cum eo diſcípuli ejus, & turba copióſa. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Expoſ. Evang. ſec. Luc. Lib. 5. n. 89.

HIc locus ad utrámque redúndat grátiam, ut & citò flecti divínam miſericórdiam matris víduæ lamentatióne credámus, ejus præcipuè quæ único fílii vel labóre, vel morte frangátur. Cui tamen víduæ gravitátis méritum exequiárum turba concíliat: & hanc víduam populórum turbâ ſeptam, plus vidéri eſſe quàm féminam, quæ reſurrectiónem único adoleſcéntis fílii ſui lácrymis merúerit impetráre; eò quòd ſancta Ecclésia pópulum juniórem, à pompa fúneris, atque à ſuprémis ſepúlcri ſuárum révocet ad vitam contemplatióne lacrymárum: quæ flere prohibétur, cùm ei reſurréctio debeátur.

℟. *ix*. Deus noſter, Deus ſalvos faciéndi, & * Dómini Dómini éxitus mortis. *Pſ*. 67. 21. ℣. Ait Jeſus: Adoléſcens, tibi dico: Surge; & reſédit qui erat mórtuus. *Luc*. 7. 14. 15. * Dómini. Glória. * Dómini.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant*. 5. a. Non deſpíciet Dóminus preces pupílli, nec víduam, ſi effúndat loquélam gémitûs. *Eccli*. 35. 17.

Oratio.

ECcléſiæ tuæ, Dómine, lácrymas & preces benígnus exaúdi; ut quæ de ſuórum contriſtátur ſpirituáli morte filiórum, de eórum ad grátiæ vitam reſurrectióne lætétur; Per Dóm.

Ad Magníficat, *Ant*. 1. D. Accépit omnes timor, & magnificábant Deũ, dicén-

tes : Quia Prophéta magnus ſurréxit in nobis. *Luc.* 7. 16.

FERIA SECUNDA.

De Libro quarto Regum.

LECTIO I. *c.* 2. *v.* 5. *ad* 8.

Acceſsérunt filii prophetárum, qui erant in Jéricho, ad Eliséum, & dixérunt ei : Nunquid noſti quia Dóminus hódie tollet dóminum tuum à te ? Et ait : Et ego novi : ſiléte. Dixit autem ei Elías : Sede hîc, quia Dóminus miſit me uſque ad Jordánem. Qui ait : Vivit Dóminus, & vivit ánima tua, quia non derelínquam te. Iérunt ígitur ambo páriter, & quinquagínta viri de filiis prophetárum ſecúti ſunt eos, qui & ſtetérunt è contrà, longè : illi autem ambo ſtabant ſuper Jordánem. Tulítque Elías pállium ſuū, & invólvit illud, & percúſſit aquas, quæ divíſæ ſunt in utrámque partem, & tranſiérunt ambo per ſiccum.

℟. *j.* Amplificátus eſt, *p.* 202.

LECTIO II. *v.* 9. *ad* 11.

Cumque transíſſent, Elías dixit ad Eliséum : póſtula quod vis ut fáciam tibi, ántequàm tollar à te. Dixítque Eliséus : Obſecro ut fiat in me duplex ſpíritus tuus. Qui reſpóndit : Rem difficilem poſtuláſti : áttamen ſi víderis me, quando tollar à te, erit tibi quod petíſti : ſi autem non víderis, non erit. Cúmque pérgerent, & incedéntes ſermocinaréntur, ecce currus ígneus & equi ígnei diviſérunt utrúmque : & aſcéndit Elías per túrbinem in cœlum.

℟. *ij.* Elías, *p.* 203.

LECTIO III. *v.* 12. *ad* 14.

Eliséus autem vidébat, & clamábat : Pater mi, pater mi, currus Iſraël, & auríga ejus. Et non vidit eum ámpliùs : apprehendítque veſtiménta ſua, & ſcidit illa in duas partes. Et levávit pállium Elíæ, quod ceciderat ei : reversúſque ſtetit ſuper ripam Jordánis, & pállio Elíæ, quod cecíderat ei, percúſſit aquas, & non ſunt divíſæ. Et dixit : Ubi eſt Deus Elíæ étiam nunc ? Percuſsítque aquas, & divíſæ ſunt huc atque illuc, & tránſiit Eliséus.

℟. *iij.* Cùm, *p.* 203.

FERIA TERTIA.

De Libro quarto Regum.

LECTIO I. *c.* 2. *v.* 15. *ad* 18.

Vidéntes filii prophetárum, qui erant in Jéricho è contrà, dixérunt : Requiévit ſpíritus Elíæ ſuper Eliséum. Et veniéntes in occúrſum ejus, adoravérunt eum proni in terram, dixerúntque illi : Ecce, cum ſervis tuis ſunt quinquagínta viri fortes, qui poſſunt ire, & quǽrere dóminum tuum, ne fortè túlerit eum Spíritus Dómini, & projécerit eum in unum móntium, aut in unum vállium. Qui ait : Ne-

líte míttere. Coëgerúntque eum, donec acquiéſceret, & díceret: Míttite. Et miſérunt quinquagínta viros; qui cùm quæſíſſent tribus diébus, non invenérunt. Et revérſi ſunt ad eum: at ille habitábat in Jéricho, & dixit eis: Nunquid non dixi vobis: Nolíte míttere?

℟. *j.* Vidéntes filii prophetárum, *p.* 204.

Lectio II. *v.* 19. *ad fin.*

DIxérunt quoque viri civitátis ad Eliséum: Ecce habitátio civitátis hujus óptima eſt, ſicut tu ipſe, dómine, pérſpicis: ſed aquæ péſſimæ ſunt, & terra ſtérilis. At ille ait: Afférte mihi vas novum, & míttite in illud ſal. Quod cùm attuliſſent, egréſſus ad fontem aquárum, miſit in illum ſal, & ait: Hæc dicit Dóminus: Sanávi aquas has, & non erit ultrà in eis mors neque ſterílitas. Sanátæ ſunt ergo aquæ uſque in diem hanc, juxta verbum Eliséi, quod locútus eſt. Aſcéndit autem inde in Bethel: cúmque aſcénderet per viam, púeri parvi egréſſi ſunt de civitáte, & illudébant ei, dicéntes: Aſcénde, calve; aſcénde, calve. Qui cùm reſpexíſſet, vidit eos, & maledíxit eis in nómine Dómini: egreſsíque ſunt duo urſi de ſaltu, & laceravérunt ex eis quadragínta duos púeros. Abiit autem inde in montem Carméli, & inde revérſus eſt in Samaríam.

℟. *ij.* Ait, *p.* 204.

Lectio III. *c.* 4. *v.* 1. *ad* 7.

MUlier autem quædam de uxóribus prophetárum clamábat ad Eliséum, dicens: Servus tuus vir meus mórtuus eſt, & tu noſti quia ſervus tuus fuit timens Dóminum: & ecce créditor venit ut tollat duos filios meos ad ſerviéndum ſibi. Cui dixit Eliséus: Quid vis ut fáciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa reſpóndit: Non hábeo ancílla tua quidquam in domo mea, niſì parùm ólei quo ungar. Cui ait: Vade, pete mútuò ab ómnibus vicínis tuis vaſa vácua non pauca: & ingrédere, & claude óſtium tuũ, cùm intrínſecùs fúeris tu & filii tui: & mitte inde in ómnia vaſa hæc: & cùm plena fúerint, tolles. Ivit itaque múlier, & clauſit óſtium ſuper ſe, & ſuper filios ſuos: illi offerébant vaſa, & illa infundébat. Cúmque plena fuíſſent vaſa, dixit ad filium ſuum: Affer mihi adhuc vas. Et ille reſpóndit: Non hábeo. Stetítque óleum. Venit autem illa, & indicávit hómini Dei. Et ille: Vade, inquit, vende óleum, & redde creditóri tuo: tu autem & filii tui vívite de réliquo.

℟. *iij.* Aſcéndit, *p.* 205.

FERIA QUARTA.

De Libro quarto Regum.

Lectio I. c. 4. v. 8. ad 13.

FActa eſt quædam dies, & tranſíbat Eliséus per Sunam: erat autem ibi mú-

lier magna, quæ ténuit eum ut coméderet panem. Cúmque frequénter inde transíret, divertébat ad eam, ut coméderet panem. Quæ dixit ad virum ſuum : Animadvérto quòd vir Dei ſanctus eſt iſte, qui tranſit per nos frequénter. Faciámus ergo ei cœnáculum parvum, & ponámus ei in eo léctulum, & menſam, & ſellam & candelábrum, ut cùm vénerit ad nos, máneat ibi. Facta eſt ergo dies quædam, & véniens divértit in cœnáculum, & requiévit ibi. Dixítque ad Giézi púerum ſuum : Voca Sunamítidem iſtam. Qui cùm vocáſſet eam, & illa ſtetíſſet coram eo, dixit ad púerum ſuum : Lóquere ad eam : Ecce, ſédulè in ómnibus miniſtráſti nobis, quid vis ut fáciam tibi ? Nunquid habes negótium, & vis ut loquar Regi, ſive príncipi milítiæ ? Quæ reſpóndit : In médio pópuli mei hábito.

℟. *j.* Deſcéndit, *p.* 205.

Lectio II. *v.* 14. *ad* 20.

DIxítque Giézi : Ne quæras : filium enim non habet, & vir ejus ſenex eſt. Præcépit ítaque ut vocáret eam : Quæ cùm vocáta fuíſſet, & ſtetíſſet ante óſtium, dixit ad eam : In témpore iſto, & in hac eádem hora, ſi vita comes fúerit, habébis in útero filium. At illa reſpóndit : *Noli, quæſo, dómine mi, vir Dei, noli mentíri ancíllæ tuæ. Et concépit múlier, & péperit fílium*, in témpore & in hora eádem, quâ díxerat Eliséus. Crevit autem puer : & cùm eſſet quædam dies, & egréſſus iſſet ad patrem ſuum ad meſſóres, ait patri ſuo : Caput meum dóleo, caput meum dóleo. At ille dixit púero : Tolle, & duc eum ad matrem ſuam. Qui cùm tulíſſet, & duxíſſet eum ad matrem ſuam, póſuit eum illa ſuper génua ſua, uſque ad merídiem, & mórtuus eſt.

℟. *ij.* Revérſus, *p.* 206.

Lectio III. *v.* 25. *ad* 28.

PRoféćta eſt múlier, & venit ad virum Dei in montem Carméli. Cúmque vidíſſet eam vir Dei è contrà, ait ad Giézi púerum ſuum : Ecce Sunamítis illa : vade ergo in occúrſum ejus, & dic ei : Recténe ágitur circa te, & circa virum tuum, & circa filium tuum ? Quæ reſpóndit : Rectè. Cúmque veníſſet ad virum Dei in montem, apprehéndit pedes ejus : & accéſſit Giézi ut amovéret eam. Et ait homo Dei : Dimítte illam, ánima enim ejus in amaritúdine eſt, & Dóminus celávit à me, & non indicávit mihi. Quæ dixit illi : Nunquid petívi fílium à dómino meo ? Nunquid non dixi tibi : Ne illúdas me ?

℟. *iij.* Cùm tetigíſſet cadáver oſſa Eliséi, * Revíxit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. 4. Reg. 13. 21. ℣. Quid incredíbile judicátur apud vos, ſi Deus mórtuo

ſúſcitat? *Act.* 26. 8. * Revíxit homo. Glória. * Revíxit homo.

FERIA QUINTA.

De Libro quarto Regum.

LECTIO I. *c.* 4. *v.* 29. *ad* 31.

ELiséus ait ad Giézi: Accínge lumbos tuos, & tolle báculum meum in manu tua, & vade. Si occúrrerit tibi homo, non ſalútes eum: & ſi ſalutáverit te quíſpiam, non reſpóndeas illi: & pones báculum meum ſuper fáciem púeri. Porrò mater púeri ait: Vivit Dóminus, & vivit ánima tua, non dimíttam te. Surréxit ergo, & ſecútus eſt eam. Giézi autem præcéſſerat ante eos, & poſúerat báculum ſuper fáciem púeri, & non erat vox neque ſenſus: reverſúſque eſt in occúrſum ejus, & nuntiávit ei, dicens: Non ſurréxit puer.

℟. *j.* Amplificátus, *p.* 202.

LECTIO II. *v.* 32. *ad* 38.

INgréſſus eſt ergo Eliséus domum, & ecce puer mórtuus jacébat in léctulo ejus. Ingreſsúſque clauſit óſtium ſuper ſe & ſuper púerum, & orávit ad Dóminum. Et aſcéndit, & incúbuit ſuper púerum: poſuítque os ſuum ſuper os ejus, & óculos ſuos ſuper óculos ejus, & manus ſuas ſuper manus ejus: & incurvávit ſe ſuper eum, & calefácta eſt caro púeri. At *ille revérſus, deambulávit in domo, ſemel huc* atque *illuc: & aſcéndit,* & incúbuit ſuper eum: & oſcitávit puer ſépties, aperuítque óculos. At ille vocávit Giézi, & dixit ei: Voca Sunamítidem hanc. Quæ vocáta ingréſſa eſt ad eum. Qui ait: Tolle fílium tuum. Venit illa, & córruit ad pedes ejus, & adorávit ſuper terram: tulítque fílium ſuum, & egréſſa eſt. Et Eliséus revérſus eſt in Gálgala.

℟. *ij.* Elías, *p.* 203.

LECTIO III. *v.* 38. *ad fin.*

DIxit Eliséus uni de púeris ſuis: Pone ollam grandem, & coque pulméntum fíliis prophetárum. Et egréſſus eſt unus in agrum, ut collígeret herbas agréſtes; invenítque quaſi vitem ſylvéſtrem, & collégit ex ea colocýnthidas agri, & implévit pállium ſuum: & revérſus concídit in ollam pulménti: neſciébat enim quid eſſet. Infudérunt ergo sóciis, ut coméderent: cúmque guſtáſſent de coctióne, clamavérunt, dicéntes: Mors in olla, vir Dei: & non potuérunt comédere. At ille: Afférte, inquit, farínam. Cúmque tuliſſent, miſit in ollã, & ait: infúnde turbæ, ut cómedant. Et non fuit ámpliùs quidquam amaritúdinis in olla. Vir autem quidam venit de Baalſaliſa déferens viro Dei panes primitiárum, vigínti panes hordeáceos, & fruméntũ novũ in pera ſua. At ille dixit: Da pópulo, ut cómedat. Reſpondítque ei miniſter ejus:

Quantum eſt hoc, ut appónam centum viris? Rursùm ille ait: Da pópulo, ut cómedat: hæc enim dicit Dóminus: Cómedent,& ſupérerit. Póſuit ítaque coram eis: qui comedérunt,& ſupérfuit, juxta verbum Dómini.

℟. *iij.* Cùm, *p.* 203.

FERIA SEXTA.

De Libro quarto Regum.

Lectio I. *c.* 5. *v.* 1. *ad* 6.

NAaman princeps milítiæ Regis Sýriæ, erat vir magnus apud dóminum ſuum, & honorátus: per illum enim dedit Dóminus ſalútem Sýriæ. Erat autem vir fortis & dives, ſed lepróſus. Porrò de Sýria egréſſi fúerant latrúnculi, & captívam dúxerant de terra Iſraël puéllam párvulam, quæ erat in obséquio uxóris Náaman. Quæ ait ad dóminam ſuam: Utinàm fuíſſet dóminus meus ad Prophétam qui eſt in Samaría! profécto curáſſet eum à lepra quam habet. Ingréſſus eſt ítaque Náaman ad dóminum ſuum, & nuntiávit ei, dicens: Sic & ſic locúta eſt puélla de terra Iſraël. Dixítque ei Rex Sýriæ: Vade, & mittam lítteras ad Regem Iſraël. Qui cùm profécus eſſet, & tuliſſet ſecum decem talénta argénti, & ſex míllia aúreos, & decem mutatória veſtimentórum, détulit lítteras ad Regem Iſraël, in *hæc verba: Cùm accéperis epiſtolam hanc, ſcito quòd* míſerim ad te Náaman ſervum meum, ut cures eum à lepra ſua.

℟. *j.* Vidéntes, *p.* 204.

Lectio II. *v.* 9. *ad* 14.

VEnit ergo Náaman cum equis & cúrribus, & ſtetit ad óſtium domûs Eliſéi. Misítque ad eum Eliſéus núntium, dicens: Vade, & laváre ſépties in Jordáne, & recípiet ſanitátem caro tua, atque mundáberis. Irátus Náaman recedébat, dicens: Putábam quòd egrederétur ad me, & ſtans invocáret nomen Dómini Dei ſui, & tángeret manu ſuâ locum lepræ, & curáret me. Nunquid non melióres ſunt Abana & Pharphar flúvii Damáſci, ómnibus aquis Iſraël, ut laver in eis, & munder? Cùm ergo vertíſſet ſe, & abíret indígnans, acceſſérunt ad eum ſervi ſui, & locúti ſunt ei: Pater, & ſi rem grandem dixíſſet tibi Prophéta, certè fácere debúeras: quantò magìs quia nunc dixit tibi: Laváre, & mundáberis? Deſcéndit, & lavit in Jordáne ſépties, juxta ſermónem viri Dei, & reſtitúta eſt caro ejus, ſicut caro púeri párvuli, & mundátus eſt.

℟. *ij.* Ait, *p.* 204.

Lectio III. *v.* 15. *ad* 19.

REverſúſque ad virum Dei cum univérſo comitátu ſuo, venit, & ſtetit coram eo, & ait: Verè ſcio quòd non ſit álius Deus in univérſa terra, niſì tantùm

in Iſraël. Obſecro ítaque ut accípias benedictiónem à ſervo tuo. At ille reſpóndit : Vivit Dóminus ante quem ſto, quia non accípiam. Cúmque vim fáceret, pénitùs non acquiévit. Dixítque Náaman : Ut vis : ſed, óbſecro, concéde mihi ſervo tuo, ut tollam onus duórum burdónum de terra: non enim fáciet ultrà ſervus tuus holocaúſtum aut víctimam diis aliénis, nisì Dómino. Hoc autem ſolum eſt de quo deprecéris Dóminũ pro ſervo tuo, quando ingrediétur dóminus meus templum Remmon, ut adóret, & illo inniténte ſuper manum meam, ſi adoráveró in templo Remmon, adoránte eo in eódem loco, ut ignóſcat mihi Dóminus ſervo tuo pro hac re. Qui dixit ei : Vade in pace. Abiit ergo ab eo, elécto terræ témpore.

℟. *iij.* Aſcéndit, *p.* 205.

SABBATO.

De Libro quarto Regum.

Lectio I. *c.* 5. *v.* 20. *ad* 22.

DIxit Giézi puer viri Dei : Pepércit dóminus meus Náaman Syro iſti, ut non accíperet ab eo quæ áttulit : vivit Dóminus, quia curram poſt eum, & accípiam ab eo áliquid. Et ſecútus eſt Giézi poſt tergum Náaman. Quem cùm vidíſſet ille curréntem ad ſe, desíliit de curru in occúrſum ejus, & ait : Recténe ſunt ómnia ? Et ille ait : Rectè. Dóminus meus miſit me ad te, dicens : Modò venérunt ad me duo adoleſcéntes de monte Ephraïm, ex filiis prophetarum : da eis taléntum argénti, & veſtes mutatórias dúplices.

Si fiat de Sabbato, duo priora ℟℟. *è III. Noct. Dom. præced.*

Lectio II. *v.* 23. *ad* 24.

DIxitque Náaman : Mélius eſt ut accípias duo talénta. Et coégit eum, ligavítque duo talénta argénti in duóbus ſaccis, & duplícia veſtiménta, & impóſuit duóbus púeris ſuis, qui & portavérunt coram eo. Cúmque veníſſet jam véſperi, tulit de manu eórum, & repóſuit in domo, dimiſítque viros, & abiérunt.

Lectio III. *v.* 25. *ad fin.*

IPſe autem ingréſſus ſtetit coram dómino ſuo. Et dixit Eliséus: Unde venis, Giézi ? Qui reſpóndit : Non ivit ſervus tuus quóquàm. At ille ait : Nónne cor meũ in præſénti erat, quando revérſus eſt homo de curru ſuo in occúrſum tuî ? Nunc ígitur accepíſti argéntum, & accepíſti veſtes, ut emas olivéta, & víneas, & oves, & boves, & ſervos, & ancíllas. Sed & lepra Náaman adhærébit tibi & ſémini tuo, uſque in ſempitérnum. Et egréſſus eſt ab eo leprósus quaſi nix.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Nóluit Dóminus diſpérdere domum David, propter

pactum quod iníerat cum eo. 2. *Par.* 21. 7.

Oratio, Omnípotens, *infrà, ad Laudes, p.* 217.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

De Libro quarto Regum.

LECTIO I. *c.* 6. *v.* 24. *ad* 29.

FActum eſt poſt hæc, congregávit Bénadad rex Syriæ univérſum exércitum ſuum, & aſcéndit, & obſidébat Samaríam. Factáque eſt fames magna in Samaría: & tándiu obſéſſa eſt, donec venumdarétur caput áſini octogínta argénteis, & quarta pars cabi ſtércoris columbárum quinque argénteis. Cúmque Rex Iſraël tranſíret per murum, múlier quædam exclamávit ad eum, dicens: Salva me, dómine mi rex. Qui ait: Non te ſalvat Dóminus: unde te poſſum ſalváre? de área, vel de torculári? Dixítque ad eam Rex: Quid tibi vis? Quæ reſpóndit: Múlier iſta dixit mihi: Da filium tuum, ut comedámus eum hódie, & filium meum comedémus cras. Cóximus ergo filium meum, & comédimus. Dixíque ei die álterâ: Da filium tuum, ut comedámus eum. Quæ abſcóndit filium ſuum.

℟. *j.* Amplificátus eſt Elías in mirabílibus ſuis: * Et quis poteſt ſimíliter ſic gloriári tibi? *Eccli.* 48. 4. ℣. Teſtimónium hábuit placuíſſe Deo. *Hebr.* 11. 5. * Et.

LECTIO II. *v.* 30. *ad fin.*

QUod cùm audíſſet Rex, ſcidit veſtiménta ſua, & tranſíbat per murum. Vidítque omnis pópulus cilícium quo veſtítus erat ad carnem intrínſecùs. Et ait Rex: Hæc mihi fáciat Deus & hæc addat, ſi ſtéterit caput Eliséi filii Saphat ſuper ipſum hódie. Eliséus autem ſedébat in domo ſua, & ſenes ſedébant cum eo. Præmíſit itaque virum: & ántequàm veníret núntius ille, dixit ad ſenes: Nunquid ſcitis quòd míſerit fílius homicídæ, ut præcidátur caput meum? Vidéte ergo, cùm vénerit núntius, claúdite óſtium, & non ſinátis eum introíre: ecce enim ſónitus pedum dómini ejus poſt eum eſt. Adhuc illo loquénte eis, appáruit núntius qui veniébat ad eum. Et ait: Ecce tantum malum à Dómino eſt: quid ámpliùs expectábo à Dómino?

℟. *ij.* Elías dixit ad Eliséum: Póſtula quod vis ut fáciam tibi, ántequàm tollar à te: * Dixítque Eliséus: Obſecro ut fiat in me duplex ſpíritus tuus. 4. *Reg.* 2. 9. ℣. Diviſiónes gratiárum ſunt, idem autē Spíritus. 1. *Cor.* 12. 4. * Dixítque.

LECTIO III. *c.* 7. *v.* 1. *ad* 2.

DIxit autem Eliséus: Audíte verbum Dómini: Hæc dicit Dóminus: In témpore hoc cras, módius ſímilæ uno ſtatére erit, & duo módii hórdei ſtatére

uno, in porta Samariæ. Reſpóndens unus de dúcibus ſuper cujus manum Rex incumbébat, hómini Dei, ait: Si Dóminus fécerit étiam cataráctas in cœlo, numquid póterit eſſe quod lóqueris? Qui ait: Vidébis óculis tuis, & inde non cómedes.

℟. *iij.* Cùm pérgerent Elías & Eliséus, & incedéntes ſermocinaréntur, * Ecce currus ígneus & equi ígnei divisérunt utrúmque; & aſcéndit Elías per túrbinem in cœlum. 4. *Reg.* 2. 11. ℣. Tranſlátus eſt, ne vidéret mortem. *Hebr.* 11. 5. * Ecce. Glória. * Ecce.

IN II. NOCTURNO.

De Libro Eccleſiáſtici.

Lectio IV. *c.* 34. *v.* 14. *ad* 20.

SPíritus timéntium Deum quæritur, & in reſpéctu illíus benedicétur. Spes enim illórum in ſalvántem illos, & óculi Dei in diligéntes ſe. Qui timet Dóminum, nihil trepidábit, & non pavébit: quóniam ipſe eſt ſpes ejus. Timéntis Dóminum beáta eſt ánima ejus. Ad quem réſpicit, & quis eſt fortitúdo ejus? Oculi Dómini ſuper timéntes eum, protéctor poténtiæ, firmaméntum virtútis, tégimen ardóris, & umbráculum meridiáni, deprecátio offenſiónis, & adjutórium casûs, exáltans ánimam, & illúminans óculos, dans ſanitátem, & vitam, & benedictiónem.

℟. *iv.* Vidéntes filii p
phetárum, qui erant in
richo è contrà, dixérunt
Requiévit Spíritus Eliæ
per Eliséum. 4. *Reg.* 2.
℣. Operátur unus at
idem Spíritus, divi
ſingulis prout vult. 1.
12. 11. * Requiévit.

Lectio V. *c.* 37. *v.* 15. *ad*

CUm viro ſancto ſ
duus eſto, quemcu
que cognóveris obſerv
tem timórem Dei, c
ánima eſt ſecúndum ánim
tuam: & qui, cùm titu
veris in ténebris, condo
bit tibi. Cor boni con
ſtátue tecum: non eſt e
tibi áliud pluris illo. An
viri ſancti enúntiat aliq
do vera, quàm ſeptem
cumſpectóres ſedéntes
excélſo ad ſpeculándum.
in his ómnibus deprec
Altíſſimum, ut dírigat
veritáte viam tuam. A
ómnia ópera, verbum ve
præcédat te, & ante omn
actum, consílium ſtábil

℟. *v.* Ait Eliſéus: * H
dicit Dóminus: Sa
aquas has; & non erit u
in eis mors, neque ſteríli
4. *Reg.* 2. 21. ℣. Om
quæcúmque petiéritis in
tióne credéntes, accipi
Matt. 21. 22. * Hæc di

Lectio VI. *v.* 25. *ad*

ESt ſápiens, ánimæ
ſápiens: & fructus
sûs illíus laudábilis. Vir
piens plebem ſuam éru
& fructus ſensûs illíus fi
les ſunt. Vir ſápiens im

ſtur benedictiónibus, & vidéntes illum laudábunt. Vita viri in número diérum: dies autem Iſraël innumerábiles ſunt. Sápiens in pópulo hæreditábit honórem, & nomen illíus erit vivens in ætérnum. Fili, in vita tua tenta ánimam tuam: & ſi fúerit nequàm, non des illi poteſtátem: non enim ómnia ómnibus expédiunt, & non omni ánimæ omne genus placet. Noli ávidus eſſe in omni epulatióne, & non te effúndas ſuper omnem eſcam: in multis enim eſcis erit infírmitas, & avíditas appropinquábit uſque ad choleram. Propter crápulam multi obiérunt: qui autem ábſtinens eſt, adjíciet vitam.

℞. *vj.* Aſcéndit Eliſéus, * Incúbuit ſuper púerum mórtuum; & oſcitávit puer ſépties, aperuítque óculos. 4. *Reg.* 4. 35. ℣. A mórtuis ſuſcitáre potens eſt Deus. *Hebr.* 11. 19. * Incúbuit. Glória. * Incúbuit.

IN III. NOCTURNO.

Sermo ſancti Cæſárii Arelaténſis Epíſcopi.

Serm. 2. *De Eliſ. in append. apud Auguſt. Serm.* 42. n. 6.

Lectio VII.

AUdívimus quòd dum beátus Eliſéus tranſíret per Sunam, quædam múlier magna ſuſcéperit eum, & díxerit ad virum ſuum: Animadvérto quòd homo iſte vir Dei ſit: faciámus illi cœnáculum, & ponámus ei in eo lectum, menſam, ſellam, & candelábrum; ut quando vénerit, máneat ibi. Et múlier illa ſtérilis erat: ſed oránte Eliſéo, génuit fílium. Sic & Eccléſia, ántequàm Chriſtus veníret, ſtérilis fuit. Et ſicut illa, oránte Eliſéo, génuit fílium; ità & Eccléſia, veniénte ad ſe Chriſto, génuit pópulum Chriſtiánum. Sed fílius mulíeris illíus, dum Eliſéus abſens eſſet, mórtuus eſt: ſic & fílius Eccléſiæ, hoc eſt, pópulus Géntium, ántequàm Chriſtus veníret, peccátis mórtuus erat. Deſcendénte de monte Eliſéo, fílius víduæ huic vitæ rédditur: deſcendénte de cœlo Chriſto, fílius Eccléſiæ, id eſt, pópulus Géntium ſuſcitátur. Sed hoc quáliter factum ſit, videámus.

℞. *vij.* Deſcéndit Náaman, & lavit in Jordáne ſépties, juxta ſermónem viri Dei; * Et reſtitúta eſt caro ejus, ſicut caro púeri párvuli. 4. *Reg.* 5. 14. ℣. Multi lepróſi erant in Iſraël, ſub Eliſéo Prophéta; & nemo eórum mundátus eſt, niſi Náaman Syrus. *Luc.* 4. 27. * Et reſtitúta eſt.

Lectio VIII. n. 7.

MOrtuo enim fílio ſuo, múlier illa ábiit, & veſtígiis ſe ſancti Eliſéi proſtrávit. Beátus verò Eliſéus dedit báculum ſuum púero, & dixit ad eum:

Vade, & mitte báculum meum ſuper fáciem púeri. Si te ſalutáverit homo, non reſalútes eum. Hoc loco, fratres, vidéte, ne alicui ſubrépat ímpia cogitátio, & dicat quòd augúrium beátus Eliséus obſerváre volúerit; & ideò júſſerit púero ſuo, ut ſalutántem ſe in via non reſalutáret. Frequénter hoc in Scriptúris légimus: ſed pro celeritáte eſt dictum, non pro áliqua ſupérflua & ſacrílega obſervatióne præcéptum. Abiit ergo puer, & miſit báculum ſuper fáciem púeri: & pénitùs non ſurréxit. Opus erat ut qui báculum míſerat, ipſe deſcénderet. Báculus ſinè Eliséo nihil valébat: quia crux ſinè Chriſto nihil póterat. Inclinávit ſe Eliséus, ut puerum reſuſcitáret: humiliávit ſe Chriſtus, ut mundum in peccátis jacéntem erígeret. Quia párvuli erámus, párvulum ſe fecit: quia mórtui jacebámus, pius ſe médicus inclinávit. Quia & revérâ, fratres, nemo poteſt jacéntem erígere, ſi ſe nolúerit inclináre.

℞. viij. Revérſus ad virum Dei Náaman, cum univérſo comitátu ſuo, venit & ſtetit coram eo, & ait: * Verè ſcio quòd non ſit álius Deus in univérſa terra, nisì tantùm in Iſraël. 4. *Reg.* 5. 15. ℣. Non ſunt dii qui mánibus fiunt. *Act.* 19. 26. * Verè.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio IX. *c.* 14. *v.* 1. *ad* 11.

Hydropicus Sabbato ſanatus.

CUm intráret Jeſus in domum cujúſdam príncipis Phariſæórum Sábbato manducáre panem, & ipſi obſervábant eum. Et réliqua.

Homília ſancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 37. *in Cantic.* n. 7.

NOli te, homo, comparáre majóribus, noli minóribus, noli aliquibus, noli uni. Quid ſcis enim, ô homo! ſi unus ille, quem fortè ómnium viliſſimum atque miſérrimum réputas, cujus vitam ſceleratíſſimam ac ſinguláriter fœdíſſimam horres, & proptéreà illum putas ſpernéndum, non modò præ te, qui fortè jam sóbriè, & juſtè, & piè vívere te confídis, ſed étiam præ cœteris ómnibus ſcelerátis, tanquam ómnium ſceleratíſſimum: quid ſcis, inquam, ſi mélior & te, & illis, mutatióne déxteræ Excélſi, in ſe quidem futúrus ſit, in Deo verò jam ſit? Et proptéreà non mediócrem, non vel penúltimum, non ipſum ſaltèm inter novíſſimos elígere locum nos vóluit. Sed, Recúmbe, inquit, in novíſſimo loco: ut ſolus vidélicet ómnium novíſſimus ſédeas, téque némini, non dico, præpónas, ſed nec comparáre præſúmas.

℞.

r. In loco magnó-
ſtéteris ; * Méliùs
n ut dicátur tibi :
huc, quàm ut hu-
Prov. 25. 6. 7. ℣.
ıcátus fúeris, vade,
e in noviſſimo loco.
. 10. * Méliùs. Gló-
Mélius.
)eum.
enedíctus, *Ant.* 6. F.
oriátur, in Dómino
:r; non enim qui ſeíp-
mméndat, ille probá-
ſed quem Deus com-
. 2. *Cor.* 10. 17. 18.

Oratio.

nípotens ſempitérne
ɛus, qui ſupérbis re-
& grátiam præſtas
ms ; tribue, quæſu-
ut non indignatió-
am provocémus elá-
d propitiatiónis tuæ
ıs dona, ſubjécti ;
ominum.
agníficat, *Ant.* 7. d.
qui ſe exáltat, hu-
tur ; & qui ſe hu-
, exaltábitur. *Luc.*

IA SECUNDA.
bro quarto Regum.
IOI. *c.* 7. *v.* 3. *ad* 7.
tuor viri erant le-
óſi juxta intróitum
: qui dixérunt ad ín-
Quid hîc eſſe vólu-
nec moriámur ? Sive
i voluérimus civitá-
ame moriémur : ſive
rimus hîc, morién-
obis eſt. Veníte ergo,
ſfugiámus ad caſtra
Si pepérцerint nobis,
vivémus : ſi autem occídere
volúerint, nihilóminùs mo-
riémur. Surrexérunt ergo
véſperi, ut veníret ad caſ-
tra Sýriæ. Cúmque veniſſent
ad princípium caſtrórum Sý-
riæ, nullum ibídem repe-
rérunt. Síquidem Dóminus
ſónitum audíri fécerat in
caſtris Sýriæ, cúrruum, &
equórum, & exércitûs plú-
rimi : dixerúntque ad invi-
cem : Ecce mercéde condú-
xit advérsùm nos Rex Iſraël
reges Hethæórum & Ægyp-
tiórum, & venérunt ſuper
nos. Surrexérunt ergo, &
fugérunt in ténebris.

℟. j. Amplificátus eſt, *p.* 213.

Lectio II. *v.* 10. *ad* 15.

CUmque veniſſent lepró-
ſi ad portam civitátis,
narravérunt eis, dicéntes :
Ivimus ad caſtra Sýriæ, &
nullum ibídem repérimus
hóminem, nisì equos &
áſinos alligátos, & fixa
tentória. Iérunt ergo por-
tárii, & nuntiavérunt in
palátio Regis intrínſecùs.
Qui ſurréxit nocte, & ait
ad ſervos ſuos : Dico vo-
bis quid fécerint nobis Syri :
ſciunt quia fame laborá-
mus, & idcircò egréſſi ſunt
de caſtris, & látitant in
agris, dicéntes : Cùm egréſ-
ſi fúerint de civitáte, ca-
piémus eos vivos, & tunc
civitátem íngredi potéri-
mus. Reſpóndit autem unus
ſervórum ejus : Tollámus
quinque equos, qui reman-
sérunt in urbe, (quia ipſi tan-

tùm ſunt in univérſa multitúdine Iſraël, álii enim consúmpti ſunt,) & mitténtes, exploráre potérimus. Adduxérunt ergo duos equos, misítque Rex in caſtra Syrórum, dicens: Ite, & vidéte. Qui abiérunt poſt eos uſque ad Jordánem. Ecce autem omnis via plena erat véſtibus & vaſis, quæ projécerant Syri, cùm turbaréntur: reversíque núntii indicavérunt Regi.

℟. *ij.* Elías, *p.* 213.

LECTIO III. *v.* 16. *ad finem.*

ET egréſſus pópulus diripuit caſtra Syriæ: factúſque eſt módius símilæ ſtatére uno, & duo módii hórdei ſtatére uno, juxta verbum Dómini. Porrò Rex ducem illum in cujus manu incumbébat, conſtítuit ad portam: quem conculcávit turba in intróitu portæ, & mórtuus eſt, juxta quod locútus fúerat vir Dei, quando deſcénderat Rex ad eum. Factúmque eſt ſecúndùm ſermónem viri Dei, quem díxerat Regi, quando ait: Duo módii hórdei ſtatére uno erunt, & módius símilæ ſtatére uno, hoc eódem témpore cras in porta Samaríæ: quando reſpónderat dux ille viro Dei, & díxerat: Etiam ſi Dóminus fécerit cataráctas in cœlo, nunquid póterit fieri quod lóqueris? Et dixit ei: Vidébis óculis tuis, & inde non cómedes. Evénit ergo ei ſicut prædíctum fúerat, & conculcávit eum pópulus in porta, & mórtuus eſt.

℟. *iij.* Cùm, *p.* 214.

FERIA TERTIA.

De Libro quarto Regum.

LECTIO I. *c.* 9. *v.* 1. *ad* 3.

ELiséus Prophétes vocávit unum de filiis prophetárum, & ait illi: Accínge lumbos tuos, & tolle lentículam ólei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Gálaad. Cúmque véneris illuc, vidébis Jehu filium Jóſaphat filii Namſi: & ingréſſus ſuſcitábis eum de médio fratrum ſuórum, & introdúces in intérius cubículum. Tenénſque lentículam ólei, fundes ſuper caput ejus, & dices: Hæc dicit Dóminus: Unxi te Regem ſuper Iſraël. Aperiéſque óſtium & fúgies, & non ibi ſubsíſtes.

℟. *j.* Vidéntes, *p.* 214.

LECTIO II. *v.* 4. *ad* 10.

ABiit ergo adoléſcens puer Prophétæ in Ramoth Gálaad, & ingréſſus eſt illuc. Ecce autem príncipes exércitûs ſedébant, & ait: Verbum mihi ad te, ô princeps. Dixítque Jehu: Ad quem ex ómnibus nobis? At ille dixit: Ad te, ô princeps. Et ſurréxit, & ingréſſus eſt cubículum. At ille fudit óleum ſuper caput ejus, & ait: Hæc dicit Dóminus Deus Iſraël: Unxi te Regem ſuper pópulum Dómini Iſraël, & percúties domum Achab dómini tui, & ulcíſcar ſánguinem ſervó-

rum meórum Prophetárum, & sánguinem ómnium ſervórum Dómini, de manu Jézabel. Perdámque omnem domum Achab: & interficiam de Achab mingéntem ad paríetem, & clauſum, & novíſſimum in Iſraël. Et dabo domum Achab, ſicut domum Jeróboam filii Nabat, & ſicut domum Báaſa filii Ahía. Jézabel quoque cómedent canes in agro Jézrahel, nec erit qui ſepéliat eam. Aperuítque óſtium, & fugit.

℟. *ij.* Ait, *p.* 214.

Lectio III. *v.* 11. *ad* 13.

JEhu autem egréſſus eſt ad ſervos dómini ſui, qui dixérunt ei: Recténe ſunt ómnia? quid venit inſánus iſte ad te? Qui ait eis: Noſtis hóminem, & quid locútus ſit. At illi reſpondérunt: Falſum eſt; ſed magìs narra nobis. Qui ait eis: Hæc & hæc locútus eſt mihi, & ait: Hæc dicit Dóminus: Unxi te Regem ſuper Iſraël. Feſtinavérunt ítaque, & unuſquíſque tollens pállium ſuum, poſuérunt ſub pédibus ejus, in ſimilitúdinem tribunális, & cecinérunt tubâ, atque dixérunt: Regnávit Jehu.

℟. *iij.* Aſcéndit Eliséus, *p.* 215.

FERIA QUARTA.

De Libro quarto Regum.

Lectio I. *c.* 9. *v.* 21. *ad* 26.

EGréſſus eſt Joram rex Iſraël, & Ochozías rex Juda ſínguli in cúrribus ſuis, egreſſíque ſunt in occúrſum Jehu, & invenérunt eum in agro Naboth Jezrahelítæ. Cúmque vidíſſet Joram Jehu, dixit: Pax eſt Jehu? At ille reſpóndit: Quæ pax? Adhuc fornicationes Jézabel matris tuæ, & veneficia ejus multa vigent. Convértit autem Joram manum ſuam, & fúgiens ait ad Ochozíam: Insídiæ, Ochozía. Porrò Jehu tetendit arcum manu, & percúſſit Joram inter ſcápulas: & egréſſa eſt ſagítta per cor ejus, ſtatímque córruit in curru ſuo. Dixítque Jehu ad Bádacer ducem: Tolle, prójice eum in agro Naboth Jezrahelítæ: mémini enim quando ego & tu ſedéntes in curru ſequebámur Achab patrem hujus, quòd Dóminus onus hoc levàverit ſuper eum, dicens: Si non pro sánguine Naboth, & pro sánguine filiórum ejus, quem vidi herì, ait Dóminus, reddam tibi in agro iſto, dicit Dóminus. Nunc ergo tolle, & prójice eum in agrum, juxta verbum Dómini.

℟. *j.* Deſcéndit Náaman, *p.* 215.

Lectio II. *v.* 29. *ad* 33.

ANno undécimo Joram filii Achab, regnávit Ochozías ſuper Judam, venítque Jehu in Jézrahel. Porrò Jézabel, intróitu ejus audíto, depínxit óculos ſuos ſtíbio, & ornávit caput ſuum, & reſpéxit per fenéſtram in-

grediéntem Jehu per portam, & ait : Nunquid pax poteſt eſſe Zambri qui interfécit dóminum ſuum ? Levavítque Jehu fáciem ſuam ad feneſtram, & ait : Quæ eſt iſta ? & inclinavérunt ſe ad eum duo vel tres eunúchi. At ille dixit eis : Præcipitáte eam deórsùm. Et præcipitavérunt eam : aſperſúſque eſt sánguine páries, & equórum úngulæ conculcavérunt eam.

℟. *ij.* Revérſus, *p.* 216.

Lectio III. *v.* 34. *ad fin.*

CUmque introgréſſus eſſet, ut coméderet biberétque, ait : Ite, & vidéte maledíctam illam, & ſepelíte eam, quia filia Regis eſt. Cúmque iſſent ut ſepelírent eam, non invenérunt nisì calváriam, & pedes, & ſummas manus. Reversíque nuntiavérunt ei. Et ait Jehu : Sermo Dómini eſt, quem locútus eſt per ſervum ſuum Elíam Thesbíten, dicens : In agro Jézrahel cómedent canes carnes Jézabel, & erunt carnes Jézabel ſicut ſtercus ſuper fáciem terræ, in agro Jézrahel, ità ut prætereúntes dicant : Hǽccinè eſt illa Jézabel ?

℟. *iij.* Cùm tetigíſſet cadáver oſſa Eliséi, * Revíxit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. 4. *Reg.* 13. 21. ℣. Quid incredíbile judicátur apud vos, ſi Deus mórtuos súſcitat ? *Act.* 26. 8. * Revíxit homo. Glória. * Revíxit homo.

FERIA QUINTA.

De Libro quarto Regum.

Lectio I. *c.* 10. *v.* 31. *ad finem.*

POrrò Jehu non cuſtodívit ut ambuláret in lege Dómini Dei Iſraël in toto corde ſuo : non enim recéſſit à peccátis Jeróboam qui peccáre fécerat Iſraël. In diébus illis cœpit Dóminus tædére ſuper Iſraël, percuſſítque eos Házaël in univérſis fínibus Iſraël, à Jordáne contra Orientálem plagam, omnem terram Gálaad, & Gad, & Ruben, & Manáſſe, ab Aroër quæ eſt ſuper torréntem Arnon, & Gálaad, & Baſan. Réliqua autem verbórum Jehu, & univérſa quæ fecit, & fortitúdo ejus, nónne hæc ſcripta ſunt in Libro verbórum diérum Regum Iſraël ? Et dormívit Jehu cum pátribus ſuis, ſepeliérúntque eum in Samaría : & regnávit Jóachaz filius ejus pro eo. Dies autem quos regnávit Jehu ſuper Iſraël, viginti & octo anni ſunt, in Samaría.

℟. *j.* Amplificátus eſt, *p.* 213.

Lectio II. *c.* 11. *v.* 1. *ad* 9.

AThália verò mater Ochozíæ, videns mórtuum fílium ſuum, ſurréxit, & interfécit omne ſemen régium. Tollens autem Jóſaba filia regis Joram, ſoror Ochozíæ, Joas filium Ochozíæ, furáta eſt eum de médio filiórum Regis, qui interficiebántur, & nutri-

cem ejus de triclínio : & abcóndit eum à fácie Atháliæ, ut non interficerétur. Erátque cum ea ſex annis clàm in domo Dómini. Porrò Athália regnávit ſuper terram. Anno autem ſéptimo miſit Joíada, & aſſúmens Centurióncs & mílites, introdúxit ad ſe in templum Dómini, pepigítque cum eis fœdus : & adjúrans eos in domo Dómini, oſténdit eis filium Regis. Et præcépit illis, dicens : Iſte eſt ſermo quem fácere debétis : Tértia pars veſtrûm intróeat Sábbato, & obsérvet excúbias domûs Regis : tértia autem pars ſit ad portam Sur : & tértia pars ſit ad portam quæ eſt poſt habitáculum ſcutariórum : & cuſtodiétis excúbias domûs Meſſa. Duæ verò partes è vobis, omnes egrediéntes Sábbato, cuſtódiant excúbias domûs Dómini circa Regem. Et vallábitis eum, habéntes arma in mánibus veſtris. Si quis autem ingréſſus fúerit ſeptum templi, interficiátur : critíſque cum rege introeúnte & egrediénte. Et fecérunt Centuriónes juxta ómnia quæ præcéperat eis Joíada Sacérdos.

℟. *ij.* Elías, *p.* 213.

LECTIO III. *v.* 13. *ad* 18.

AUdívit autem Athália vocem pópuli curréntis : & ingréſſa ad turbas in templum Dómini, vidit Regem ſtantem ſuper tribúnal juxta *morem*, *&* cantóres, & tubas propè eum, omnémque pópulum terræ lætántem & canéntem tubis : & ſcidit veſtiménta ſua, clamavítque : Conjurátio, conjurátio. Præcépit autem Joíada Centuriónibus qui erant ſuper exércitum, & ait eis : Edúcite eam extra ſepta templi : & quicúmque eam ſecútus fúerit, feriátur gládio. Díxerat enim Sacérdos : Non occidátur in templo Dómini. Impoſuerúntque ei manus, & impegérunt eam per viam intróitûs equórum, juxta palátium : & interfécta eſt ibi. Pépigit ergo Joíada fœdus inter Dóminum, & inter Regem, & inter pópulum, ut eſſet pópulus Dómini, & inter Regem & pópulum. Ingreſſúſque eſt omnis pópulus terræ templum Baal, & deſtruxérunt aras ejus, & imágines contrivérunt válidè. Mathan quoque ſacerdótem Baal occidérunt coram altári. Et póſuit Sacérdos cuſtódias in domo Dómini.

℟. *iij.* Cùm, *p.* 214.

FERIA SEXTA.

De Libro quarto Regum.

LECTIO I. *c.* 13. *v.* 14. *ad* 19.

ELiséus ægrotábat infirmitáte quâ & mórtuus eſt : deſcendítque ad eum Joas rex Iſraël, & flebat coram eo, dicebátque : Pater mi, pater mi, currus Iſraël & auríga ejus. Et ait illi Eliséus : Affer arcum & ſagittas. Cúmque attuliſ-

d eum arcum & ſagít- dixit ad Regem Iſraël: : manum tuam ſuper m. Et cùm poſuíſſet manum ſuam, ſuper- iuit Eliséus manus ſuas nibus Regis, & ait: Ape- feneſtram Orientálem. mque aperuíſſet, dixit iséus: Jace ſagíttam. Et cit. Et ait Eliséus: Sagítta lútis Dómini, & ſagítta alútis contra Sýriam: per- :utiéſque Sýriam in Aphec, donec consúmas eam. Et ait: Tolle ſagíttas. Qui cùm tuliſſet, rursùm dixit ei: Pércute jáculo terram. Et cùm percuſsíſſet tribus vícibus & ſtetíſſet, irátus eſt vir Dei contra eum, & ait: Si percuſsíſſes quínquies, aut séxies, ſive séptíes, percuſsíſſes Sýriam uſque ad conſumptiónem. Nunc autem tribus vícibus percúties eam.

℟. *j.* Vidéntes, *p.* 214.

LECTIO II. *v.* 20. *ad finem.*

MOrtuus eſt ergo Eliséus & ſepeliérunt eum. Latrúnculi autem de Moab venérunt in terram in ipſo anno. Quidam autem ſepeliéntes hóminem, vidérunt latrúnculos, & projecérunt cadáver in ſepúlcro Eliséi. Quod cùm tetigíſſet oſſa Eliséi, revíxit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. Igitur Házaël Rex Sýriæ afflixit Iſraël cunctis diébus Jóachaz: & misértus eſt Dóminus eórum, & revérſus eſt ad eos propter pactum ſuum quod habébat cum Abraham, & Iſaac, & Jacob: & nóluit diſpérdere eos, neque projícere pénitùs uſque in præſens tempus. Mórtuus eſt autem Házaël rex Sýriæ, & regnávit Bénadad fílius ejus pro eo. Porrò Joas fílius Jóachaz, tulit urbes de manu Bénadad fílii Házaël, quas túlerat de manu Jóachaz patris ſui jure prælii: tribus vícibus percúſſit eum Joas, & réddidit civitátes Iſraël.

℟. *ij.* Ait, *p.* 214.

LECTIO III. *c.* 18. *v.* 1. *edit.*

ANno tértio Oséé fílii Ela Regis Iſraël, regnávit Ezechías fílius Achaz regis Juda. Vigínti quinque annórum erat, cùm regnáre cœpíſſet: & vigínti novem annis regnávit in Jeruſalem: nomen matris ejus Abi fília Zacharíæ. Fecítque quod erat bonum coram Dómino, juxta ómnia quæ fécerat David pater ejus. Ipſe diſſipávit excélſa, & contrívit ſtátuas, & ſuccídit lucos, confregítque ſerpéntem æneum quem fécerat Móyſes: síquidem uſque ad illu tempus filii Iſraël adolébat ei incénſum: vocavítq nomen ejus Nohéſtan. Dómino Deo Iſraël ſperáv Itaque poſt eum non fuit milis ei de cunctis régi Juda, ſed neque in his ante eum fuérunt: & ad ſit Dómino, & non rec à veſtígiis ejus, feci mandáta ejus quæ præ

rat Dóminus Moyſi : unde & erat Dóminus cum eo, & in cunctis ad quæ procedébat, ſapiénter ſe agébat.

℟. *iij.* Aſcéndit, *p.* 215.

SABBATO.

De Libro quarto Regum.

Lectio I. *c.* 18. *v.* 13. *ad* 15.

ANno quartodécimo Regis Ezechíæ, aſcéndit Sennácherib rex Aſſyriórum ad univérſas civitátes Juda munítas : & cepit eas. Tunc miſit Ezechías rex Juda núntios ad regem Aſſyriórum in Lachis, dicens : Peccávi, recéde à me : & omne quod impoſúeris mihi, feram. Indixit ítaque rex Aſſyriórũ Ezechíæ regi Judæ trecénta talénta argénti, & trigínta talénta auri. Dedítque Ezechías omne argéntum quod repértum fúerat in domo Dómini, & in theſaúris Regis.

Si fiat de Sabbato, duo priora ℟℟. *è III. Noct. Dom. præced.*

Lectio II. *v.* 28. *ad* 32.

STetit ítaque Rábſaces, & exclamávit voce magnâ Judáicè, & ait : Audíte verba regis magni, regis Aſſyriórum. Hæc dicit rex : Non vos ſedúcat Ezechías : non enim póterit erúere vos de manu mea. Neque fidúciam vobis tríbuat ſuper Dóminum, dicens : Eruens liberábit nos Dóminus, & non tradétur cívitas hæc in manu regis Aſſyriórum. Nolíte audíre Ezechíam. Hæc enim dicit rex Aſſyriórum : Fácite mecum quod vobis eſt útile, & egredímini ad me : & cómedet unuſquíſque de vínea ſua, & de ficu ſua : & bibétis aquas de ciſtérnis veſtris, donec véniam, & tránsferam vos in terram quæ símilis eſt terræ veſtræ, in terram fructíferam & fértilem vini, terram panis & vineárum, terram olivárum & ólei ac mellis, & vivétis, & non moriémini.

Lectio III. *v.* 32. *ad* 36.

NOlíte audíre Ezechíam qui vos décipit, dicens : Dóminus liberábit nos. Nunquid liberavérunt dii Géntium terram ſuam de manu regis Aſſyriórum ? Ubi eſt deus Emath & Arphad ? Ubi eſt deus Sepharvaïm, Ana, & Ava ? Nunquid liberavérunt Samaríam de manu mea ? Quinam illi ſunt in univérſis diis terrárum, qui eruérunt regiónem ſuam de manu mea, ut poſſit erúere Dóminus Jerúſalem de manu mea ? Tácuit ítaque pópulus, & non reſpóndit ei quidquam : síquidem præcéptum Regis accéperant, ut non reſpondérent ei.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. a. Incendérunt hoſtes domum Dei, deſtruxerúntque murum Jerúſalem : univérſas turres combuſſérunt, & quidquid pretióſum fúerat, demolíti ſunt. 2. *Par.* 63. 19.

Oratio, Deus, qui, *infrà, ad Laudes*, p. 228.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

De Libro quarto Regum.

Lectio I. *c.* 18. *v.* 37. *ad finem, & c.* 19. *v.* 1. *ad* 4.

VEnit Eliacim filius Helcíæ, Præpóſitus domûs, & Sobna Scriba, & Jóahe, filius Aſaph à commentáriis, ad Ezechíam, ſciſſis véſtibus : & nuntiavérunt ei verba Rábſacis. Quæ cùm audíſſet Ezechías rex, ſcidit veſtiménta ſua, & opértus eſt ſacco, ingreſſúſque eſt domum Dómini : & miſit Elíacim Præpóſitum domûs, & Sobnam Scribam, & ſenes de Sacerdótibus, opértos ſaccis, ad Iſaíam Prophétam filium Amos. Qui dixérunt : Hæc dicit Ezechias : Dies tribulatiónis, & increpatiónis, & blaſphémiæ, dies iſte : venérunt filii uſque ad partum, & vires non habet partúriens. Si fortè aúdiat Dóminus Deus tuus univérſa verba Rábſacis, quem miſit Rex Aſſyriórum dóminus ſuus, ut exprobráret Deum vivéntē, & argúeret verbis quæ audívit Dóminus Deus tuus : & fac oratiónem pro relíquiis quæ repértæ ſunt.

℟. *j.* Cùm audíſſet Ezechías rex verba Rábſacis, * Scidit veſtiménta ſua, & opértus eſt ſacco, ingreſſúſque eſt domum Dómini. 4. *Reg.* 19. 1. ℣. Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Rom.* 8. 31. * Scidit.

Lectio II. *v.* 5. *ad* 7.

VEnérunt ergo ſervi regis Ezechíæ ad Iſaíam. Dixítque eis Iſaías : Hæc dicétis dómino veſtro : Hæc dicit Dóminus : Noli timére à fácie ſermónum quos audíſti, quibus blaſphemavérunt púeri regis Aſſyriórum me. Ecce ego immíttam ei ſpíritum, & aúdiet núntium, & revertétur in terram ſuam, & dejíciam eum gládio in terra ſua.

℟. *ij.* Hæc dicit Dóminus : * Noli timére à fácie ſermónum quos audíſti, quibus blaſphemavérunt púeri regis Aſſyriórum me. 4. *Reg.* 19. 6. ℣. Evanuérunt in cogitatiónibus ſuis, & obſcurátum eſt inſípiens cor eórum ; dicéntes ſe eſſe ſapiéntes, ſtulti facti ſunt. *Rom.* 1. 21. 22. * Noli timére.

Lectio III. *v.* 8. *ad* 12.

REvérſus eſt ergo Rábſaces, & invénit regem Aſſyriórum expugnántem Lobnam : audíerat enim quòd receſſiſſet de Lachis. Cúmque audíſſet de Tháraca rege Æthiópiæ, dicéntes : Ecce egréſſus eſt ut pugnet advérsùm te, & iret contra eum, miſit núntios ad Ezechíam, dicens : Hæc dicite Ezechíæ regi Juda : Non te ſedúcat Deus tuus in quo habes fidúciam : neque dicas : Non tradétur Jerúſalem in manus regis Aſſyriórum. Tu enim ipſe audíſti quæ fecérunt reges

Aſſyriórum univérſis terris, quo modo vaſtavérunt eas. Núm ergo ſolus póteris liberári? Nunquid liberavérunt dii Géntium ſíngulos quos vaſtavérunt patres mei, Gozan vidélicet, & Haran, & Reſeph, & filios Eden, qui erant in Theláſſar?

℟. *iij.* Cùm accepíſſet Ezechías lítteras de manu nuntiórum Sennácherib, & legíſſet eas, * Aſcéndit in domum Dómini, & expándit eas coram Dómino. 4. *Reg.* 19. 14. ℣. Dóminum habétis in cœlo; oratióni inſtáte, vigilántes in ea. *Coloſſ.* 4. 1. 2. * Aſcéndit in domum. Glória. * Aſcéndit in domum.

IN II. NOCTURNO.

De Libro Eccleſiáſtici.

Lectio IV. *c.* 2. *v.* 5. *ad* 12.

IN igne probátur aurum & argéntum, hómines verò receptíbiles in camíno humiliatiónis. Crede Deo, & recuperábit te: & dírige viam tuam, & ſpera in illum. Serva timórem illíus, & in illo veteráſce. Metuéntes Dóminum, ſuſtinéte miſericórdiam ejus: & non deflectátis ab illo, ne cadátis. Qui timétis Dóminum, crédite illi: & non evacuábitur merces veſtra. Qui timétis Dóminum, ſperáte in illum: & in oblectatiónem véniet vobis miſericórdia. Qui timétis Dóminum, dilígite illum: & illuminabúntur corda veſtra. Reſpícite, fílii, natiónes hóminum: & ſcitóte quia nullus ſperávit in Dómino, & confúſus eſt. Quis enim permánſit in mandátis ejus, & derelíctus eſt? Aut quis invocávit eum, & deſpéxit illum?

℟. *iv.* Egréſſus eſt Angelus Dómini, & percúſſit in caſtris Aſſyriórum centum octogínta quinque míllia: * Et ſurrexérunt manè; & ecce omnes cadávera mortuórum. *Iſ.* 37. 36. ℣. Diſſipáti ſunt, & redácti ad níhilum. *Act.* 5. 36. * Et ſurrexérunt.

Lectio V. *v.* 14. *ad* 17.

VÆ dúplici corde, & lábiis ſceléſtis, & mánibus malefaciéntibus, & peccatóri terram ingrediénti duábus viis. Væ diſſolútis corde, qui non credunt Deo, & ídeò non protegéntur ab eo. Væ his qui perdidérunt ſuſtinéntiam, & qui dereliquérunt vias rectas, & divertérunt in vias pravas. Et quid fácient, cùm inſpícere cœ́perit Dóminus?

℟. *v.* Invocávit Iſaías Prophéta Dóminum; & * Redúxit umbram per líneas quibus jam deſcénderat in horológio Achaz retrórsùm decem grádibus. 4. *Reg.* 20. 11. ℣. Omnia poſſibília ſunt credénti. *Marc.* 9. 22. * Redúxit.

Lectio VI. *v.* 18. *ad fin.*

QUi timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus: & qui díligunt illum, conſervábunt viam

illíus. Qui timent Dóminum, inquírent quæ beneplácita ſunt ei: & qui díligunt eum, replebúntur lege ipsíus. Qui timent Dóminum, præparábunt corda ſua, & in conſpéctu illíus ſanctificábunt ánimas ſuas. Qui timent Dóminum, cuſtódiunt mandáta illíus, & patiéntiam habébunt uſque ad inſpectiónem illíus, dicéntes: Si pœniténtiam non egérimus, incidémus in manus Dómini, & non in manus hóminum. Secúndùm enim magnitúdinem ipsíus, ſic & miſericórdia illíus cum ipſo eſt.

℟. *vj.* Poſtquàm coanguſtátus eſt Manáſſes, orávit Dóminum Deum ſuum; & * Egit pœniténtiam valde, coram Deo patrum ſuórum. 2. *Par.* 33. 12. ℣. Quæ ſecúndùm Deum triſtitia eſt, pœniténtiam in ſalútem ſtábilem operátur. 2. *Cor.* 7. 10. Egit. * Glória. * Egit.

IN III. NOCTURNO.

Sermo ſancti Cyrílli Hieroſolymitáni.

Lib. 4. *Catech.* 2. n. 13.

LECTIO VII.

ACHab rex Samaríæ ſceleratíſſimus idolórum cultor, cùm veníſſet Elías Prophéta & minas duntáxàt intentáſſet, ſacco ſe índuit, & ſcidit veſtiménta. Et quid dicit clemens Deus ad Eliá? Vidíſti quómodo compúnctus eſt Achab à fácie mea? tanquam férvidum Prophétæ ingénium léniens, ut ad miſericórdiam inclináret. Vultis cognóſcere quàm forte ſit pœniténtia armórum genus? quantùm conféſſio étiam advérsùs hoſtes præváleat? Centum octogínta quinque hóſtium míllia Ezechías per confeſſiónem ruit. Et hoc adhuc mínimum. Senténtiam Dei advérsùm ſe pronuntiátam, per pœniténtiam diſsólvit. Ægrotánti enim ipſi dixit Iſaías: Moriéris tu, nec vives. Quæ jam ſpes? quæ ultrà ſalus vel expectátio, pronuntiánte Prophétâ? At ille non revocátus eſt à pœniténtia, memor ejus quod ſcriptum eſt: Cùm avérſus ingemúeris, tunc ſalváberis.

℟. *vij.* Fecit Josías quod erat rectum in conſpéctu Dómini; & ambulávit in viis David patris ſui: * Non declinávit, neque ad déxteram, neque ad ſiníſtram. 2. *Par.* 34. 2. ℣. Hic erat edóctus viam Dómini. *Act.* 18. 25. * Non.

LECTIO VIII. n. 15.

COnvérſus eſt Ezechías ad paríetem, & mentem per oratiónem ad cœlum tendens: Dómine, ait, meménto meî: ſúfficit enim ad ſanatiónem, te meî meminíſſe. Tempóribus non ſúbjaces: ſed ipſe es vitæ árbiter, & legiſlátor. Non enim ſecúndùm genitúram, aut aſtrórum complexiónem, ut nonnúlli delírant, vitæ noſtræ rátio decúrrit: ſed ſecúndùm tuam volun-

tátem. Et illi cujus deſperáta vita fúerat, annórum quíndecim vitæ accéſſio datur: atque in ſignum, decem grádibus ſol retrogréſſus eſt. Jam verò ſol propter Ezechíam remeávit: at idem propter Chriſtum deſécit; non retrocédens, ſed delíquium paſſus; eâ re, quid inter útrumque, Ezechíam dico & Jeſum, interéſſet demónſtrans. Et ille quidem pótuit Dei ſenténtiam diſſólvere: Jeſus verò peccatórum véniam tribúere non póterit?

℟. *viij.* Abſtulit Josías cunctas abominatiónes de univérſis regiónibus filiórum Iſraël; * Et fecit omnes qui resídui erant in Iſraël, ſervíre Dómino Deo ſuo. 2. *Par.* 34. 33. ℣. Exhortabátur eos, dicens: Salvámini à generatióne iſta prava. *Act.* 2. 4. * Et fecit.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

Lectio IX. *c.* 22. *v.* 34. *ad finem.*

Primum mandatum, Dilectio Dei.

PHariſǽi audiéntes quòd ſiléntium impoſuíſſet Jeſus Sadducǽis, convenérunt in unum. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Epiſt. 155. n. 15. 16.

CUm illa dilectióne quam divína lex ímperat, débeat homo dilígere Deum, & ſeípſum, & próximum; non tamen ex hoc tria præcépta data ſunt: nec dictum eſt: In his tribus; ſed: In his duóbus precéptis tota Lex pendet & Prophétæ: id eſt, in dilectióne Dei ex toto corde, ex tota ánima, & ex tota mente; & próximi tanquam ſuî ipsíus: vidélicet ut intelligerétur nullam eſſe áliam dilectiónem quâ quiſque díligit ſeípſum, nisì quòd díligit Deum. Qui enim áliter ſe díligit, pótiùs ſe odíſſe dicéndus eſt. Debet & próximum dilígere tanquam ſeípſum: ut quem potúerit hóminem, vel beneficéntiæ conſolatióne, vel informatióne doctrínæ, vel diſciplínæ coërcitióne addúcat ad coléndum Deum, ſciens in his duóbus præcéptis totam Legem Prophetáſque pendére. Hoc qui sóbriâ diſcretióne éligit, prudens eſt: qui nullâ hinc afflictióne avértitur, fortis eſt: qui nullâ áliâ delectatióne, témperans eſt: qui nullâ elatióne, juſtus eſt.

℟. *ix.* Scies quia Dóminus Deus tuus * Ipſe eſt Deus fortis & fidélis, cuſtódiens pactum & miſericórdiam diligéntibus ſe. *Deut.* 7. 9. ℣. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota ánima tua, & in tota mente tua. *Matt.* 22. 37. * Ipſe. Glória. * Ipſe.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. f. Beátus homo cui donátum eſt habére timórem Dei.

Ezechíam: audíerat enim quòd ægrotáſſet Ezechias. Lætátus eſt autem in advéntu eórum Ezechías: & oſténdit eis domum arómatum, & aurum, & argéntum, & pigménta vária, unguénta quoque & domum vasórum ſuórum, & ómnia quæ habére póterat in theſaúris ſuis. Non fuit quod non monſtráret eis Ezechías in domo ſua, & in omni poteſtáte ſua. Venit autem Iſaias Prophéta ad regem Ezechíam, dixítque ei: Quid dixérunt viri iſti? aut unde venérunt ad te? Cui ait Ezechías: De terra longínqua venérunt ad me, de Babylóne. At ille reſpóndit: Quid vidérunt in domo tua? Ait Ezechías: Omnia quæcúmque ſunt in domo mea, vidérunt: nihil eſt quod non monſtráverim eis in theſaúris meis. Dixit ítaque Iſaías Ezechíæ: Audi ſermónem Dómini: Ecce dies vénient; & auferéntur ómnia quæ ſunt in domo tua, & quæ condidérunt patres tui uſque in diem hanc, in Babylónem: non remanébit quidquam, ait Dóminus. Sed & de filiis tuis qui egrediéntur ex te, quos generábis, tolléntur, & erunt eunúchi in palátio Regis Babylónis. Dixit Ezechías ad Iſaíam: Bonus ſermo Dómini, quem locútus es: ſit pax & véritas in diébus meis.

℟. *iij.* Poſtquàm, *p.* 226.

FERIA QUARTA.

De Libro quarto Regum.

Lectio I. *c.* 20. *v.* 21. *ad finem, & c.* 21. *v.* 1. *ad* 6.

DOrmívit Ezechías cum pátribus ſuis: & regnávit Manáſſes filius ejus pro eo. Duódecim annórum erat Manáſſes cùm regnáre cœpíſſet, & quinquagínta quinque annis regnávit in Jerúſalem: nomen matris ejus Háphſiba. Fecítque malum in conſpéctu Dómini, juxta idóla Géntium quas delévit Dóminus à fácie filiórum Iſraël. Converſúſque eſt, & ædificávit excélſa quæ diſſipáverat Ezechías pater ejus: & eréxit aras Baál, & fecit lucos ſicut fécerat Achab rex Iſraël, & adorávit omnem milítiam cœli, & cóluit eam. Extruxítque aras in domo Dómini, de qua dixit Dóminus: In Jerúſalem ponam nomen meum. Et extrúxit altária univérſæ milítiæ cœli, in duóbus átriis templi Dómini. Et tradúxit filium ſuum per ignem: & ariolátus eſt, & obſervávit augúria, & fecit pythónes, & arúſpices multiplicávit, ut fáceret malum coram Dómino, & irritáret eum.

℟. *j.* Fecit, *p.* 226.

Lectio II. *v.* 10. *ad* 13.

LOcutúſque eſt Dóminus in manu ſervórum ſuórum Prophetárum, dicens: Quia fecit Manáſſes rex Juda abominatiónes iſtas péſſimas, ſuper ómnia quæ

fecérunt Amorrhæi ante eũ, & peccáre fecit étiam Judam in immundítiis ſuis, proptéreà hæc dicit Dóminus Deus Iſraël: Ecce ego indúcam mala ſuper Jerúſalem & Judam, ut quicúmque audíerit, tinniant ambæ aures ejus. Et exténdam ſuper Jerúſalem funículum Samaríæ, & pondus domûs Achab: & delébo Jerúſalem, ſicut deléri ſolent tábulæ: & delens vertam, & dúcam crébriùs ſtylum ſuper fáciem ejus.

℟. *ij.* Abſtulit, *p.* 227.

Lectio III. *v.* 16. *ad* 24.

Inſuper & ſánguinem innoxium fudit Manáſſes multum nimis, donec impléret Jerúſalem uſque ad os: abſque peccátis ſuis quibus peccáre fecit Judam, ut fáceret malum coram Dómino. Réliqua autem ſermónum Manáſſe, & univérſa quæ fecit, & peccátum ejus quod peccávit, nónne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermónum diérum regum Juda? Dormivítque Manáſſes cum pátribus ſuis, & ſepúltus eſt in horto domûs ſuæ, in horto Oza: & regnávit Amon fílius ejus pro eo. Vigínti duórum annórum erat Amon, cùm regnáre cœpíſſet: duóbus quoque annis regnávit in Jerúſalem: nomen matris ejus Meſſalémeth fília Harus de Jéteba. Fecítque malum in conſpéctu Dómini, ſicut fécerat Manáſſes pater ejus: & ambulávit in omni via per quã ambuláverat pater ejus: ſervivítque immundítiis quibus ſervíerat pater ejus, & adorávit eas. Et derelíquit Dóminum Deum patrũ ſuórum: & non ambulávit in via Dómini. Teten derúntque ei inſídias ſervi ſui, & interfecérunt regem in domo ſua. Percúſſit autem pópulus terræ omnes qui conjuráverant contra regem Amon: & conſtituérunt ſibi regem Joſíam fílium ejus pro eo.

℟. *iij.* Non fuit Phaſe ſímile huic quod fecit Joſías, in Iſraël, à diébus Samuélis Prophétæ: ſed * Nec quiſquam de cunctis Régibus Iſraël fecit Phaſe ſicut Joſías. 2. *Par.* 35. 18. ℣. Bonum æmulámini in bono ſemper. *Gal.* 4. 18. * Nec. Glória. * Nec.

FERIA QUINTA.

De Libro quarto Regum.

Lectio I. *c.* 23. *v.* 2. *ad* 4.

Aſcéndit rex Joſías templum Dómini, & omnes viri Juda, univerſíque qui habitábant in Jerúſalem cum eo Sacerdótes & Prophétæ, & omnis pópulus à parvo uſque ad magnum: legítque cunctis audiéntibus ómnia verba Libri fœderis, qui invéntus eſt in domo Dómini. Stetítque Rex ſuper gradum: & fœdus percúſſit coram Dómino, ut ambulárent poſt Dóminum, & cuſtodírent præcépta ejus, & teſtimónia, & cæremónias in omni corde & in tota

ánima, & ſuſcitárent verba fœ́deris hujus, quæ ſcripta erant in Libro illo: acquievítque pópulus pacto. Et præcépit Rex Helcíæ Pontífici, & Sacerdótibus ſecúndi órdinis, & janitóribus, ut projícerent de templo Dómini ómnia vaſa quæ facta fúerant Baal, & in luco, & univérſæ milítiæ cœli: & combúſſit ea foris Jerúſalem in convállе Cedron, & tulit púlverem eórum in Bethel.

℟. *j.* Cùm audíſſet, *p.* 224.

LECTIO II. *v.* 21. *ad* 26.

ET præcépit omni pópulo, dicens: Fácite Phaſe Dómino Deo veſtro, secúndùm quod ſcriptum eſt in Libro fœ́deris hujus. Nec enim factum eſt Phaſe tale à diébus Júdicum qui judicavérunt Iſraël, & ómnium diérum Regum Iſraël & Regum Juda, ſicut in octávo décimo anno Regis Josíæ factum eſt Phaſe iſtud Dómino in Jerúſalem. Sed & pythónes, & aríolos, & figúras idolórum, & immundítias, & abominatiónes quæ fúerant in terra Juda & Jerúſalem, ábſtulit Josías: ut ſtatúeret verba Legis, quæ ſcripta ſunt in Libro quem invénit Helcías Sacérdos in templo Dómini. Símilis illi non fuit ante eum Rex, qui reverterétur ad Dóminum in omni corde ſuo, & in tota ánima ſua, & in univérſa virtúte ſua, *juxta omnem legem* Móyſi; neque poſt eum ſurréxit símilis illi. Verúmtamen non eſt avérſus Dóminus ab ira furóris ſui magni, quo irátus eſt furor ejus contra Judam, propter irritatiónes quibus provocáverat eum Manáſſes.

℟. *ij.* Hæc dicit, *p.* 224.

LECTIO III. *v.* 27. *ad* 30.

DIxit ítaque Dóminus: Etiam Judam áuferam à fácie mea, ſicut ábſtuli Iſraël: & projíciam civitátem hanc quam elégi Jerúſalem, & domum de qua dixi: Erit nomen meum ibi. Réliqua autem ſermónum Josíæ, & univérſa quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro verbórum diérum regum Juda? In diébus ejus aſcéndit Phárao Néchao rex Ægýpti, contra regem Aſſyriórum, ad flumen Euphráten: & ábiit Josías rex in occúrſum ejus; & occíſus eſt in Magéddo, cùm vidíſſet eum. Et portavérunt eum ſervi ſui mórtuum de Magéddo: & pertulérunt in Jerúſalem, & ſepeliérunt eum in ſepúlcro ſuo. Tulítque pópulus terræ Jóachaz filium Josíæ: & unxérunt eum, & conſtituérunt eum Regem pro patre ſuo.

℟. *iij.* Cùm accepíſſet, *p.* 225.

FERIA SEXTA.

De Libro quarto Regum.

LECTIO I. *c.* 23. *v.* 31. *ad* 34.

VIgínti trium annórum erat Jóachaz, cùm regnáre cœpíſſet, & tribus ménſibus regnávit in Jerú-

ſalem : nomen matris ejus Amital, filia Jeremíæ, de Lobna. Et fecit malum corã Dómino, juxta ómnia quæ fécerant patres ejus. Vinxítque eum Phárao Néchao in Rebla, quæ eſt in terra Emath, ne regnáret in Jerúſalem : & impóſuit mulctam terræ, centum taléntis argénti, & talénto auri. Regémque conſtituit Phárao Néchao Elíacim filium Josíæ pro Josía patre ejus : vertítque nomen ejus Jóakim. Porrò Jóachaz tulit & duxit in Ægýptum : & mórtuus eſt ibi.

℟. *j.* Egréſſus, *p.* 225.

LECTIO II. *c.* 24. *v.* 5. *ad* 13.

DOrmívit Jóakim cum pátribus ſuis : & regnávit Jóachin filius ejus pro eo. Et ultrà non áddidit Rex Ægýpti, ut egrederétur de terra ſua : túlerat enim Rex Babylónis à rivo Ægýpti uſque ad flúvium Euphráten, ómnia quæ fúerant Regis Ægýpti. Decem & octo annórum erat Jóachin, cùm regnáre cœpíſſet, & tribus ménſibus regnávit in Jerúſalem : nomen matris ejus Nohéſta filia Elnathan, de Jerúſalem. Et fecit malum coram Dómino, juxta ómnia quæ fécerat pater ejus. In témpore illo, aſcendérunt ſervi Nabuchodónoſor regis Babylónis in Jerúſalem : & circúmdata eſt urbs munitiónibus. Venítque Nabuchodónoſor rex Babylónis ad civitátem cum ſervis ſuis, ut oppugnárent eam. Egreſſúſque eſt Jóachin rex Juda ad Regem Babylónis, ipſe, & mater ejus, & ſervi ejus, & príncipes ejus, & eunúchi ejus : & ſuſcépit eum Rex Babylónis, anno octávo regni ſui. Et prótulit inde omnes theſaúros domûs Dómini, & theſaúros domûs régiæ : & concídit univérſa vaſa aúrea quæ fécerat Sálomon rex Iſraël in templo Dómini, juxta verbum Dómini.

℟. *ij.* Invocávit, *p.* 225.

LECTIO III. *v.* 15. *ad finem.*

TRánſtulit quoque Jóachin in Babylónem, & matrem Regis, & uxóres Regis, & eunúchos ejus : & Júdices terræ duxit in captivitátem de Jerúſalem in Babylónem. Et omnes viros robúſtos ſeptem míllia, & artífices, & clusóres mille, omnes viros fortes & bellatóres : duxítque eos Rex Babylónis captívos in Babylónem. Et conſtítuit Matthaníam pátruum ejus pro eo : impoſuítque nomen ei Sedecíam. Vigéſimum & primum annum ætátis habébat Sedecías, cùm regnáre cœpíſſet, & úndecim annis regnávit in Jerúſalem : nomen matris ejus erat Amital, filia Jeremíæ, de Lobna. Et fecit malũ coram Dómino, juxta ómnia quæ fécerat Jóakim. Iraſcebátur enim Dóminus contra Jerúſalem & contra Judam, donec projíceret eos à fácie ſua : receſsítque Sedecías à Rege Babylónis.

℟. *iij.* Poſtquàm, *p.* 226.

SABBATO.

De Libro quarto Regum.

Lectio I. *c.* 25. *v.* 1. *ad* 7.

FActum eſt, anno nono regni Sedecíæ, menſe décimo, décimâ die menſis, venit Nabuchodónoſor rex Babylónis, ipſe & omnis exércitus ejus, in Jerúſalem, & circumdedérunt eam: & exſtruxérunt in circúitu ejus munitiónes. Et clauſa eſt cívitas atque valláta uſque ad undécimum annum regis Sedecíæ, nonâ die menſis: prævaluítque fames in civitáte, nec erat panis pópulo terræ. Et interrúpta eſt cívitas: & omnes viri bellatóres nocte fugérunt per viam portæ, quæ eſt inter dúplicem murum ad hortum Regis. Porrò Chaldǽi obſidébant in circúitu civitátem. Fugit ítaque Sedecías per viam quæ ducit ad campéſtria ſolitúdinis. Et perſecútus eſt exércitus Chaldæórum Regem, comprehendítque eum in planítie Jéricho: & omnes bellatóres qui erant cum eo, diſpérſi ſunt, & reliquérunt eum. Apprehénſum ergo Regem duxérunt ad Regē Babylónis in Réblatha; qui locútus eſt cum eo judíciū. Fílios autem Sedecíæ occídit coram eo: & óculos ejus effódit; vinxítque eum caténis, & addúxit in Babylónem.

Si fiat de Sabbato, duo priora ℟℟. è III. Nocturno Dom. præced.

Lectio II. *v.* 8. *ad* 13.

MEnſe quinto, séptimâ die menſis, ipſe eſt annus nonus décimus Regis Babylónis, venit Nabuzárdan princeps exércitûs, ſervus Regis Babylónis in Jerúſalem. Et ſuccéndit domū Dómini, & domum Regis, & domos Jerúſalem, omnémque domum combúſſit igni. Et muros Jerúſalem in circúitu deſtrúxit omnis exércitus Chaldæórum, qui erat cum príncipe milítum. Réliquam autem pópuli partem quæ remánſerat in civitáte, & pérfugas qui tranſfúgerant ad Regē Babylónis, & réliquum vulgus, tránſtulit Nabuzárdan princeps milítiæ. Et de paupéribus terræ relíquit vinitóres & agrícolas. Colúmnas autem ǽreas quæ erant in templo Dómini, & baſes, & mare ǽreum quod erat in domo Dómini, confregérunt Chaldǽi, & tranſtulérunt æs omne in Babylónem.

Lectio III. *v.* 27. *ad fin.*

FActum eſt verò, in anno trigéſimo séptimo tranſmigratiónis Jóachin regis Juda, menſe duodécimo, vigéſimâ séptimâ die menſis, ſublevávit Evilmérodach rex Babylónis, anno quo regnáre cœ́perat, caput Jóachin regis Juda de cárcere. Et locútus eſt ei benígnè: & póſuit thronum ejus, ſuper thronum regum qui erant cum eo in Babylóne. Et mutávit veſtes ejus quas

habúerat in cárcere: & comedébat panem ſemper in conſpéctu ejus, cunctis diébus vitæ ſuæ. Annónam quoque conſtítuit ei ſinè intermiſſióne, quæ & dabátur ei à Rege per ſíngulos dies, ómnibus diébus vitæ ſuæ.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. *d.* Dániel in ſua ſimplicitáte liberátus eſt de ore leónum. 1. *Mach.* 2. 60.

Oratio, Concéde, quǽſumus, *infrà*, *ad Laudes*, p. 240.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Liber Daniélis Prophétæ.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 8.

ANno tértio regni Jóakim regis Juda, venit Nabuchodónoſor rex Babylónis in Jeruſalem: & obſédit eam. Et trádidit Dóminus in manu ejus Jóakim regem Juda, & partem vaſórum domûs Dei: & aſportávit ea in terram Sénnaar in domum dei ſui, & vaſa íntulit in domum theſáuri dei ſui. Et ait Rex Aſphenez præpóſito eunuchórum, ut introdúceret de fíliis Iſraël, & de sémine régio & tyrannórum, púeros in quibus nulla eſſet mácula, decóros formâ, & erudítos omni ſapiéntiâ, cautos ſciéntiâ, & doctos diſciplínâ, & qui poſſent ſtare in palátio Regis, ut docéret eos lítteras & linguam Chaldæórum. Et conſtítuit eis Rex annónam, per ſíngulos dies, de cibis ſuis, & de vino unde bibébat ipſe: ut enutríti tribus annis, póſteà ſtarent in conſpéctu Regis. Fuérunt ergo inter eos de fíliis Juda, Dániel, Ananías, Miſaël, & Azarías. Et impóſuit eis præpóſitus eunuchórum nómina; Daniéli, Baltáſſar; Ananíæ, Sidrach; Miſaéli, Miſach; & Azaríæ, Abdénago. Propóſuit autem Dániel in corde ſuo, ne pollueréturde menſa Regis, neque de vino potûs ejus: & rogávit eunuchórum præpóſitum ne contaminarétur.

℟. *j.* Propóſuit Dániel in corde ſuo, ne polluerétur de menſa Regis, neque de vino potûs ejus: & * Rogávit eunuchórum præpóſitum ne contaminarétur. *Dan.* 1. 8. ℣. Qui secúndùm ſpíritum ſunt, quæ ſunt ſpíritûs séntiunt. *Rom.* 8. 5. * Rogávit.

LECTIO II. *v.* 9. *ad* 17.

DEdit autem Deus Daniéli grátiam & miſericórdiam in conſpéctu príncipis eunuchórum. Et ait princeps eunuchórum ad Daniélem: Tímeo ego dóminum meum Regem, qui conſtítuit vobis cibum & potum: qui ſi víderit vultus veſtros macilentióres præ cœ́teris adoleſcéntibus coǽvis veſtris, condemnábitis caput meum Regi. Et dixit Dániel ad Málaſar, quem conſtitúerat princeps eunuchórum ſuper Daniélem, Ananíam, Miſaëlem, &

Azaríam: Tenta nos, óbſecro, ſervos tuos, diébus decem: & dentur nobis legúmina ad veſcéndum, & aqua ad bibéndum. Et contempláre vultus noſtros, & vultus puerórum qui veſcúntur cibo régio: & ſicut víderis, fácies cum ſervis tuis. Qui, audíto ſermóne hujuſcémodi, tentávit eos diébus decem. Poſt dies autem decem, apparuérunt vultus eórum melióres & corpulentióres, præ ómnibus púeris qui veſcebántur cibo régio. Porrò Málaſar tollébat cibária & vinum potûs eórum: dabátque eis legúmina. Púeris autem his dedit Deus ſciéntiam & diſciplínam, in omni libro & ſapiéntia: Daniéli autem intelligéntiam ómnium viſiónum & ſomniórum.

℟. *ij*. Poſt dies decem, * Apparuérunt vultus eórum melióres & corpulentióres, præ ómnibus púeris qui veſcebántur cibo régio. *Dan.* 1. 15. ℣. Itaque & hi qui patiúntur ſecúndùm voluntátem Dei, fidéli Creatóri comméndent ánimas ſuas. 1. *Petr.* 4. 19. * Apparuérunt.

LECTIO III. *v.* 18. *ad fin.*

COmplétis itaque diébus poſt quos díxerat Rex ut introduceréntur, introdúxit eos præpóſitus eunuchórum in conſpéctu Nabuchodónoſor. Cúmque eis locútus fuíſſet Rex, non ſunt *invénti tales de* univérſis, ut Dániel, Ananías, Míſaël, & Azarías: & ſtetérunt in conſpéctu Regis. Et omne verbum ſapiéntiæ & intelléctûs, quod ſciſcitátus eſt ab eis Rex, invénit in eis décuplùm, ſuper cunctos ariolos & magos qui erant in univérſo regno ejus. Fuit autem Dániel uſque ad annum primum Cyri regis.

℟. *iij*. Cùm eis locútus fuíſſet Rex, * Non ſunt invénti tales de univérſis, ut Dániel, Ananías, Míſaël, & Azarías. *Dan.* 1. 19. ℣. Unicuíque datur manifeſtátio Spíritûs ad utilitátem. 1. *Cor.* 12. 7. * Non. Glória. * Non.

IN II. NOCTURNO.

De Libro Sapiéntiæ.

LECTIO IV. *c.* 7. *v.* 15. *ad* 23.

MIhi dedit Deus dícere ex ſenténtia, & præſúmere digna horum quæ mihi dantur: quóniam ipſe ſapiéntiæ dux eſt, & ſapiéntium emendátor. In manu enim illíus, & nos, & ſermónes noſtri, & omnis ſapiéntia, & óperum ſciéntia & diſciplína. Ipſe enim dedit mihi horum quæ ſunt, ſciéntiam veram: ut ſciam diſpoſitiónem orbis terrárum, & virtútes elementórum, inítium, & conſummatiónem, & medietátem témporum, viciſſitúdinum permutatiónes, & commutatiónes témporum, anni curſus, & ſtellárum diſpoſitiónes, natúras animá-

lium, & iras beſtiárum, vim ventórum, & cogitatiónes hóminum, differéntias virgultórum, & virtútes radícum, & quæcúmque ſunt abſcónſa & improvíſa, dídici. Omnium enim ártifex dócuit me ſapiéntia: eſt enim in illa ſpíritus intelligéntiæ, ſanctus, únicus, múltiplex, ſubtílis, disértus, móbilis, incoinquinátus, certus, ſuávis, amans bonum, acútus, quem nihil vetat, benefáciens, humánus, benígnus, ſtábilis, certus, ſecúrus, omnem habens virtútem, ómnia proſpíciens, & qui cápiat omnes ſpíritus, intelligíbilis, mundus, ſubtílis.

℟. iv. Dat Deus ſapiéntiam ſapiéntibus, & ſciéntiam intelligéntibus diſciplínam: * Ipſe revélat profúnda & abſcóndita, & novit in ténebris conſtitúta. *Dan.* 2. 21. 22. ℣. Quæ Dei ſunt, nemo cognóvit, niſi Spíritus Dei. 1. *Cor.* 2. 11. * Ipſe.

Lectio V. *v.* 24. *ad fin.*

Omnibus enim mobílibus mobílior eſt ſapiéntia: attíngit autem ubíque propter ſuam mundítiam. Vapor eſt enim virtútis Dei, & emanátio quædam eſt claritátis omnipoténtis Dei ſincéra. Et ideò nihil inquinátum in eam incúrrit: candor eſt enim lucis ætérnæ, & ſpéculum ſinè mácula Dei Majeſtátis, & imágo bonitátis illíus. Et cùm ſit una, ómnia poteſt: & in ſe pérmanens ómnia ínnovat, & per natiónes in ánimas ſanctas ſe transfert, amícos Dei & Prophétas conſtítuit. Néminem enim díligit Deus, niſì eum qui cum ſapiéntia inhábitat. Eſt enim hæc ſpecióſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitiónem ſtellárum, luci comparáta invenítur prior. Illi enim ſuccédit nox, ſapiéntiam autem non vincit malítia.

℟. v. Rex Nabuchodónoſor cécidit in fáciem ſuam, & * Daniélem adorávit, & hóſtias, & incénſum præcépit ut ſacrificárent ei. *Dan.* 2. 46. ℣. Animális homo non pércipit ea quæ ſunt Spíritus Dei. 1. *Cor.* 2. 14. * Daniélem.

Lectio VI. *c.* 8. *v.* 1. *ad* 9.

Attíngit ergo à fine uſque ad finem fórtiter, & diſpónit ómnia ſuáviter. Hanc amávi & exquiſívi à juventúte mea: & quæſívi ſponſam mihi eam aſſúmere, & amátor factus ſum formæ illíus. Generoſitátem illíus glorificat, contubérnium habens Dei. Sed & ómnium Dóminus diléxit illam: doctrix enim eſt diſciplínæ Dei, & eléctrix óperum illíus. Et ſi divítiæ appetúntur in vita, quid ſapiéntiâ locuplétius, quæ operátur ómnia? Si autem ſenſus operátur, quis horum quæ ſunt, magìs quàm illa eſt ártifex? Et ſi juſtítiam quis

diligit, labóres hujus magnas habent virtútes: ſobrietátem enim & prudéntiam docet, & juſtítiam, & virtútem, quibus utílius nihil eſt in vita homínibus. Et ſi multitúdinem ſciéntiæ desíderat quis, ſcit prætérita, & de futúris æſtimat: ſcit verſútias ſermónum, & diſſolutiónes argumentórum: ſigna & monſtra ſcit ántequàm fiant, & evéntus témporum & ſeculórum. Propóſui ergo hanc addúcere mihi ad convivéndum, ſciens quóniam mecum communicábit de bonis, & erit allocútio cogitatiónis & tædii mei.

℟. *vj.* Loquens Rex ait Daniéli: Verè Deus veſter Deus deórum eſt, & Dóminus regum, & revélans myſtéria: * Quóniam tu potuíſti aperíre hoc ſacraméntum. *Dan.* 2. 47. ℣. Ipſi glória & impérium in sécula ſeculórum. *Apoc.* 1. 6. * Quóniam. Glória. * Quóniam.

IN III. NOCTURNO.

Sermo ſancti Hierónymi Presbýteri.

Præfat. Expoſ. in Dan. Proph.

LECTIO VII.

Contra Prophétam Daniélem duodécimum librum ſcripſit Porphýrius, nolens eum ab ipſo cujus inſcríptus eſt nómine, eſſe compóſitum: ſed à quodam qui, tempóribus Antíochi qui appellátus eſt Epíphanes, fúerit in Judæa: & non tam Daniélem ventúra dixíſſe, quàm illum narráſſe prætérita: dénique quidquid uſque ad Antíochum dixerit, veram hiſtóriam continére: ſi quid autem ultrà opinátus ſit, quia futúra neſcíerit, eſſe mentitum. Cui ſolertiſſimè reſpondérunt Euſébius Cæſarienſis Epíſcopus, tribus volumínibus, id eſt, octávo décimo, & nono décimo, & vicéſimo: Appollinárius quoque uno grandi libro, hoc eſt, vicéſimo ſexto; & ante hos ex parte Methódius.

℟. *vij.* Notum ſit tibi, Rex, quia * Deos tuos non cólimus, & ſtátuam áuream quam erexíſti, non adorámus. *Dan.* 3. 18. ℣. Etſi ſunt qui dicántur dii, ſive in cœlo, ſive in terra; ſiquidem ſunt dii multi & dómini multi; nobis tamen unus Deus. 1. *Cor.* 8. 5. 6. * Deos tuos.

LECTIO VIII.

Verùm quia nobis propóſitum eſt, non adversárii calúmniis reſpondére, quæ longo ſermóne índigent, ſed ea quæ à Prophéta dicta ſunt, noſtris diſsérere, id eſt, Chriſtiánis, illud in Præfatióne commóneo, nullum Prophetárum tam apértè dixíſſe de Chriſto. Non enim ſolùm ſcribit eum eſſe ventúrum, quod eſt commúne cum cǽteris: ſed étiam quo témpore ventúrus ſit, docet;

& Reges per órdinem dígerit, & annos enúmerat; ac maniſeſtíſſima ſigna prænúntiat. Quæ quia vidit Porphýrius univérſa compléta, & transácta negáre non póterat, ſuperátus hiſtóriæ veritáte, in hanc prorúpit calúmniam, ut ea quæ in conſummatióne mundi de Antichríſto futúra dicúntur, propter geſtórum in quibúſdam ſimilitúdinem, ſub Antíocho Epíphane impléta conténdat. Cujus impugnátio teſtimónium veritátis eſt: Tanta enim dictórum fides fuit, ut Prophéta incrédulis homínibus non videátur futúra dixiſſe, ſed narráſſe prætérita.

℟. *viij.* Miſit Deus Angelum ſuum, & * Eruit ſervos ſuos, qui credidérunt in eum. *Dan.* 3. 95. ℣. Novit Dóminus pios de tentatióne erípere. 2. *Petr.* 2. 9. * Eruit.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

LECTIO IX. *c.* 9. *v.* 1. *ad* 8.

Paralyticus curatus.

ASCéndens Jeſus in navículam, transfretávit, & venit in civitátem ſuam. Et réliqua.

Homília ſancti Petri Chrysólogi.

Serm. 50. *de Paralytico.*

CHriſtum in humánis áctibus divína geſsíſſe myſtéria, & in rebus viſibílibus inviſibília exercuíſſe negótia, léctio hodiérna monſtrávit. Aſcéndit, inquit, in navículam, & transfretávit, & venit in civitátem ſuam. Nónne ipſe eſt qui, fugátis flúctibus, maris profúnda nudávit, ut Iſraëlíticus pópulus inter ſtupéntes undas ſicco veſtígio velut móntium cóncava pertransíret? Nónne hic eſt qui Petri pédibus marínos vórtices inclinávit, ut inter líquidum, humánis gréſſibus sólidum præbéret obséquium? Et quid eſt quòd ipſe ſibi ſic maris dénegat ſervitútem, ut breviſſimi laci tránſitum, ſub mercéde naútica transfretáret? Aſcéndit, inquit, in navículam & transfretávit. Et quid mirum, fratres? Chriſtus venit ſuſcípere infirmitátes noſtras, & ſuas nobis conférre virtútes: humána quǽrere, præſtáre divína: accípere injúrias, réddere dignitátes: ferre tǽdia, reférre ſanitátes.

℟. *ix.* Ego ſum, * Ego ſum ipſe qui déleo iniquitátes tuas propter me, & peccatórum tuórum non recordábor. *Iſ.* 43. 25. ℣. Dixit Jeſus paralýtico: Confíde, fili, remittúntur tibi peccáta tua. *Matt.* 9. 2. * Ego ſum ipſe. Glória. * Ego ſum ipſe.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. f. Chriſtus eſt Propitiátio pro peccátis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed étiam pro totíus mundi. 1. *Joan.* 2. 2.

Oratio.

Oncéde, quǽſumus, Dómine, pópulo tuo niam peccatórum; & uod méritis non præſúmit, dulgéntiæ tuæ céleri largitáte percípiat; Per Dom.

Ad Magnificat, *Ant.* 3. *a.*

Ait Jeſus paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et ſurréxit, & ábiit in domum ſuam. *Matt.* 9. 6. 7.

FERIA SECUNDA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio I. *c.* 2. *v.* 1. *ad* 6.

IN anno ſecúndo regni Nabuchodónoſor, vidit Nabuchodónoſor ſómnium: & contérritus eſt ſpíritus ejus, & ſómnium ejus fugit ab eo. Præcépit autem Rex, ut convocaréntur aríoli, & magi, & maléfici, & Chaldǽi, ut indicárent Regi ſómnia ſua: qui cùm veniſſent, ſtetérunt coram Rege. Et dixit ad eos Rex: Vidi ſómnium: & mente confúſus ignóro quid víderim. Reſponderúntque Chaldǽi Regi, Syríacè: Rex, in ſempitérnum vive. Dic ſómnium ſervis tuis: & interpretatiónem ejus indicábimus. Et reſpóndens Rex, ait Chaldǽis: Sermo recéſſit à me. Niſi indicavéritis mihi ſómnium & conjectúram ejus, períbitis vos, & domus veſtræ publicabúntur. Si autem ſómnium & conjectúram ejus narravéritis, prǽmia, & dona, & honórem multum accipiétis à me: ſómnium ígitur & interpretatiónem ejus indicáte mihi.

℟. *j.* Propóſuit, *p.* 235.

Lectio II. *v.* 15. *ad* 23.

CUm ergo rem indicáſſet Arioch Daniéli, Dániel ingréſſus rogávit Regem, ut tempus daret ſibi ad ſolutiónem indicándam Regi. Et ingréſſus eſt domum ſuã, Ananiǽque, & Miſaéli, & Azaríæ sóciis ſuis indicávit negótium: ut quǽrerent miſericórdiam à fácie Dei cœli ſuper ſacraménto iſto, & non períren Dániel & sócii ejus cum cǽteris ſapiéntibus Babylónis. Tunc Daniéli myſtérium per viſiónem nocte revelátum eſt: & benedíxit Dániel Deum cœli, & locútus ait: Sit nomen Dómini benedíctum à ſéculo & uſque in ſéculum: quia ſapiéntia & fortitúdo ejus ſunt. Et ipſe mutat témpora & ætátes: transfert regna atque conſtítuit: dat ſapiéntiam ſapiéntibus, & ſciéntiam intelligéntibus diſciplínam. Ipſe revélat profúnda & abſcóndita, & novit in ténebris conſtitúta & lux cum eo eſt. Tibi, De patrum noſtrórũ, confiteo téque laudo, quia ſapiénti & fortitúdinem dediſti mi & nunc oſtendíſti mihi q rogávimus te, quia ſerm nem Regis aperuíſti no

℟. *ij.* Poſt, *p.* 236

Lectio III. *v.* 24. *a*

POſt hæc Dániel ingr ad Arioch, quem c túerat Rex ut pérder

P

piéntes Babylónis, ſic ei locútus eſt: Sapiéntes Babylónis ne perdas: intróduc me in conſpéctu Regis, & ſolutiónem Regi narrábo. Tunc Arioch feſtínus introdúxit Daniélem ad Regē, & dixit ei: Invéni hóminē de filiis tranſmigratiónis Juda, qui ſolutiónem Regi annúntiet.

℟. *iij.* Cùm, *p.* 236.

FERIA TERTIA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio I. *c.* 2. *v.* 26. *ad* 27.

RESpóndit Rex, & dixit Daniéli cujus nomen erat Baltáſſar: Putáſne verè potes mihi indicáre sómnium quod vidi, & interpretatiónem ejus? Et reſpóndens Dániel coram Rege, ait: Myſtérium quod Rex intérrogat, Sapiéntes, Magi, Arioli, Arúſpices néqueunt indicáre Regi. Sed eſt Deus in cœlo revélans myſtéria, qui indicávit tibi, Rex Nabuchodónoſor, quæ ventúra ſunt in noviſſimis tempóribus. Sómnium tuū, & viſiónes cápitis tui in cubili tuo hujuſcémodi ſunt. Tu, Rex, cogitáre cœpíſti in ſtrato tuo quid eſſet futúrum poſt hæc: & qui revélat myſtéria, oſténdit tibi quæ ventúra ſunt.

℟. *j.* Dat, *p.* 237.

Lectio II. *v.* 31. *ad* 36.

TU, Rex, vidébas, & ecce quaſi ſtátua una grandis: ſtátua illa magna & ſtatúrâ ſublímis ſtabat contra te, & intúitus ejus erat terríbilis. Hujus ſtátuæ caput ex auro óptimo erat, pectus autem & bráchia de argénto, porrò venter & fémora ex ære, tíbiæ autem férreæ, pedum quædam pars erat férrea, quædam autem fictilis. Vidébas ità, donec abſciſſus eſt lapis de monte ſinè mánibus: & percúſſit ſtátuam in pédibus ejus férreis & fictílibus, & comminuit eos. Tunc contríta ſunt páriter ferrum, teſta, æs, argéntum, & aurum, & redácta quaſi in favíllam æſtivæ áreæ, quæ rapta ſunt vento, nullúſque locus invéntus eſt eis. Lapis autem qui percúſſerat ſtátuam, factus eſt mons magnus: & implévit univérſam terram. Hoc eſt sómnium: interpretatiónem quoque ejus dicémus coram te, Rex.

℟. *ij.* Rex, *p.* 237.

Lectio III. *v.* 37. *ad* 44.

TU Rex regum es: & Deus cœli, regnum, & fortitúdinem, & impérium, & glóriam dedit tibi: & ómnia in quibus hábitant filii hóminum & béſtiæ agri, vólucres quoque cœli dedit in manu tua, & ſub ditióne tua univérſa conſtítuit. Tu es ergo caput áureum. Et poſt te conſúrget regnum áliud minus te, argénteum: & regnum tértium áliud ǽreum, quod imperábit univérſæ terræ. Et regnum quartum erit velut ferrum: quómodo ferrum comminuit & do-

mat ómnia, ſic commínuet & cónteret ómnia hæc. Porrò quia vidíſti pedum & digitórum partem teſtæ fíguli, & partem férream, regnum divíſum erit, quod tamen de plantário ferri oriétur: ſecúndùm quòd vidíſti ferrum miſtum teſtæ ex luto, & dígitos pedum ex parte férreos, & ex parte fictíles, ex parte regnum erit sólidum, & ex parte contrítum. Quòd autem vidíſti ferrum miſtum teſtæ ex luto, commiſcebúntur quidem humáno sémine, ſed non adhærébunt ſibi, ſícutì ferrum miſcéri non poteſt teſtæ. In diébus autem regnórum illórum, ſuſcitábit Deus cœli regnum quod in ætérnum non diſſipábitur: & regnum ejus álteri pópulo non tradétur. Commínuet autem & consúmet univérſa regna hæc: & ipſum ſtabit in ætérnum.

℟. *iij.* Loquens, *p.* 238.

FERIA QUARTA.

De Daniéle Prophéta.

LECTIO I. *c.* 3. *v.* 1. *ad* 6.

NAbuchodónoſor rex fecit ſtátuam áuream, altitúdine cubitórum ſexagínta, latitúdine cubitórum ſex: & ſtátuit eam in campo Dura provínciæ Babylónis. Itaque Nabuchodónoſor rex miſit ad congregándos Sátrapas, Magiſtrátus, & Júdices, Duces, & Tyránnos, & Præféctos, omnéſque Príncipes regiónum, ut convenírent ad dedicatiónem ſtátuæ quam eréxerat Nabuchodónoſor rex. Tunc congregáti ſunt Sátrapæ, Magiſtrátus, & Júdices, Duces, & Tyránni, & Optimátes qui erant in poteſtátibus conſtitúti, & univérſi Príncipes regiónum, ut convenírent ad dedicatiónem ſtátuæ quam eréxerat Nabuchodónoſor rex. Stabant autem in conſpéctu ſtátuæ quam posúerat Nabuchodónoſor rex: & præco clamábat valénter: Vobis dícitur pópulis, tríbubus, & linguis: In hora quâ audiéritis sónitum tubæ, & fiſtulæ, & cítharæ, ſambúcæ, & pſaltérii, & ſymphóniæ, & univérſi géneris muſicórum, cadéntes adoráte ſtátuam áuream quam conſtítuit Nabuchodónoſor rex. Si quis autem non proſtrátus adoráverit, eâdem horâ mittétur in fornácem ignis ardéntis.

℟. *j.* Notum, *p.* 238.

LECTIO II. *v.* 7. *ad* 12.

POſt hæc ígitur ſtatim ut audiérunt omnes pópuli sónitum tubæ, fiſtulæ, & cítharæ, ſambúcæ, & pſaltérii, & ſymphóniæ, & omnis géneris muſicórum, cadéntes omnes pópuli, tribus, & linguæ, adoravérunt ſtátuam áuream quam conſtitúerat Nabuchodónoſor rex. Statímque, in ipſo témpore, accedéntes viri Chaldæi accuſavérunt Judæos: dixerúntque Nabuchodónoſor regi: Rex in ætérnum

vive. Tu, Rex, poſuíſti decrétum, ut omnis homo qui audíerit sónitum tubæ, fiſtulæ, & cítharæ, ſambúcæ, & pſaltérii, & ſymphóniæ, & univérſi géneris muſicórum, proſtérnat ſe, & adóret ſtátuam áuream : ſi quis autem non prócidens adoráverit, mittátur in fornácem ignis ardéntis. Sunt ergo viri Judǽi quos conſtituíſti ſuper ópera regiónis Babylónis, Sidrach, Miſach, & Abdénago : viri iſti contempsérunt, Rex, decrétum tuum : deos tuos non colunt, & ſtátuam áuream quam erexíſti, non adórant.

℟. *ij.* Miſit, *p.* 239.

LECTIO III. *v.* 13. *ad* 15.

TUnc Nabuchodónoſor in furóre & in ira præcépit ut adduceréntur Sidrach, Miſach, & Abdénago : qui conféſtim addúcti ſunt in conſpéctu Regis. Pronuntiánſque Nabuchodónoſor rex, ait eis : Veréne, Sidrach, Miſach, & Abdénago, deos meos non cólitis, & ſtátuam áuream quam conſtítui, non adorátis ? Nunc ergo ſi eſtis paráti, quâcúmque horâ audiéritis sónitum tubæ, fiſtulæ, cítharæ, ſambúcæ, & pſaltérii, & ſymphóniæ, omniſque géneris muſicórum, proſtérnite vos, & adoráte ſtátuam quam feci. Quòd ſi non adoravéritis, eâdem horâ mittémini in fornácem ignis ardéntis : & quis eſt Deus, qui erípiet vos de manu mea ?

℟. *iij.* Ex homínibus abjéctus eſt Nabuchodónoſor, & * Fœnum ut bos comédit, & rore cœli corpus ejus inféctum eſt. *Dan.* 4. 30. ℣. Pervenérunt peccáta ejus uſque ad cœlum, & recordátus eſt Dóminus iniquitátum ejus. *Apoc.* 18. 5. * Fœnum. Glória. * Fœnum.

FERIA QUINTA.

De Daniéle Prophéta.

LECTIO I. *c.* 3. *v.* 16. *ad* 24.

RESpondéntes Sidrach, Miſach, & Abdénago, dixérunt regi Nabuchodónoſor : Non opórtet nos de hac re reſpondére tibi. Ecce enim Deus noſter quem cólimus, poteſt erípere nos de camíno ignis ardéntis, & de mánibus tuis, ô Rex, liberáre. Quòd ſi nolúerit, notum ſit tibi, Rex, quia deos tuos non cólimus, & ſtátuam áuream quam erexíſti, non adorámus. Tunc Nabuchodónoſor replétus eſt furóre : & aſpéctus faciéi illíus immutátus eſt ſuper Sidrach, Miſach, & Abdénago : & præcépit ut ſuccenderétur fornax séptuplùm quàm ſuccéndi conſuéverat. Et viris fortíſſimis de exércitu ſuo juſſit, ut ligátis pédibus Sidrach, Miſach, & Abdénago, mítterent eos in fornácem ignis ardéntis. Et conféſtim viri illi vincti cum braccis ſuis, & tiáris, & calceaméntis, & véſtibus, miſſi ſunt in médium fornà-

cis ignis ardéntis, nam júſſio Regis urgébat : fornax autem ſuccénſa erat nimis. Porrò viros illos qui míſerant Sidrach, Miſach, & Abdénago, interfécit flamma ignis. Viri autem hi tres, id eſt, Sidrach, Miſach, & Abdénago, cecidérunt in médio camíno ignis ardéntis, colligáti. Et ambulábant in médio flammæ, laudántes Deum, & benedicéntes Dómino.

℟. *j.* Propóſuit Dániel, *p.* 235.

Lectio II. *v.* 91. *ad* 94.

Tunc Nabuchodónoſor rex obſtúpuit, & ſurréxit próperè, & ait Optimátibus ſuis : Nónne tres viros míſimus in médium ignis compedítos? Qui reſpondéntes Regi, dixérunt : Verè, Rex. Reſpóndit, & ait : Ecce ego vídeo quátuor viros ſolútos, & ambulántes in médio ignis, & nihil corruptiónis in eis eſt, & ſpécies quarti símilis Fílio Dei. Tunc accéſſit Nabuchodónoſor ad óſtium fornácis ignis ardéntis, & ait : Sidrach, Miſach, & Abdénago, ſervi Dei excélſi, egredímini, & veníte. Statímque egréſſi ſunt Sidrach, Miſach, & Abdénago de médio ignis. Et congregáti Sátrapæ, & Magiſtrátus, & Júdices, & Poténtes Regis, contemplabántur viros illos, quóniam nihil poteſtátis habuíſſet ignis in corpóribus eórum, & capíllus cápitis eórum non eſſet adúſtus, & ſarábala eórum non fuíſſent immutáta, & odor ignis non transíſſet per eos.

℟. *ij.* Poſt, *p.* 236.

Lectio III. *v.* 95. *ad finem.*

Et erúmpens Nabuchodónoſor, ait : Benedíctus Deus eórum, Sidrach vidélicet, Miſach, & Abdénago, qui miſit Angelum ſuum, & éruit ſervos ſuos qui credidérunt in eum : & verbum Regis immutavérunt, & tradidérunt córpora ſua, ne ſervírent, & ne adorárent omnem deum, excépto Deo ſuo. A me ergo póſitum eſt hoc decrétum, ut omnis pópulus, tribus, & lingua quæcúmque locúta fúerit blaſphémiam contra Deum Sidrach, Miſach, & Abdénago, diſpéreat, & domus ejus vaſtétur : neque enim eſt álius deus, qui poſſit ità ſalváre. Tunc Rex promóvit Sidrach, Miſach, & Abdénago in província Babylónis. Nabuchodónoſor rex, ómnibus pópulis, géntibus & linguis, qui hábitant in univérſa terra, pax vobis multiplicétur. Signa & mirabília fecit apud me Deus excélſus : plácuit ergo mihi prædicáre ſigna ejus, quia magna ſunt; & mirabília ejus, quia fórtia : & regnum ejus regnum ſempitérnum, & potéſtas ejus in generatiónem & generatiónem.

℟. *iij.* Cùm, *p.* 236.

FERIA SEXTA.

De Daniéle Prophéta.

LECTIO I. *c.* 4. *v.* 1. *ad* 5.

EGo Nabuchodónoſor quiétus eram in domo mea, & florens in palátio meo. Sómnium vidi, quod perterruit me: & cogitatiónes meæ in ſtrato meo, & viſiónes capitis mei conturbavérunt me. Et per me propóſitum eſt decrétum ut introduceréntur in conſpéctu meo cuncti Sapiéntes Babylónis, & ut ſolutiónem sómnii indicárent mihi. Tunc ingrediebántur Arióli, Magi, Chaldǽi & Arúſpices: & sómnium narrávi in conſpéctu eórum. Et ſolutiónem ejus non indicavérunt mihi: donec collega ingréſſus eſt in conſpéctu meo Dániel cui nomen Baltáſſar ſecúndùm nomen Dei mei, qui habet ſpíritum deórum ſanctórum in ſemetípſo: & sómnium coram ipſo locútus ſum.

℟. *j.* Dat, *p.* 237.

LECTIO II. *v.* 6. *ad* 9.

BAltáſſar princeps Ariolórum, quóniam ego ſcio quòd ſpíritum ſanctórum deórum hábeas in te, & omne ſacraméntum non eſt impoſsíbile tibi, viſiónes ſomniórum meórum, quas vidi, & ſolutiónem eárum narra. Víſio cápitis mei in cubíli meo: Vidébam, & ecce arbor in médio terræ, & altitúdo ejus nímia. Magna arbor & fortis: & procéritas *ejus contíngens cœlum*: aſpéctus illíus erat uſque ad términos univérſæ terræ. Fólia ejus pulchérrima, & fructus ejus nímius: & eſca universórum in ea. Subter eam habitábant animália & béſtiæ, & in ramis ejus converſabántur vólucres cœli: & ex ea veſcebátur omnis caro.

℟. *ij.* Rex, *p.* 237.

LECTIO III. *v.* 10. *ad* 16.

VIdébam in viſióne cápitis mei ſuper ſtratum meum, & ecce Vigil & Sanctus de cœlo deſcéndit. Clamávit fórtiter, & ſic ait: Succídite árborem & præcídite ramos ejus: excútite fólia ejus, & diſpérgite fructus ejus: fúgiant béſtiæ quæ ſubter eam ſunt, & vólucres de ramis ejus. Verúmtamen germen radícum ejus in terra ſínite: & alligétur vínculo férreo & ǽreo, in herbis quæ foris ſunt, & rore cœli tingátur, & cum feris pars ejus in herba terræ. Cor ejus ab humáno commutétur, & cor feræ detur ei: & ſeptem témpora muténtur ſuper eum. In ſenténtia vígilum decrétum eſt, & ſermo ſanctórum, & petítio: donec cognóſcant vivéntes, quóniam dominátur Excélſus in regno hóminum; & cuicúmque volúerit, dabit illud; & humíllimum hóminem conſtítuet ſuper eum. Hoc sómnium vidi ego Nabuchodónoſor rex: tu ergo, Baltáſſar, interpretatiónem narra feſtínus: quia omnes

›iéntes regni mei non eunt ſolutiónem edícere ibi. Tu autem potes, quia íritus deórum ſanctórum ı te eſt. Tunc Dániel, cuıs nomen Baltáſſar, cœpit ntra ſemetípſum tácitus ›ogitáre quaſi unâ horâ: & :ogitatiónes ejus conturbábant eum. Reſpóndens autem Rex, ait: Baltáſſar, sómnium & interpretátio ejus non contúrbent te.

℟. iij. Loquens, p. 238.

SABBATO.

De Daniéle Prophéta.

LECTIO I. c. 4. v. 16. ad 21.

BAltáſſar dixit Nabuchodónoſor regi: Dómine mi, sómnium his qui te odérunt, & interpretátio ejus hóſtibus tuis ſit. Arborem quam vidíſti ſublímẽ atque robúſtam, cujus altitúdo pertíngit ad cœlum, & aſpéctus illíus in omnem terram, & rami ejus pulchérrimi, & fructus ejus nímius, & eſca ómniũ in ea, ſubter eam habitántes béſtiæ agri, & in ramis ejus commorántes aves cœli, tu es, Rex, qui magnificátus es, & invaluíſti: & magnitúdo tua crevit, & pervénit uſque ad cœlum, & potéſtas tua in términos univérſæ terræ. Quòd autem vidit Rex Vígilem & Sanctum deſcéndere de cœlo, & dícere: Succídite árborem, & diſſipáte illam, áttamen germen radícum ejus in terra dimíttite, & vinciátur ferro *& ære in herbis foris*, & *ore cœli conſpergátur*, & cum feris ſit pábulum ejus, donec ſeptem témpora mutentur ſuper eum: hæc eſt interpretátio ſenténtiæ Altíſſimi, quæ pervénit ſuper dóminum meum Regem.

Si fiat de Sabbato, duo priora ℟℟. *è III. Nocturno Dom. præced.*

LECTIO II. v. 22. ad 25.

EJícient te ab homínibus, & cum béſtiis feríſque erit habitátio tua: & fœnum ut bos cómedes, & rore cœli infundéris. Septem quoque témpora mutabúntur ſuper te, donec ſcias quòd dominétur Excélſus ſuper regnum hóminum, & cuicúmque volúerit, det illud. Quòd autem præcépit ut relinquerétur germen radícum ejus, id eſt, árboris: regnum tuum tibi manébit, poſtquàm cognóveris poteſtátem eſſe cœléſtem. Quamob rem, Rex, consílium meum pláceat tibi, & peccáta tua eleemóſynis rédime, & iniquitátes tuas miſericórdiis paúperũ: fórſitàn ignóſcet delíctis tuis. Omnia hæc venérunt ſuper Nabuchodónoſor regem.

LECTIO III. v. 26. ad 30.

POſt finem ménſium duódecim, in aula Babylónis deambulábat. Reſpondítque Rex, & ait: Nónne hæc eſt Bábylon magna quam ego ædificávi in domum regni, in róbore fortitúdinis meæ, & in glória decóris mei? Cúmque ſermo adhuc eſſet in ore

Regis, vox de cœlo ruit: Tibi dícitur, Nabuchodónoſor rex: Regnum tuum tranſíbit à te; & ab homínibus ejícient te; & cum béſtiis & feris erit habitátio tua. Fœnum quaſi bos cómedes, & ſeptem témpora mutabúntur ſuper te, donec ſcias quòd dominétur Excélſus in regno hóminum, & cuicúmque volúerit, det illud. Eâdem horâ, ſermo complétus eſt ſuper Nabuchodónoſor: & ex homínibus abjéctus eſt, & fœnum ut bos comédit, & rore cœli corpus ejus inféctum eſt: donec capílli ejus in ſimilitúdinem aquilárum créſcerent, & ungues ejus quaſi ávium.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. E. Erat Dániel convíva Regis, & honorátus ſuper omnes amícos ejus. *Dan.* 14. 1.

Oratio, Omnípotens, *infrà, ad Laudes*, *p.* 251.

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

De Daniéle Prophéta.

LECTIO I. *c.* 5. *v.* 1. *ad* 5.

BAltáſſar rex fecit grande convívium Optimátibus ſuis mille: & unuſquíſque ſecúndùm ſuam bibébat ætátem. Præcépit ergo jam temuléntus, ut afferréntur vaſa aúrea & argéntea, quæ aſportáverat Nabuchodónoſor pater ejus de templo quod fuit in Jerúſalem, ut bíberent in eis Rex & Optimátes *ejus*, *uxoréſque ejus*, & concubínæ. Tunc alláta ſunt vaſa aúrea & argéntea quæ aſportáverat de templo quod fúerat in Jerúſalem: & bibérunt in eis Rex & Optimátes ejus, uxóres, & concubínæ illíus. Bibébant vinum, & laudábant deos ſuos aúreos & argénteos, ǽreos, férreos, lígneóſque & lapídeos. In eádem hora apparuérunt dígiti, quaſi manûs hóminis ſcribéntis contra candelábrum, in ſuperfície paríetis aulæ régiæ: & Rex aſpiciébat artículos manûs ſcribéntis.

℟. *j.* Interpretátio ſomniórum, & * Oſténſio ſecretórum, ac ſolútio ligatórum invéntæ ſunt in eo, hoc eſt, in Daniéle. *Dan.* 5. 12. ℣. Diviſiónes gratiárum ſunt; idem autem Spíritus. 1. *Cor.* 12. 4. * Oſténſio.

LECTIO II. *v.* 6. *ad* 9.

TUnc fácies Regis commutáta eſt, & cogitatiónes ejus conturbábant eum: & compáges renum ejus ſolvebántur, & génua ejus ad ſe ínvicem collidebántur. Exclamávit ítaque Rex fórtiter, ut introdúcerent Magos, Chaldǽos & Arúſpices. Et próloquens Rex, ait Sapiéntibus Babylónis: Quicúmque légerit ſcriptúram hanc, & interpretatiónem ejus maniféſtam mihi fécerit, púrpurâ veſtiétur, & torquem aúream habébit in collo, &

tértius in regno meo erit. Tunc ingréſſi omnes Sapiéntes Regis, non potuérunt nec ſcriptúram légere, nec interpretatiónem indicáre Regi. Unde rex Baltáſſar ſatis conturbátus eſt, & vultus illíus immutátus eſt: ſed & Optimátes ejus turbabántur.

℟. *ij.* Deum qui habet ſtatum tuum in manu ſua & omnes vias tuas, non glorificáſti; * Idcírcò ab eo miſſus eſt artículus manûs quæ ſcripſit hoc quod exarátum eſt. *Dan.* 5. 23. 24. ℣. Stulte, hâc nocte ánimam tuam répetunt à te. *Luc.* 12. 20. * Idcírcò.

Lectio III. *v.* 25. *ad fin.*

RESpóndens Dániel, ait coram Rege: Hæc eſt ſcriptúra quæ digéſta eſt. Mane, Thecel, Phares. Et hæc eſt interpretátio ſermónis. Mane: Numerávit Deus regnum tuum, & complévit illud. Thecel: Appénſus es in ſtatéra, & invéntus es minùs habens. Phares: Divíſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis. Tunc, jubénte Rege, indútus eſt Dániel púrpurâ, & circúmdata eſt torques aúrea collo ejus: & prædicátum eſt de eo quòd habéret poteſtátem tértius in regno ſuo. Eâdem nocte, interféctus eſt Baltáſſar rex Chaldæus. Et Daríus Medus ſuccéſſit in regnum, annos natus ſexagínta duos.

℟. *iij.* *Dóminus* díſſipat consília géntium, * Réprobat autem cogitatiónes populórum, & réprobat consília príncipum. *Pſ.* 32. 10. ℣. Fecit poténtiam in bráchio ſuo, diſpérſit ſupérbos mente cordis ſui. *Luc.* 1. 51. * Réprobat. Glória. * Réprobat.

IN II. NOCTURNO.

De Libro Proverbiórum.

Lectio IV. *c.* 1. *v.* 7. *ad* 15.

TImor Dómini, princípium ſapiéntiæ. Sapiéntiam atque doctrínam ſtulti deſpíciunt. Audi, fili mi, diſciplínam patris tui, & ne dimíttas legem matris tuæ: ut addátur grátia cápiti tuo, & torques collo tuo. Fili mi, ſi te lactáverint peccatóres, ne acquiéſcas eis. Si díxerint: Veni nobíſcum, inſidiémur ſánguini: abſcondámus tendículas contra insóntem fruſtrà: deglutiámus eum ſicut inférnus vivéntem, & íntegrum quaſi deſcendéntem in lacum: omnem pretióſam ſubſtántiam reperiémus, implébimus domos noſtras ſpóliis: ſortem mitte nobíſcum, marsúpium unum ſit ómnium noſtrûm: fili mi, ne ámbules cum eis, próhibe pedem tuum à sémitis eórum.

℟. *iv.* Egréſſa eſt iníquitas de Babylóne à ſenióribus Judícibus, * Qui videbántur régere pópulum. *Dan.* 13. 5. ℣. Trádidit illos Deus in réprobrum ſenſum. *Rom.* 1. 28. * Qui.

ꝉIO V. *v.* 16. *ad* 23.
Edes illórum ad malum
currunt, & feſtínant
effúndant sánguinem.
ſtrà autem jácitur rete
e óculos pennatórum.
quoque contra ſángui-
n ſuum inſidiántur, &
liúntur fraudes contra
mas ſuas. Sic sémitæ
nis avári, ánimas poſſi-
tium rápiunt. Sapiéntia
s prædicat, in platéis
vocem ſuam, in cápite
árum clámitat, in fó-
s portárum urbis pro-
verba ſua, dicens: Uſ-
quò, párvuli, dilígitis
ntiam, & ſtulti ea quæ
ſunt nóxia cúpient,
imprudéntes odíbunt
ntiam? Convertímini ad
eptiónem meam: en
feram vobis ſpíritum
ım, & oſténdam vobis
ba mea.

ꝶ. *v.* Cùm ducerétur ad
rtem Suſánna, * Suſcitá-
Dóminus Spíritum ſanc-
ı púeri junióris, cujus
nen Dániel. *Dan.* 13. 45.
Deus qui juſtíficat, quis
qui condémnet? *Rom.*
8. 34. * Suſcitávit.

ꝉIO VI. *v.* 24. *ad* 28.
Uia vocávi, & renuíſ-
tis: exténdi manum
ım, & non fuit qui aſpí-
et: deſpexíſtis omne con-
ım meum, & increpa-
nes meas neglexíſtis: ego
oque in intéritu veſtro
ebo & ſubſannábo, cùm
bis id quod timebátis,
énerit. *Cùm irrúerit*
repentína calámitas, & intéritus quaſi tempéſtas ingrúerit: quando vénerit ſuper vos tribulátio & angúſtia: tunc invocábunt me, & non exaúdiam: manè conſúrgent, & non invénient me.

℟. *vj.* Exclamávit omnis cœtus voce magnâ, * Et benedixérunt Deum, qui ſalvat ſperántes in ſe. *Dan.* 13. 60. ℣. Omnes qui audiérunt, miráti ſunt. *Luc.* 2. 18. * Et. Glória. * Et.

IN III. NOCTURNO.

Sermo ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lib. 3, *de Spiritu ſancto. Cap.* 6.

LECTIO VII.

PEr Spíritum datur ſermo ſapiéntiæ. Dániel, niſi accepíſſet Dei Spíritum, nunquam potuíſſet deprehéndere adultérium libídinis, mendácium fraudis. Nam cùm Suſánna presbyterórum conjuratiónibus appetíta, infléxam pópuli méntem vidéret contemplatióne ſeniórum; & ómnibus deſtitúta ſubsídiis, ſola inter hómines pudicítiæ ſuæ cónſcia, Deum árbitrum precarétur: Exaudívit, inquit, Dóminus vocem ejus, cùm ducerétur ut períret: & excitávit Dóminus Spíritum ſanctum púeri adoleſcéntis, cui nomen Dániel. Itaque ſecúndùm accépti Spíritûs ſancti grátiam, vacillántia perfidórum teſtimónia deprehéndit. Neque ália niſi divínæ fuit operátio poteſtá-

tis, ut eos vox ſua próderet, quorum latébat affectus.

℟. *vij.* Ipſe Deus liberátor atque ſalvátor, fáciens ſigna & mirabília in cœlo & in terra, * Qui liberávit Daniélem de lacu leónum. *Dan.* 6. 27. ℣. Miſit Dóminus Angelum ſuum. *Act.* 12. 11. * Qui liberávit.

LECTIO VIII.

PErcípite ígitur Spíritûs ſancti ſacrum & cœléſte miráculum. Illa quæ máluit ſibi caſta eſſe, quàm pópulo: illa quæ máluit innocéntiæ ſubíre perículum, quàm pudóris: quæ cùm accuſarétur, tacébat; cùm damnarétur, ſilébat, conſciéntiæ ſuæ conténta judício, ubi Dóminum invocávit, Spíritum méruit, qui laténtem presbyterórum conſciéntiam revelávit. Ac ne quis fortè exíſtimet, quia, dicénte Scriptúrâ: Excitávit Deus Spíritum ſanctum púeri adoleſcéntis, ſpíritum in eo putet fuiſſe hóminis, non Spíritum ſanctum: legat in poſterióribus, & invéniet quia Spíritum ſanctum accépit Dániel, & ídeò prophetávit. Dénique & Rex eum prætulit, quia habébat grátiam ſpiritálem. Sic enim dicit: Tu autem, Dániel, potes, quia Spíritus ſanctus Dei in te eſt. Et infrà, Scriptúra dicit: Et fuit Dániel præpóſitus illis, quóniam Spíritus erat ſúperans in eo.

℟. *viij. Occídit* Rex ſacerdótes *Bel;* & * Trádidit Bel in poteſtátem Daniélis, qui ſubvértit eum & templum ejus. *Dan.* 14. 21. ℣. Mutavérunt glóriam incorruptíbilis Dei, in ſimilitúdinem imáginis corruptíbilis hóminis. *Rom.* 1. 23. * Trádidit.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

LECTIO IX. *c.* 22. *v.* 1. *ad* 14.

Invitati ad nuptias.

JEſus dixit in parábolis Princípibus Sacerdótum: Símile factum eſt regnum cœlórum hómini Regi, qui fecit núptias fílio ſuo. Et réliqua.

Homília ſancti Irenǽi Epíſcopi.

Lib. 4. *cont. Hæreſ. Cap.* 36. *n.* 5. 6.

MAniféſtè per hæc verba ſua oſténdit Dóminus, quóniam ab inítio núptias præparávit Fílio ſuo, & propter imménſam benignitátem, per ſervos ſuos vocábat prióres ad convívium nuptiárum: & ubi illi noluérunt obedíre, rurſus álios ſervos miſit cónvocans eos: neque ſic obediérunt ei, ſed & eos qui vocatiónem annuntiábant, lapidavérunt & occidérunt. Illos quidem pérdidit, mittens exércitus ſuos, & civitátem illórum ſuccéndit. Ex ómnibus autem viis, id eſt, ex univérſis géntibus, ad convívium nuptiárum Fílii ſui convocávit. Qui ígitur nos per Apóſtolos úndique vocávit Dóminus, hic per Pro-

phétas vocábat eos qui olim fuérunt. Alii quidem Dóminum annuntiábant, álii autem Patrem evangelizábant: & álii quidem advéntum prænuntiábant Fílii Dei, álii verò præséntem eum, jam his qui longè erant, præconábant. Adhuc étiam manifeſtávit oportére nos cum vocatióne & juſtítiæ opéribus adornári: utì requiéſcat ſuper nos Spíritus Dei. Hoc eſt enim induméntum nuptiárum.

℟. *ix.* Sapiéntia miſit ancíllas ſuas, ut vocárent ad arcem, & ad mœ́nia civitátis: * Si quis eſt párvulus, veniat ad me. *Prov.* 9. 3.4. ℣. Abiérunt, álius in villam ſuam, álius verò ad negotiatiónem ſuam. *Matt.* 22. 5.* Si quis. Glória. * Si quis.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. f. Quæ participátio juſtítiæ cum iniquitáte, aut quæ ſocíetas luci ad ténebras? 2. *Cor.* 6. 14.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, de cujus múnere venit ut tibi à fidélibus tuis dignè & laudabíliter ſerviátur; puríſica, quǽſumus, corda noſtra, ut juſtítiâ quaſi veſte nuptiáli indúti, ad cœnam Agni admítti mereámur; Per eúmdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Multi ſunt vocáti, pauci verò elécti. *Matt.* 22. 14.

FERIA SECUNDA.

De Daniéle Prophéta.

LECTIO I. *c.* 6. *v.* 6. *ad* 11.

PRíncipes & Sátrapæ ſurripuérunt Regi, & ſic locúti ſunt ei: Dari rex, in ætérnum vive. Consílium iniérunt omnes Príncipes regni tui, Magiſtrátus, & Sátrapæ, Senatóres, & Júdices, ut decrétum imperatórium éxeat, & edíctum: Ut omnis qui petíerit áliquam petitiónem à quocúmque deo & hómine, uſque ad trigínta dies, nisì à te, Rex, mittátur in lacum leónum. Nunc ítaque, Rex, confírma ſenténtiam, & ſcribe decrétum: ut non immutétur quod ſtatútum eſt à Medis & Perſis, nec prævaricári cuíquam líceat. Porrò rex Daríus propóſuit edíctum & ſtátuit. Quod cùm Dániel comperíſſet, id eſt, conſtitútam legem, ingréſſus eſt domum ſuam: & feneſtris apértis in cœnáculo ſuo contra Jerúſalem, tribus tempóribus in die flectébat génua ſua, & adorábat, confitebatúrque coram Deo ſuo, ſicut & antè fácere conſuéverat. Viri ergo illi curióſiùs inquiréntes, invenérunt Daniélem orántem & obſecrántem Deum ſuum.

℟. *j.* Interpretátio, *p.* 247.

LECTIO II. *v.* 16. *ad* 22.

TUnc Rex præcépit; & adduxérunt Daniélem, & miſérunt eum in lacum leónum. Dixítque Rex Da-

niéli : Deus tuus quem colis ſemper, ipſe liberábit te. Allatúſque eſt lapis unus, & póſitus eſt ſuper os laci : quem obſignávit Rex ánnulo ſuo, & ánnulo Optimátum ſuórum, ne quid fíeret contra Daniélem. Et ábiit Rex in domum ſuam, & dormívit incœnátus, cibíque non ſunt alláti coram eo : ínſuper & ſomnus recéſſit ab eo. Tunc Rex primo dilúculo consúrgens, feſtínus ad lacum leónum perréxit : appropinquánſque lácui, Daniélem voce lacrymábili inclamávit, & affátus eſt eum : Dániel ſerve Dei vivéntis, Deus tuus cui tu ſervis ſemper, putáſne váluit te liberáre à leónibus? & Dániel Regi reſpóndens, ait : Rex, in ætérnum vive. Deus meus miſit Angelum ſuum, & conclúſit ora leónum, & non nocuérunt mihi : quia coràm eo Juſtítia invénta eſt in me. Sed & coram te, Rex, delíctum non feci.

℟. *ij.* Deum, *p.* 248.

Lectio III. *v.* 23. *ad fin.*

TUnc vehementer Rex gavíſus eſt ſuper eo, & Daniélem præcépit edúci de lacu : edúctúſque eſt Dániel de lacu, & nulla lǽſio invénta eſt in eo, quia crédidit Deo ſuo. Jubénte autem Rege, addúcti ſunt viri illi qui accuſáverant Daniélem : & in lacum leónum miſſi ſunt, ipſi, & filii, & uxóres eórum ; & non pervenérunt uſque ad paviméntum laci, donec arríperent eos leónes, & ómnia oſſa eórum comminuérunt. Tunc Daríus rex ſcripſit univérſis pópulis, tríbubus, & linguis, habitántibus in univérſa terra : Pax vobis multiplicétur. A me conſtitútum eſt decrétum, ut in univérſo império & regno meo, tremíſcant & páveant Deum Daniélis. Ipſe eſt enim Deus vivens & ætérnus in ſécula : & regnum ejus non diſſipábitur : & potéſtas ejus uſque in ætérnum. Ipſe liberátor atque ſalvátor, fáciens ſigna & mirabília in cœlo & in terra : qui liberávit Daniélem de lacu leónum. Porrò Dániel perſeverávit uſque ad regnum Daríi, regnúmque Cyri Perſæ.

℟. *iij.* Dóminus, *p.* 248.

FERIA TERTIA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio I. *c.* 13. *v.* 1. *ad* 9.

ERat vir hábitans in Babylóne, & nomen ejus Jóakim : & accépit uxórem nómine Susánnam, filiam Helcíæ, pulchram nimis, & timéntem Deum : paréntes enim illíus, cùm eſſent juſti, erudiérunt filiam ſuam ſecúndùm Legem Móyſi. Erat autem Jóakim dives valde : & erat ei pomárium vicínum dómui ſuæ : & ad ipſum confluébant Judǽi, eò quòd eſſet honorabílior ómnium. Et conſtitúti ſunt de pópulo

duo ſenes Júdices in illo anno, de quibus locútus eſt Dóminus: Quia egréſſa eſt iníquitas de Babylóne à ſenióribus Judícibus qui videbántur régere pópulum. Iſti frequentábant domum Jóakim, & veniébant ad eos omnes qui habébant judícia. Cùm autem pópulus revertíſſet per merídiem, ingrediebátur Susánna, & deambulábat in pomário viri ſui. Et vidébant eam ſenes quotídie ingrediéntem & deambulántem: & exarsérunt in concupiſcéntiam ejus. Et evertérunt ſenſum ſuum, & declinavérunt óculos ſuos, ut non vidérent cœlum, neque recordaréntur judiciórum juſtórum.

℟. *j.* Egréſſa eſt, *p.* 248.

Lectio II. *v.* 10. *ad* 18.

ERant ergo ambo vulneráti amóre ejus, nec indicavérunt ſibi vicíſſim dolórem ſuum: erubeſcébant enim indicáre ſibi concupiſcéntiam ſuam, voléntes concúmbere cum ea. Et obſervábant quotídie ſollicítiùs vidére eam. Dixítque alter ad álterum: Eámus domum, quia hora prándii eſt. Et egréſſi receſsérunt à ſe. Cúmque revertíſſent, venérunt in unum: & ſciſcitántes ab ínvicem cauſam, conféſſi ſunt concupiſcéntiam ſuam: & tunc in commúni ſtatuérunt tempus, quando eam poſſent invenire ſolam. Factum eſt autem, cùm obſervárent diem aptum, ingréſſa eſt aliquándo ſicut heri & nudiuſtértiùs, cum duábus ſolis puéllis, voluítque lavári in pomário: æſtus quippe erat, & non erat ibi quiſquam, præter duos ſenes abſcónditos & contemplántes eam. Dixit ergo puéllis: Afférte mihi óleum & ſmígmata, & óſtia pomárii claúdite, ut laver. Et fecérunt ſicut præcéperat, clauſerúntque óſtia pomárii, & egréſſæ ſunt per póſticum, ut afférrent quæ júſſerat: neſciebántque ſenes intùs eſſe abſcónditos.

℟. *ij.* Cùm, *p.* 249.

Lectio III. *v.* 19. *ad* 27.

CUm autem egréſſæ eſſent puéllæ, ſurrexérunt duo ſenes, & accurrérunt ad eam. Et dixérunt: Ecce óſtia pomárii clauſa ſunt, & nemo nos videt; & nos in concupiſcéntia tuî ſumus: quam ob rem aſſentíre nobis, & commiſcére nobíſcum. Quòd ſi nolúeris, dicémus contra te teſtimónium, quòd fúerit tecum júvenis, & ob hanc cauſam emíſeris puéllas à te. Ingémuit Susánna, & ait: Angúſtiæ ſunt mihi úndique: ſi enim hoc égero, mors mihi eſt: ſi autem non égero, non effúgiam manus veſtras. Sed méliùs eſt mihi abſque ópere incídere in manus veſtras, quàm peccáre in conſpéctu Dómini. Et exclamávit voce magnâ

Suſánna : exclamavérunt autem & ſenes advérsùs eam. Et cucúrrit unus ad óſtia pomárii, & apéruit. Cùm ergo audiſſent clamórem fámuli domûs in pomário, irruérunt per póſticum, ut vidérent quidnam eſſet. Poſtquàm autem ſenes locúti ſunt, erubuérunt ſervi veheménter : quia nunquam dictus fúerat ſermo hujuſcémodi de Suſánna. Et facta eſt dies cráſtina.

℟. *iij*. Exclamávit omnis cœtus, *p*. 249.

FERIA QUARTA.

De Daniéle Prophéta.

LECTIO I. *c*. 13. *v*. 28. *ad* 35.

CUm veníſſet pópulus ad Jóakim virum Suſánnæ, venérunt & duo preſbýteri pleni íniquâ cogitatióne advérsùs Suſánnam, ut interficerent eam. Et dixérunt coram pópulo : Míttite ad Suſánnam filiam Helcíæ uxórem Jóakim. Et ſtatim miſérunt. Et venit cum paréntibus, & fíliis, & univérſis cognátis ſuis. Porrò Suſánna erat delicáta nimis, & pulchrâ ſpécie. At íniqui illi juſsérunt ut diſcooperirétur, erat enim coopérta : ut vel ſic ſatiaréntur decóre ejus. Flebant ígitur ſui, & omnes qui nóverant eam.

℟. *j*. Ipſe, *p*. 250.

LECTIO II. *v*. 34. *ad* 40.

COnſurgéntes autem duo presbýteri in médio pópuli, poſuérunt manus *ſuas ſuper caput* ejus. Quæ flens ſuſpéxit ad cœlum, erat enim cor ejus fidúciam habens in Dómino. Et dixérunt presbýteri : Cùm deambularémus in pomário ſoli, ingréſſa eſt hæc cum duábus puéllis, & clauſit óſtia pomárii, & dimíſit à ſe puéllas. Venítque ad eam adoléſcens qui erat abſcónditus, & concúbuit cum ea. Porrò nos cùm eſsémus in ángulo pomárii, vidéntes iniquitátem, cucúrrimus ad eos, & vídimus eos páriter commiſcéri. Et illum quidem non quívimus comprehéndere, quia fórtior nobis erat, & apértis óſtiis exilívit : hanc autem cùm apprehendiſſémus, interrogávimus quiſnam eſſet adoléſcens, & nóluit indicáre nobis. Hujus rei teſtes ſumus.

℟. *ij*. Occídit, *p*. 250.

LECTIO III. *v*. 41. *ad* 44.

CRédidit eis multitúdo, quaſi ſénibus & Judícibus pópuli, & condemnavérunt eam ad mortem. Exclamávit autem voce magnâ Suſánna, & dixit : Deus ætérne, qui abſconditórum es cógnitor, qui noſti ómnia ántequàm fiant, tu ſcis quóniam falſum teſtimónium tulérunt contra me : & ecce mórior, cùm nihil horum fécerim, quæ iſti malitióſè compoſuérunt advérsùm me. Exaudívit autem Dóminus vocem ejus.

℟. *iij*. Exclamávit voce magnâ Suſánna, & dixit : * Deus ætérne, qui abſcon-

ditórum es cógnitor, qui noſti ómnia, ántequàm fiant, tu ſcis quóniam falſum teſtimónium tulérunt contra me. *Dan.* 13. 42. 43. ℣. Non confúndor; ſcio enim cui crédidi. 2. *Tim.* 1. 12. * Deus. Glória. * Deus.

FERIA QUINTA.

De Daniéle Prophéta.

LECTIO I. *c.* 13. *v.* 45. *ad* 51.

CUm ducerétur ad mortem Susánna, ſuſcitávit Dóminus Spíritum ſanctum púeri junióris, cujus nomen Dániel: & exclamávit voce magnâ: Mundus ego ſum à ſánguine hujus. Et convérſus omnis pópulus ad eum, dixit: Quis eſt iſte ſermo quem tu locútus es? Qui cùm ſtaret in médio eórum, ait: Sic fátui, filii Iſraël, non judicántes, neque quod verum eſt cognoſcéntes, condemnáſtis filiam Iſraël? Revertímini ad judícium, quia falſum teſtimónium locúti ſunt advérsùs eam. Revérſus eſt ergo pópulus cum feſtinatióne. Et dixérunt ei ſenes: Veni, & ſede in médio noſtrûm, & índica nobis: quia tibi Deus dedit honórem ſenectútis. Et dixit ad eos Dániel: Separáte illos ab ínvicem procul, & dijudicábo eos.

℟. *j.* Interpretátio, *p.* 247.

LECTIO II. *v.* 52. *ad* 59.

CUm ergo divíſi eſſent alter ab áltero, vocávit *unum de eis, & dixit ad* eum: Inveteráte diérum malórum, nunc venérunt peccáta tua quæ operabáris priùs, júdicans judícia injúſta, innocéntes ópprimens, & dimíttens nóxios, dicénte Dómino: Innocéntem & juſtum non interfícies. Nunc ergo ſi vidíſti eam, dic ſub qua árbore víderis eos colloquéntes ſibi. Qui ait: Sub ſchino. Dixit autem Dániel: Rectè mentítus es in caput tuum: ecce enim Angelus Dei, accéptâ ſenténtiâ ab eo, ſcindet te médium. Et amóto eo, juſſit veníre álium, & dixit ei: Semen Chánaan, & non Juda, ſpécies decépit te, & concupiſcéntia ſubvértit cor tuum. Sic faciebátis filiábus Iſraël, & illæ timéntes loquebántur vobis: ſed fília Juda non ſuſtínuit iniquitátem veſtram. Nunc ergo dic mihi, ſub qua árbore comprehénderis eos loquéntes ſibi. Qui ait: Sub prino. Dixit autem ei Dániel: Rectè mentítus es & tu in caput tuum: manet enim Angelus Dómini, gládium habens, ut ſecet te médium, & interfíciat vos.

℟. *ij.* Deum, *p.* 248.

LECTIO III. *v.* 60. *ad fin.*

EXclamávit ítaque omnis cœtus voce magnâ, & benedixérunt Deum qui ſalvat ſperántes in ſe. Et conſurrexérunt advérsùs duos presbýteros: convícerat enim eos Dániel ex ore ſuo, falſum dixiſſe teſtimó-

nium. Fecerúntque eis ſicut malè égerant advérsùs próximum, ut fácerent ſecúndùm Legem Móyſi: & interfecérunt eos. Et ſalvátus eſt ſanguis innóxius in die illa. Helcías autem & uxor ejus laudavérunt Deum pro fília ſua Susánna, cum Jóakim maríto ejus, & cognátis ómnibus, quia non eſſet invénta in ea res turpis. Dániel autem factus eſt magnus in conſpéctu pópuli, à die illa & deínceps. Et rex Aſtýages appóſitus eſt ad patres ſuos, & ſuſcépit Cyrus Perſes regnum ejus.

℟. *iij.* Dóminus, *p.* 248.

FERIA SEXTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio I. *c.* 14. *v.* 1. *ad* 8.

ERat Dániel convíva Regis, & honorátus ſuper omnes amícos ejus. Erat quoque idólum apud Babylónios, nómine Bel: & impendebántur in eo per dies síngulos símilæ ártabæ duódecim, & oves quadragínta, viníque ámphoræ ſex. Rex quoque colébat eum, & ibat per síngulos dies adoráre eum. Porrò Dániel adorábat Deum ſuum. Dixítque ei Rex: Quare non adóras Bel? Qui reſpóndens, ait ei: Quia non colo idóla manufácta, ſed vivéntem Deum qui creávit cœlum & terram, & habet poteſtátem omnis carnis. Et dixit Rex ad eum: Non vidétur tibi eſſe Bel vivens deus? An non *vides quanta cómedat* & bibat quotídie? Et ait Dániel arrídens: Ne erres, Rex, iſte enim intrínſecùs lúteus eſt, & forínſecùs æreus, neque cómedit aliquándo. Et irátus Rex vocávit ſacerdótes ejus, & ait eis: Niſi dixéritis mihi, quis eſt qui cómedat impénſas has, moriémini. Si autem oſtendéritis quóniam Bel cómedat hæc, moriétur Dániel, quia blaſphemávit in Bel. Et dixit Dániel Regi: Fiat juxta verbum tuum.

℟. *j.* Egréſſa, *p.* 248.

Lectio II. *v.* 9. *ad* 14.

ERant autem ſacerdótes Bel ſeptuagínta, excéptis uxóribus, & párvulis, & filiis. Et venit Rex cum Daniéle in templum Bel. Et dixérunt ſacerdótes Bel: Ecce nos egrédimur foràs, & tu, Rex, pone eſcas, & vinum miſce, & claude óſtium, & ſigna ánnulo tuo: & cùm ingréſſus fúeris manè, niſì invéneris ómnia comésta à Bel, morte moriémur, vel Dániel qui mentítus eſt advérsùm nos. Contemnébant autem, quia fécerant ſub menſa abſcónditum introítum, & per illum ingrediebántur ſemper, & devorábant ea. Factum eſt ígitur, poſtquàm egréſſi ſunt illi, Rex póſuit cibos ante Bel: præcépit Dániel púeris ſuis, & attulérunt cínerem, & cribrávit per totum templum, coram Rege: & egréſſi clauſérunt óſtium: & ſignántes ánnulo Regis

abiérunt. Sacerdótes autem ingréſſi ſunt nocte, juxta conſuetúdinem ſuam, & uxóres, & filii eórum : & comedérunt ómnia, & bibérunt.

℟. *ij.* Cùm, *p.* 249.

LECTIO III. *v.* 15. *ad* 21.

SUrréxit autem Rex primo dilúculo, & Dániel cum eo. Et ait Rex : Sálvane ſunt ſignácula, Dániel ? Qui reſpóndit : Salva, Rex. Statímque cùm aperuíſſet óſtium, intúitus Rex menſam, exclamávit voce magnâ : Magnus es Bel, & non eſt apud te dolus quiſquam. Et riſit Dániel : & ténuit Regem, ne ingrederétur intrò, & dixit : Ecce paviméntum, animadvérte cujus veſtígia ſint hæc. Et dixit Rex : Vídeo veſtígia virórum, & mulíerum, & infántium : & irátus eſt Rex. Tunc apprehéndit ſacerdótes, & uxóres, & filios eórum : & oſtendérunt ei abſcóndita oſtíola per quæ ingrediebántur, & conſumébant quæ erant ſuper menſam. Occídit ergo illos Rex, & trádidit Bel in poteſtátem Daniélis, qui ſubvértit eum & templum ejus.

℟. *iij.* Exclamávit, *p.* 249.

SABBATO.

De Daniéle Prophéta.

LECTIO I. *c.* 14. *v.* 22. *ad* 28.

ERat draco magnus in loco illo, & colébant eum Babylónii. Et dixit Rex Daniéli : Ecce nunc non potes dícere quia iſte non ſit deus vivens : adóra ergo eum. Dixítque Dániel : Dóminum Deum meum adóro, quia ipſe eſt Deus vivens : iſte autem non eſt deus vivens. Tu autem, Rex, da mihi poteſtátem, & interficiam dracónem abſque gládio & fuſte. Et ait Rex : Do tibi. Tulit ergo Dániel picem, & ádipem, & pilos, & coxit páriter : fecítque maſſas, & dedit in os dracónis, & dirúptus eſt draco. Et dixit : Ecce quem colebátis. Quod cùm audíſſent Babylónii, indignáti ſunt veheménter : & congregáti advérsùm Regem, dixérunt : Judǽus factus eſt Rex. Bel deſtrúxit, dracónem interfécit, & ſacerdótes occídit. Et dixérunt, cùm veníſſent ad Regem : Trade nobis Daniélem, alióquin interficiémus te, & domum tuam.

Si fiat de Sabbato, duo priora ℟℟. *è III. Noct. Dom. præced.*

LECTIO II. *v.* 29. *ad* 35.

VIdit ergo Rex quòd irrúerent in eum veheménter : & neceſſitáte compúlſus, trádidit eis Daniélem. Qui misérunt eum in lacum leónum, & erat ibi diébus ſex. Porrò in lacu erant leónes ſeptem, & dabántur eis duo córpora quotídie, & duæ oves : & tunc non data ſunt eis, ut devorárent Daniélem. Erat autem Hábacuc Prophéta in Judǽa, & ipſe cóxerat pulméntum, & intríverat panes in alvéo-

lo: & ibat in campum, ut ferret meſsóribus. Dixítque Angelus Dómini ad Hábacuc: Fer prándium quod habes, in Babylónem, Daniéli qui eſt in lacu leónum. Et dixit Hábacuc: Dómine, Babylónem non vidi, & lacum néſcio. Et apprehéndit eum Angelus Dómini in vértice ejus, & portávit eum capíllo cápitis ſui: poſuítque eum in Babylóne ſupra lacum, in ímpetu ſpíritûs ſui.

LECTIO III. *v. 36. ad fin.*

ET clamávit Hábacuc, dicens: Dániel ſerve Dei, tolle prándium quod miſit tibi Deus. Et ait Dániel: Recordátus es meî, Deus, & non dereliquíſti diligéntes te. Surgénſque Dániel comédit. Porrò Angelus Dómini reſtítuit Hábacuc conféſtim in loco ſuo. Venit ergo Rex, die séptimo, ut lugéret Daniélem: & venit ad lacum, & introſpéxit: & ecce Dániel ſedens in médio leónum. Et exclamávit voce magnâ Rex, dicens: Magnus es, Dómine Deus Daniélis. Et extráxit eum de lacu leónum. Porrò illos qui perditiónis ejus cauſa fúerant, intromíſit in lacum, & devoráti ſunt in moménto coram eo. Tunc Rex ait: Páveant omnes habitántes *in univérſa* terra Deum Da*niélis: quia ipſe* eſt ſalvá*tor, fáciens ſigna* & mira*bília in terra* : qui liberávit Daniélem de lacu leónū.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. g. Colléctus eſt ad Eſdram de Iſraël cœtus grandis nimis virórum, & mulíerum, & puerórum; & flevit pópulus fletu multo. 1. *Eſdr.* 10. 1.

Oratio, Auge in nobis, *infrà, ad Laudes, p.* 263.

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Liber primus Eſdræ.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 4.

IN anno primo Cyri regis Perſárum, ut compleréetur verbum Dómini ex ore Jeremíæ, ſuſcitávit Dóminus ſpíritum Cyri regis Perſárum: & tradúxit vocem in omni regno ſuo, étiam per ſcriptúram, dicens: Hæc dicit Cyrus rex Perſárum. Omnia regna terræ dedit mihi Dóminus Deus cœli, & ipſe præcépit mihi ut ædificárem ei domum in Jerúſalem quæ eſt in Judǽa. Quis eſt in vobis de univérſo pópulo ejus? Sit Deus illíus cum ipſo. Aſcéndat in Jerúſalem quæ eſt in Judǽa, & ædíficet domum Dómini Dei Iſraël: ipſe eſt Deus qui eſt in Jerúſalem. Et omnes réliqui in cunctis locis ubicúmque hábitant, ádjuvent eum viri de loco ſuo, argénto, & auro, & ſubſtántiâ, & pecóribus, excépto quod voluntárie ófferunt templo Dei, quod eſt in Jerúſalem.

℟. j. Eſdras aſcéndit de

Babylóne, & ipſe ſcriba velox * In Lege Móyſi quam Dóminus Deus dedit Iſraël. 1. *Eſdr.* 7. 6. ℣. Hic erat edóctus viam Dómini, & fervens ſpíritu loquebátur. *Act.* 18. 25. * In Lege.

Lectio II. *v.* 5. *ad fin.*

ET ſurrexérunt príncipes patrum de Juda & Bénjamin, & Sacerdótes, & Levítæ, & omnis cujus Deus ſuſcitávit ſpíritum, ut aſcénderent ad ædificándum templum Dómini, quod erat in Jerúſalem. Univerſique qui erant in circúitu, adjuvérunt manus eórum, in vaſis argénteis & aúreis, in ſubſtántia & juméntis, in ſupelléctili, excéptis his quæ ſponte obtúlerant. Rex quoque Cyrus prótulit vaſa templi Dómini, quæ túlerat Nabuchodónoſor de Jerúſalem, & poſúerat ea in templo dei ſui. Prótulit autem ea Cyrus rex Perſárum per manum Mithrídatis filii Gázabar, & annumerávit ea Saſſábaſar príncipi Juda. Et hic eſt númerus eórũ: Phíalæ aúreæ trigínta, phíalæ argénteæ mille, cultri vigínti novem, ſcyphi aúrei trigínta, ſcyphi argéntei ſecúndi quadringénti decẽ, vaſa ália mille. Omnia vaſa aúrea & argéntea, quinque míllia quadringénta: univérſa tulit Saſſábaſar, cum his qui aſcendébant de tranſmigratióne Babylónis in Jerúſalem.

℟. ij. *Eſdras parávit cor ſuum,* * *Ut inveſtigáret* Legem Dómini, & fáceret, & docéret in Iſraël præcéptum & judícium. 1. *Eſdr.* 7. 10. ℣. Devítans profánas vocum novitátes, & oppoſitiónes falſi nóminis ſciéntiæ. 1. *Tim.* 6. 20. * Ut inveſtigáret.

Lectio III. *c.* 3. *v.* 1. *ad* 6.

JAmque vénerat menſis ſéptimus, & erant filii Iſraël in civitátibus ſuis: congregátus eſt ergo pópulus quaſi vir unus in Jerúſalem. Et ſurréxit Jóſue filius Jóſedec, & fratres ejus Sacerdótes, & Zoróbabel filius Saláthiel, & fratres ejus, & ædificavérunt altáre Dei Iſraël, ut offérrent in eo holocautómata, ſicut ſcriptum eſt in Lege Móyſi viri Dei. Collocavérunt autem altáre Dei ſuper baſes ſuas, deterréntibus eos per circúitum pópulis terrárum, & obtulérunt ſuper illud holocaúſtum Dómino, manè & véſpere. Fecerúntque Solemnitátem Tabernaculórum, ſicut ſcriptum eſt, & holocaúſtum diébus ſíngulis per órdinem, ſecúndum præcéptum opus diéi in die ſuo. Et poſt hæc holocaúſtum juge, tam in Caléndis quàm in univérſis Solemnitátibus Dómini quæ erant conſecrátæ, & in ómnibus in quibus ultrò offerebátur munus Dómino. A primo die menſis ſéptimi, cœpérunt offérre holocauſtum Dómino.

℟. *iij.* Manus Dei noſtri eſt ſuper omnes qui quærunt eum in bonitáte : & * Impérium ejus, & fortitúdo ejus, & furor ſuper omnes qui derelínquunt eum. 1. *Eſdr.* 8. 22. ℣. Reddet unicuíque Deus ſecúndùm ópera ejus. *Rom.* 2. 6. * Impérium ejus. Glória. * Impérium ejus.

IN II. NOCTURNO.

De Libro Eccleſiáſtæ.

Lectio IV. *c.* 6. *v.* 1. *ad* 6.

EST & malum quod vidi ſub ſole & quidem frequens apud hómines. Vir, cui dedit Deus divítias, & ſubſtántiam, & honórem, & nihil deeſt ánimæ ſuæ, ex ómnibus quæ desíderat : nec tribuit ei poteſtátem Deus ut cómedat ex eo, ſed homo extráneus vorábit illud. Hoc vánitas & miséria magna eſt. Si genúerit quíſpiam centum líberos, & víxerit multos annos, & plures dies ætátis habúerit, & ánima illíus non utátur bonis ſubſtántiæ ſuæ, ſepulturâque cáreat, de hoc ego pronúntio quòd mélior illo ſit abortívus. Fruſtrà enim venit, & pergit ad ténebras, & oblivióne delébitur nomen ejus. Non vidit ſolem, neque cognóvit diſtántiam boni & mali : étiam ſi duóbus míllibus annis víxerit, & non fúerit perfrúitus bonis. *Nónne ad unum locum próperant ómnia?*

℟. *iv.* Conſtituérunt Levítas à vigínti annis & ſuprà, * Ut urgérent opus Dómini. 1. *Eſdr.* 3. 8. ℣. In conſpéctu Dómini terræ ſtantes. *Apoc.* 11. 4. * Ut urgérent.

Lectio V. *c.* 8. *v.* 1. *ad* 9.

SApiéntia hóminis lucet in vultu ejus, & potentíſſimus fáciem illíus commutábit. Ego os Regis obſérvo, & præcépta juraménti Dei. Ne feſtínes recédere à fácie ejus, neque permáneas in ópere malo : quia omne quod volúerit, fáciet : & ſermo illíus poteſtáte plenus eſt : nec dícere ei quiſquam poteſt : Quare ità facis? Qui cuſtódit præcéptum, non experiétur quidquam mali. Tempus & reſponſiónem cor ſapiéntis intélligit. Omni negótio tempus eſt, & opportúnitas, & multa hóminis afflíctio : quia ignórat prætérita, & futúra nullo ſcire poteſt núntio. Non eſt in hóminis poteſtáte prohibére ſpíritum, nec habet poteſtátem in die mortis, nec sínitur quiéſcere, ingruénte bello : neque ſalvábit impíetas ímpium. Omnia hæc conſiderávi : & dedi cor meum in cunctis opéribus quæ fiunt ſub ſole. Intérdùm dominátur homo hómini in malum ſuum.

℟. *v.* Omnis pópulus vociferabátur clamóre magno, in laudándo Dóminum ; * Eò quòd fundátum eſſet templum Dómini. 1. *Eſdr.* 3. 11. ℣. Magnifica-

bátur nomen Dómini. *Act.* 19. 17. * Eò quòd.

LECTIO VI. *v.* 10. *ad* 14.

VIdi ímpios ſepúltos qui étiam cùm adhuc víverent, in loco ſancto erant, & laudabántur in civitáte quaſi juſtórum óperum: ſed hoc & vánitas eſt. Etenim quia non profértur citò contra malos ſenténtia, abſque timóre ullo fílii hóminum pérpetrant mala. Attamen peccátor ex eò quòd cénties facit malum, & per patiéntiam ſuſtentátur, ego cognóvi quòd erit bonum timéntibus Deum, qui veréntur fáciem ejus. Non ſit bonum ímpio, nec prolongéntur dies ejus: ſed quaſi umbra tránſeant qui non timent fáciem Dómini. Eſt & ália vánitas quæ fit ſuper terram: ſunt juſti quibus mala provéniunt, quaſi ópera égerint impiórum: & ſunt ímpii qui ità ſecúri ſunt, quaſi juſtórum facta hábeant. Sed & hoc vaníſſimum júdico.

℟. vj. Benedíctus Dóminus Deus patrum noſtrórum, * Qui dedit hoc in corde Regis, ut glorificáret domum Dómini, quæ eſt in Jeruſalem. 1. *Eſdr.* 7. 27. ℣. Gaudeámus, & exultémus, & demus glóriam ei. *Apoc.* 19. 7. * Qui. Glória. * Qui.

IN III. NOCTURNO.

Sermo ſancti Cyrílli Alexandríni Epíſcopi.

Lib. 2. Glaphyr. in Geneſ. Cap. 4.

LECTIO VII.

CYrus Cambýſis filius, Medórum ſimul & Persárum cópiis conjúnctis, bellum Aſsýriis finítimis ac vicínis íntulit. Demùm Babylóne ipsâ vi captâ, liberávit Judǽos, Aſſyriórum tyránnidem lamentántes, nec ſinè lácrymis accurréntes, affirmantéſque prædíctum eſſe à Deo per vocem ſanctórum, quòd ventúrus eſſet opportúnè, & adversários debellatúrus, atque ipſe liberáret è vínculis oppréſſos, quódque rursùm ædificáret templum in Jeroſólymis, quod Aſsýrii, ímpiè in Deum agéntes, incénderant. Porrò quòd nequáquàm hac in re mentíti ſint Iſraëlítæ, fácilè nobis conſtíterit, ſi ſanctórum Prophetárum ſcripta inquirámus. Ait enim ità Deus per vocem Iſaíæ: Hæc dicit Dóminus Deus chriſto meo Cyro, cujus apprehéndi déxteram, ut ſubjíciam ante eum gentes. Propter ſervum meum Jacob, & Iſraël eléctum meum, ego vocábo te nómine tuo, & ſuſcípiam te: tu autem non cognovíſti me. Audis quo pacto maniféſtè, Non cognovíſti me, ait, neque inter eos qui Deum norunt, collocáre dignátur, ádeò præclárum, quem ipſe & régibus ſuperiórem & innumerárum géntium dóminum conſtitúerat. Quæ

enim de ipſo dicúntur, typi erant óperum per Chriſtum edendórum.

℟. *vij.* Ego Dóminus, qui * Dico Cyro : Paſtor meus es, & omnem voluntátem meã complébis. *Iſ.* 44. 28. ℣. Deus vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. *Rom.* 4. 17. * Dico.

LECTIO VIII.

ET quidem Cyrus dominátus eſt innúmeris géntibus : atque omnis eum recépit cívitas. Accépit autem & theſaúros in ténebris laténtes, abſcónditos, & à ſéculo némini viſos, & diutúrnâ ſervitúte Iſraélem exémit. At regnávit per univérſam terram. Emmánuel, quem tanquam ómnium Salvatórem & Redemptórem tota cívitas ſuſcípiens commóta eſt : & totum genus humánum jam à ſervitúte ac tyránnide diabólica liberátum eſt, ipſique súbditum. Deſcéndens autem in inférnum, ábſtulit theſaúros tenebróſos, abſcónditos, inviſíbiles : portas æreas contrívit, & vectes férreos confrégit, iis qui in vínculis erant, dicens : Exíte ; & his qui in ténebris verſabántur : Revelámini. Idcírcò étiam olim ad patientíſſimum atque invíctum athlétam Job ità ait : Veníſti ad fontem maris, in veſtígiis autem abýſſi ambuláſti : apertǽque tibi ſunt timóre portæ mortis. Janitóres autem inférni vidéntes te, expavérunt. Légimus enim véluti per interrogatiónem hæc, demonſtránte nimírùm ſermóne ea quæ per Chriſtum in ipſis inférni penetrálibus præclárè geſta ſunt. Ideò enim Chriſtus mórtuus eſt & vixit, ut & mortuórum & vivéntium dominétur.

℟. *viij.* Hæc dicit Dóminus chriſto meo Cyro, cujus apprehéndi déxteram, * Ut ſubjíciam ante fáciem ejus gentes, & dorſa regum vertam. *Iſ.* 45. 1. ℣. Opórtet illum regnáre, donec ponat omnes inimícos ſub pédibus ejus. 1. *Cor.* 15. 25. * Ut ſubjíciam.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO IX. *c.* 4. *v.* 46. *ad* 53.

Filius Reguli.

ERat quidam Régulus, cujus fílius infirmabátur Caphárnaüm. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 28. *in Evang.* n. 1.

LEctio ſancti Evangélii quam modò, fratres, audíſtis, expoſitióne non índiget : ſed ne hanc táciti præteriíſſe videámur, exhortándo pótiùs quàm exponéndo, in ea áliquid loquámur. Hoc autem nobis ſolúmmodò de expoſitióne vídeo eſſe requiréndum, cur is qui ad ſalútem fílio petèndam vénerat, audívit : Niſì ſigna & prodígia vidéritis, non cré-

diis. Qui enim ſalútem quærébat filio, procul dúbio credébat: neque enim ab eo quǽreret ſalútem, quem non créderet Salvatórem. Quare ergo ei dícitur: Niſi ſigna & prodígia vidéritis, non créditis, qui antè crédidit, quàm ſignum vidéret? Sed mementóte quid pétiit: & apértè cognoſcétis, quia in fide dubitávit. Popóſcit namque ut deſcénderet, & ſanáret fílium ejus. Corporálem ergo præséntiam Dómini quærébat, qui per ſpíritum nuſquam déerat. Minùs ítaque in illum crédidit, quem non putávit poſſe ſalútem dare, niſi præſens eſſet & córpore. Si enim perféctè credidíſſet, procul dúbio ſciret, quia non eſſet locus ubi non eſſet Deus.

℟. *ix.* Deprecabátur Dóminum Deum Iſraël, dicens: * Dómine mi, qui Rex noſter es ſolus, ádjuva me. *Eſth.* 14. 3. ℣. Dixit ad Jeſum Régulus: Dómine, deſcénde, priúſquàm moriátur filius meus. *Joan.* 4. 49. * Dómine. Glória. * Dómine.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. E. Væ diſſolútis corde, qui non credunt Deo: & ídeò non protegéntur ab eo. *Eccli.* 2. 15.

Oratio.

Auge in nobis fidem, Dómine; ut corde perfécto in te credéntes, quod humíliter pétimus, efficáciter conſequámur; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. *a.* Cognóvit pater quia illa hora erat, in qua dixit ei Jeſus: Fílius tuus vivit; & crédidit ipſe & domus ejus tota. *Joan.* 4. 53.

FERIA SECUNDA.

De Libro primo Eſdræ.

Lectio I. *c.* 3. *v.* 8. *ad* 9.

Anno ſecúndo advéntûs filiórum Iſraël ad templum Dei in Jerúſalem, menſe ſecúndo, cœpérunt Zoróbabel fílius Saláthiel, & Jóſue fílius Jóſedec, & réliqui de frátribus eórum Sacerdótes, & Levítæ, & omnes qui vénerant de captivitáte in Jerúſalem, & conſtituérunt Levítas à vigínti annis & ſuprà, ut urgérent opus Dómini. Stetítque Jóſue & fílii ejus, & fratres ejus, Cédmihel & fílii ejus, & fílii Juda, quaſi vir unus, ut inſtárent ſuper eos qui faciébant opus in templo Dei: fílii Hénadad, & fílii eórum, & fratres eórum Levítæ.

℟. *j.* Eſdras aſcéndit, *p.* 258.

Lectio II. *v.* 10. *ad finem.*

Fundáto ígitur à cæmentáriis templo Dómini, ſtetérunt Sacerdótes in ornátu ſuo cum tubis: & Levítæ fílii Aſaph in cýmbalis, ut laudárent Deum, per manus David Regis Iſraël. Et concinébant in hymnis & confeſſióne Dómino: Quó-

niam bonus, quóniam in ætérnum miſericórdia ejus ſuper Iſraël. Omnis quoque pópulus vociferabátur clamóre magno, in laudándo Dóminum, eò quòd fundátũ eſſet templum Dómini. Plúrimi étiam de Sacerdótibus & Levítis, & príncipes patrum, & senióres, qui víderant templum prius cùm fundátum eſſet, & hoc templum in óculis eórum, flebant voce magnâ: & multi vociferántes in lætítia, elevábant vocem. Nec póterat quiſquam agnóſcere vocem clamóris lætántium, & vocem fletûs pópuli: commíxtim enim pópulus vociferabátur clamóre magno, & vox audiebátur procul.

℟. *ij.* Eſdras parávit, *p.* 259.

Lectio III. *c.* 4. *v.* 1. *ad* 5.

AUdiérunt autem hoſtes Judæ & Bénjamin, quia fílii captivitátis ædificárent templum Dómino Deo Iſraël: & accedéntes ad Zoróbabel, & ad príncipes patrum, dixérunt eis: Ædificémus vobíſcum, quia ità ut vos, quærimus Deum veſtrum: ecce nos immolávimus víctimas à diébus Aſor Haddan regis Aſſur, qui addúxit nos huc. Et dixit eis Zoróbabel, & Jóſue, & réliqui príncipes patrum Iſraël: Non eſt vobis & nobis ut ædificémus domum Deo noſtro: ſed nos *ipſi ſoli* ædificábimus Dómino Deo noſtro, ſicut præcépit nobis Cyrus rex Persárum. Factum eſt ígitur, ut pópulus terræ impedíret manus pópuli Judæ, & turbáret eos in ædificándo. Conduxérunt autem advérsùs eos conſiliatóres, ut deſtrúerent consílium eórum, ómnibus diébus Cyri regis Persárum, & uſque ad regnum Daríi regis Persárum.

℟. *iij.* Manus, *p.* 260.

FERIA TERTIA.

De Libro primo Eſdræ.

Lectio I. *c.* 5. *v.* 1. *ad* 5.

PRophetavérunt Aggæus Prophéta & Zacharías fílius Addo, prophetántes ad Judǽos qui erant in Judǽa & Jerúſalem, in nómine Dei Iſraël. Tunc ſurrexérunt Zoróbabel fílius Saláthiel, & Jóſue fílius Jóſedec, & cœpérunt ædificáre templum Dei in Jerúſalem, & cum eis Prophétæ Dei adjuvántes eos. In ipſo autem témpore, venit ad eos Thathánaï, qui erat dux trans Flumen, & Stharbuzánaï, & conſiliárii eórum, ſicque dixérunt eis: Quis dedit vobis consílium ut domum hanc ædificarétis, & muros ejus inſtaurarétis? Ad quod reſpóndimus eis, quæ eſſent nómina hóminum autórum ædificatiónis illíus. Oculus autem Dei eórum factus eſt ſuper ſenes Judæórum, & non potuérunt inhibére eos. Placuítque ut res ad Daríum referrétur,

rétur, & tunc ſatisfácerent advérsùs accuſatiónem illam.

℟. *j.* Conſtituérunt Levitas, *p.* 260.

Lectio II. *c.* 6. *v.* 1. *ad* 5.

Tunc Dárius rex præcépit: & recenſuérunt in bibliothéca librórum qui erant repóſiti in Babylóne, & invéntum eſt in Ecbátanis, quod eſt caſtrum in Medéna província, volúmen unum, taliſque ſcriptus erat in eo commentárius: Anno primo Cyri regis, Cyrus rex decrévit ut domus Dei ædificarétur, quæ eſt in Jerúſalem, in loco ubi ímmolent hóſtias, & ut ponant fundaménta ſupportántia altitúdinem cubitórum ſexagínta, & latitúdinem cubitórum ſexagínta, órdines de lapídibus impolítis tres, & ſic órdines de lignis novis: ſumptus autem de domo Regis dabúntur. Sed & vaſa templi Dei áurea & argéntea, quæ Nabuchodónoſor túlerat de templo Jerúſalem, & attúlerat ea in Babylónem, reddántur, & referántur in templum in Jerúſalem in locum ſuum, quæ & póſita ſunt in templo Dei.

℟. *ij.* Omnis pópulus, *p.* 260.

Lectio III. *v.* 6. *ad* 12.

Nunc ergo, Thathánai dux regiónis quæ eſt trans Flumen, Stharbuzánaï, *& conſiliárii veſtri Apharſachæi, qui eſtis trans* Flumen, procul recédite ab illis, & dimíttite fieri templum Dei illud à duce Judæórum, & à senióribus eórum, ut domum Dei illam ædíficent in loco ſuo. Sed & à me præcéptum eſt, quid opórteat fieri à presbýteris Judæórum illis, ut ædificétur domus Dei, ſcílicet, ut de arca Regis, id eſt, de tribútis quæ dantur de regióne trans Flumen, ſtudióſè ſumptus dentur viris illis, ne impediátur opus. Quòd ſi necéſſe fúerit, & vítulos, & agnos, & hædos in holocaúſtum Deo cœli, fruméntum, ſal, vinum & óleum, ſecúndùm ritum Sacerdótum qui ſunt in Jerúſalem, detur eis per ſíngulos dies, ne ſit in áliquo querimónia. Et ófferant oblatiónes Deo cœli, oréntque pro vita Regis & filiórum ejus. A me ergo póſitum eſt decrétum: Ut omnis homo qui hanc mutáverit juſſiónem, tollátur lignum de domo ipsíus, & erigátur, & configátur in eo, domus autem ejus publicétur. Deus autem qui habitáre fecit nomen ſuum ibi, díſſipet ómnia regna, & pópulum qui exténderit manum ſuam ut repúgnet, & díſſipet domum Dei illam, quæ eſt in Jerúſalem. Ego Daríus ſtátui decrétum, quod ſtudióſè impléri volo.

℟. *iij.* Benedictus, *p.* 261.

FERIA QUARTA.

De Libro primo Eſdræ.

LECTIO I. *c.* 6. *v.* 14. *ad* 18.

SEnióres Judæórum ædificábant & proſperabántur, juxta prophetíam Aggǽi Prophétæ, & Zacharíæ fílii Addo: & ædificavérunt & conſtruxérunt, jubénte Deo Iſraël, & jubénte Cyro, & Darío, & Artaxérxe, régibus Perſárum: & complevérunt domum Dei iſtam uſque ad diem tértium menſis Adar, qui eſt annus ſextus regni Daríi regis. Fecérunt autem fílii Iſraël, Sacerdótes & Levítæ, & réliqui filiórum transmigratiónis, dedicatiónem domûs Dei in gaúdio. Et obtulérunt in dedicatiónem domûs Dei, vítulos centum, aríetes ducéntos, agnos quadringéntos, hircos caprárum pro peccáto totíus Iſraël duódecim, juxta númerum tríbuum Iſraël. Et ſtatuérunt Sacerdótes in ordínibus ſuis, & Levítas in vícibus ſuis, ſuper ópera Dei in Jerúſalem, ſicut ſcriptum eſt in Libro Móyſi.

℟. *j.* Ego, *p.* 262.

LECTIO II. *v.* 19. *ad fin.*

FEcérunt autem fílii Iſraël transmigratiónis, Paſcha, quartâdécimâ die menſis primi. Purificáti enim fúerant Sacerdótes & Levítæ quaſi unus, omnes mundi ad immolándum Paſcha univérſis fíliis transmigratiónis, & frátribus ſuis Sacerdótibus, & ſibi. Et comedérunt fílii Iſraël, qui revérſi fúerant de transmigratióne, & omnes qui ſe ſeparáverant à coinquinatióne Géntium terræ ad eos, ut quǽrerent Dóminum Deum Iſraël. Et fecérunt Solemnitátem Azymórum ſeptem diébus in lætítia, quóniam lætificáverat eos Dóminus, & convérterat cor regis Aſſur ad eos, ut adjuváret manus eórum in ópere domûs Dómini Dei Iſraël.

℟. *ij.* Hæc dicit Dóminus, *p.* 262.

LECTIO III. *c.* 7. *v.* 6. *ad* 10.

IPſe Eſdras aſcéndit de Babylóne, & ipſe ſcriba velox in Lege Móyſi, quam Dóminus Deus dedit Iſraël: & dedit ei Rex, ſecúndùm manum Dómini Dei ejus ſuper eum, omnem petitiónem ejus. Et aſcendérunt de fíliis Iſraël, & de fíliis Sacerdótum, & de fíliis Levitárum, & de Cantóribus, & de Janitóribus, & de Nathinǽis, in Jerúſalem, anno ſéptimo Artaxérxis regis. Et venérunt in Jerúſalem menſe quinto, ipſe eſt annus ſéptimus Regis. Quia in primo die menſis primi cœpit aſcéndere de Babylóne, & in primo die menſis quinti venit in Jerúſalem, juxta manum Dei ſui bonam ſuper ſe. Eſdras enim parávit cor ſuum, ut inveſtigáret Legem Dómini, & fáceret, & docéret in Iſraël præcéptum & judícium.

℟. *iij.* Ego confortátus manu Dómini Dei mei, quæ erat in me, * Congregávi de Iſraël Príncipes qui aſcénderent mecum. 1. *Eſdr.* 7. 28. ℣. Aſcéndi adoráre in Jerúſalem. *Act.* 24. 11. * Congregávi. Glória. * Congregávi.

FERIA QUINTA.

De Libro primo Eſdræ.

LECTIO I. *c.* 7. *v.* 11. *ad* 18.

HOc eſt exémplar Epíſtolæ edícti quod dedit rex Artaxérxes Eſdræ Sacerdóti, ſcribæ erudíto in ſermónibus, & præcéptis Dómini, & cæremóniis ejus in Iſraël. Artaxérxes Rex regum, Eſdræ Sacerdóti, ſcribæ Legis Dei cœli doctíſſimo, ſalútem. A me decrétum eſt, ut cuicúmque placúerit in regno meo de pópulo Iſraël, & de Sacerdótibus ejus, & de Levítis, ire in Jerúſalem, tecum vadat. A fácie enim Regis & ſeptem conſiliatórum ejus, miſſus es, ut víſites Judǽam & Jerúſalem in Lege Dei tui, quæ eſt in manu tua: & ut feras argéntum & aurum quod Rex & conſiliatóres ejus ſpontè obtulérunt Deo Iſraël, cujus in Jerúſalem tabernáculum eſt. Et omne argéntum & aurum quodcúmque invéneris in univérſa província Babylónis, & pópulus offérre volúerit, & de Sacerdótibus quæ ſpontè *obtúlerint dómui Dei ſui, quæ eſt in Jerúſalem, líberè áccipe,* & ſtudióſè eme de hac pecúnia vítulos, aríetes, agnos, & ſacrifícia, & libámina eórum: & offer ea ſuper altáre templi Dei veſtri, quod eſt in Jerúſalem. Sed & ſi quid tibi & frátribus tuis placúerit, de réliquo argénto & auro ut faciátis, juxta voluntátem Dei veſtri fácite.

℟. *j.* Eſdras aſcéndit, *p.* 258.

LECTIO II. *v.* 19. *ad* 23.

VAſa quoque quæ dantur tibi in miniſtérium domûs Dei tui, trade in conſpéctu Dei in Jerúſalem. Sed & cœtera quibus opus fúerit in domum Dei tui, quantumcúmque necéſſe eſt ut expéndas, dábitur de theſauro, & de fiſco Regis, & à me. Ego Artaxérxes rex, ſtátui atque decrévi ómnibus cuſtódibus arcæ públicæ, qui ſunt trans Flumen, ut quodcúmque petíerit à vobis Eſdras Sacérdos, ſcriba Legis Dei cœli, abſque mora detis, uſque ad argénti talénta centum, & uſque ad fruménti coros centum, & uſque ad vini batos centum, & uſque ad batos ólei centum, ſal verò abſque menſúra. Omne quod ad ritum Dei cœli pértinet, tribuátur diligénter in domo Dei cœli: ne fortè iraſcátur contra regnum Regis, & filiórum ejus.

℟. *ij.* Eſdras parávit, p. 259.

Lectio III. *v.* 24. *ad* 28.

VObis quoque notum fácimus, de univérſis Sacerdótibus, & Levítis, & Cantóribus, & Janitóribus, Nathinǽis, & miníſtris domûs Dei hujus, ut vectígal, & tribútum, & annónas non habeátis poteſtátem imponéndi ſuper eos. Tu autem, Eſdra, ſecúndùm ſapiéntiam Dei tui, quæ eſt in manu tua, conſtitue Júdices & Prǽſides, ut júdicent omni pópulo qui eſt trans Flumen, his vidélicet qui novérunt Legem Dei tui : ſed & imperítos docéte líberè. Et omnis qui non fécerit Legem Dei tui, & legem Regis diligénter, judícium erit de eo, ſive in mortem, ſive in exílium, ſive in condemnatiónem ſubſtántiæ ejus, vel certè in cárcerem. Benedíctus Dóminus Deus patrum noſtrórum, qui dedit hoc in corde Regis, ut glorificáret domum Dómini, quæ eſt in Jerúſalem, & in me inclinávit miſericórdiam ſuam coram Rege & conſiliatóribus ejus, & univérſis princípibus Regis poténtibus.

℞. *iij.* Manus, *p.* 260.

FERIA SEXTA.

De Libro primo Eſdræ.

Lectio I. *c.* 8. *v.* 31 *ad fin.*

PRomóvimus à flúmine Ahava, duodécimo die menſis primi, ut pergerémus Jerúſalem : & manus Dei *noſtri* fuit ſuper nos, & *liberávit nos* de manu inimíci & inſidiatóris in via. Et vénimus Jerúſalem, & manſimus ibi tribus diébus. Die autem quartâ, appénſum eſt argéntum, & aurum, & vaſa in domo Dei noſtri per manum Méremoth filii Uríæ Sacerdótis, & cum eo Eleázar filius Phínees, cúmque eis Józabed filius Jóſue, & Noadáia filius Bénnoï Levítæ, juxta número & póndus ómnium : deſcriptúmque eſt omne pondus in témpore illo. Sed & qui vénerant de captivitáte filii tranſmigratiónis, obtulérunt holocautómata Deo Iſraël, vítulos duódecim pro omni pópulo Iſraël, aríetes nonagínta ſex, agnos ſeptuagínta ſeptem, hircos pro peccáto duódecim, ómnia in holocáuſtum Dómino. Dedérunt autem edícta Regis Sátrapis qui erant de conſpéctu Regis, & dúcibus trans Flumen, & elevavérunt pópulum & domum Dei.

℞. *j.* Conſtituérunt, *p.* 260.

Lectio II. *c.* 9. *v.* 4. *ad* 7.

COnvenérunt autem ad me omnes qui timébant verbum Dei Iſraël, pro tranſgreſſióne eórum qui de captivitáte vénerant : & ego ſedébam triſtis uſque ad ſacrifícium veſpertínum. Et in ſacrifício veſpertíno ſurréxi de afflictióne mea, & ſciſſo pállio & túnicâ, curvávi génua mea, & expándi manus meas ad Dó-

mihum Deum meum, & dixi: Deus meus, confúndor & erubéſco leváre fáciem meam ad te: quóniam iniquitátes noſtræ multiplicátæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delícta noſtra crevérunt uſque ad cœlum, à diébus patrum noſtrórum. Sed & nos ipſi peccávimus gráviter uſque ad diem hanc: & in iniquitátibus noſtris tráditi ſumus ipſi, & Reges noſtri, & Sacerdótes noſtri, in manum regum terrárum, & in gládium, & in captivitátem, & in rapínam, & in confuſiónem vultûs, ſicut & die hâc.

℟. *ij.* Omnis, *p.* 260.

LECTIO III. *v.* 13. *ad finem.*

ET poſt ómnia quæ venérunt ſuper nos, in opéribus noſtris péſſimis, & in delícto noſtro magno, quia tu, Deus noſter, liberáſti nos de iniquitáte noſtra, & dedíſti nobis ſalútem ſicut eſt hódie, ut non converterémur, & írrita facerémus mandáta tua, neque matrimónia jungerémus cum pópulis abominatiónum iſtárum. Nunquid irátus es nobis uſque ad conſummatiónem, ne dimítteres nobis relíquias ad ſalútem? Dómine Deus Iſraël, juſtus es tu: quóniam derelícti ſumus, qui ſalvarémur ſicut die hâc. Ecce coram te ſumus in delícto noſtro: non enim ſtari poteſt coram te ſuper hoc.

℟. *iij.* Benedíctus, *p.* 261.

SABBATO.

De Libro primo Eſdræ.

LECTIO I. *c.* 10. *v.* 1. *ad* 5.

SIc ergo oránte Eſdrâ, & imploránte eo, & flente, & jacénte ante templum Dei, collectus eſt ad eum de Iſraël cœtus grandis nimis virórum, & mulíerum, & puerórum: & flevit pópulus fletu multo. Et reſpóndit Sechenías filius Jéhiel de filiis Ælam, & dixit Eſdræ: Nos prævaricáti ſumus in Deum noſtrum, & dúximus uxóres alienígenas de pópulis terræ: & nunc, ſi eſt pœniténtia in Iſraël ſuper hoc, percutiámus fœdus cum Dómino Deo noſtro, ut projiciámus univérſas uxóres & eos qui de his nati ſunt, juxta voluntátem Dómini, & eórum qui timent præcéptum Dómini Dei noſtri, ſecúndùm Legem fiat. Surge, tuum eſt decérnere, nóſque érimus tecum: confortáre, & fac. Surréxit ergo Eſdras, & adjurávit príncipes Sacerdótum & Levitárũ, & omnem Iſraël, ut fácerent ſecúndùm verbum hoc: & juravérunt.

Si fiat de Sabbato, duo priora ℟℟. è III. Nocturno Dom. præced.

LECTIO II. *v.* 6. *ad* 9.

ET ſurréxit Eſdras ante domum Dei, & ábiit ad cubículum Jóhanan filii Eliaſib, & ingréſſus eſt

illuc, panem non comédit, & aquam non bibit: lugébat enim tranſgreſſiónem eórum qui vénerant de captivitáte. Et miſſa eſt vox in Juda & in Jerúſalem, ómnibus filiis tranſmigratiónis, ut congregaréntur in Jerúſalem: & omnis qui non vénerit in tribus diébus, juxta consílium príncipum & ſeniórum, auferétur univérſa ſubſtántia ejus, & ipſe abjiciétur de cœtu tranſmigratiónis. Convenérunt ígitur omnes viri Juda & Bénjamin in Jerúſalem, tribus diébus, ipſe eſt menſis nonus, vigéſimo die menſis: & ſedit omnis pópulus in platéa domûs Dei, treméntes pro peccáto, & plúviis.

LECTIO III. *v.* 10. *ad* 12.

ET ſurréxit Eſdras Sacérdos, & dixit ad eos: Vos tranſgréſſi eſtis, & duxíſtis uxóres alienígenas, ut adderétis ſuper delíctum Iſraël. Et nunc date confeſſiónem Dómino Deo patrum veſtrórum, & fácite plácitum ejus, & ſeparámini à pópulis terræ, & ab uxóribus alienígenis. Et reſpóndit univérſa multitúdo, dixítque voce magnâ: Juxta verbum tuum ad nos, ſic fiat.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. *D.* Deus cœli ipſe nos juvat; & nos ſervi ejus ſumus: ſurgámus & ædificémus. 2. *Eſdr.* 2. 20.

Oratio, Ut ſequámur, *infrà, ad Laudes*, *p.* 274.

DOMINICA XX
POST PENTECOST
IN I. NOCTUR

Incipit liber Nehemíæ
& Eſdræ ſecúndu
dícitur.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 1.

VErba Nehemíæ
Helchíæ. Et factu
in menſe Cáſleu, an
géſimo, & ego eram i
ſis caſtro. Et venit H
unus de frátribus mei
ſe & viri ex Juda: & i
rogávi eos de Judǽi
remánſerant & ſupér
de captivitáte, & Jerú
Et dixérunt mihi: Q
manſérunt, & relícti
de captivitáte ibi in pr
cia, in afflictióne m
ſunt, & in oppróbri
murus Jerúſalem diſſi
eſt, & portæ ejus comb
ſunt igni. Cúmque aud
verba hujuſcémodi,
& flevi, & luxi diébus
tis: jejunábam & or
ante fáciem Dei cœli.

℟. j. Quare non m
vultus meus, * Quia
tas domûs ſepulcróru
tris mei desérta eſt, &
tæ ejus combúſtæ ſunt
2. *Eſdr.* 2. 3. ℣. Tr
mihi magna eſt, &
nuus dolor cordi meo
9. 2. * Quia.

LECTIO II. *v.* 5.

ET dixi: Quæſo,
mine, Deus cœli f
magne atque terríbilis
cuſtódis pactum & m
córdiam cum his qui
gunt & cuſtódiunt m

ta tua, fiant aures tuæ auſcultántes, & óculi tui apérti, ut aúdias oratiónem ſervi tui, quam ego oro coram te hódie, nocte & die, pro fíliis Iſraël ſervis tuis: & confiteor pro peccátis filiórum Iſraël, quibus peccavérunt tibi. Ego & domus patris mei peccávimus, vanitáte seducti ſumus, & non cuſtodívimus mandátum tuum, & cæremónias, & judícia, quæ præcepíſti Móyſi fámulo tuo.

℟. ij. Jerúſalem desérta eſt, & portæ ejus consúmptæ ſunt igni: * Veníte, & ædificémus muros Jerúſalem, & non ſimus ultrà oppróbrium. 2. *Eſdr.* 2. 17. ℣. Ego ad æmulatiónem vos addúcam. *Rom.* 10. 19. * Veníte.

Lectio III. *v.* 8. *ad finem.*

Meménto, Dómine, verbi quod mandáſti Móyſi ſervo tuo, dicens: Cùm tranſgréſſi fuéritis, ego diſpérgam vos in pópulos: & ſi revertámini ad me, & cuſtodiátis præcépta mea, & faciátis ea, etiámſi abdúcti fuéritis ad extréma cœli, inde congregábo vos, & redúcam in locum quem elégi, ut habitáret nomen meum ibi. Et ipſi ſervi tui, & pópulus tuus, quos redemíſti in fortitúdine tua magna, & in manu tua válida. Obſecro, Dómine, ſit auris tua atténdens ad oratiónem ſervi tui, & ad oratiónem ſervórum tuórum qui volunt timére nomen tuum: & dirige ſervum tuum hódie, & da ei miſericórdiam ante virum hunc: ego enim eram Pincérna Regis.

℟. iij. Ædificávimus murum, & conjúnximus totum uſque ad partem dimídiam: * Et provocátum eſt cor pópuli ad operándum. 2. *Eſdr.* 4. 6. ℣. In his ómnibus ſuperámus propter eum qui diléxit nos. *Rom.* 8. 37. * Et. Glória. * Et.

IN II. NOCTURNO.

De Libro Sapiéntiæ.

Lectio IV. *c.* 12. *v.* 18. *ad* 21.

Tu, Dominátor virtútis, cum tranquillitáte júdicas, & cum magna reveréntia diſpónis nos: ſubeſt enim tibi, cùm volúeris, poſſe. Docuíſti autem pópulum tuum per tália ópera, quóniam opórtet juſtum eſſe & humánum, & bonæ ſpei fecíſti fílios tuos: quóniam júdicans das locum in peccátis pœniténtiæ. Si enim inimícos ſervórum tuórum, & débitos morti, cum tanta cruciáſti attentióne, dans tempus & locum per quæ poſſent mutári à malítia; cum quanta diligéntia judicáſti fílios tuos, quorum paréntibus juraménta & conventiónes dedíſti bonárum promiſſiónum!

℟. iv. Ædificántium in muro, & portántium ónera, & imponéntium, * Unâ manu ſuâ faciébat opus, & álterâ tenébat gládium. 2. Eſdr. 4. 17. ℣.

Unuſquíſque in ſuo órdine. 1. *Cor.* 15. 23. * Unâ.

LECTIO V. *v.* 22. *ad finem.*

CUm ergo das nobis diſciplínam, inimícos noſtros multipliciter flagéllas, ut bonitátem tuam cogitémus judicántes: & cùm de nobis judicátur, ſperémus miſericórdiam tuam. Unde & illis qui in vita ſua inſensátè & injúſtè vixérunt, per hæc quæ coluérunt, dedíſti ſumma torménta. Etenim in erróris via diútiùs erravérunt, deos æſtimántes hæc quæ in animálibus ſunt ſupervácua, infántium inſenſatórum more vivéntes. Propter hoc, tanquam púeris inſensátis, judícium in deríſum dedíſti. Qui autem ludíbriis & increpatiónibus non ſunt corrécti, dignum Dei judícium expérti ſunt. In quibus enim patiéntes indignabántur, per hæc quos putábant deos, in ipſis cùm extermináréntur vidéntes illum quẽ olim negábant ſe noſſe, verum Deum agnovérunt: propter quòd & finis condemnatiónis eórum venit ſuper illos.

℟. *v.* Nos ipſi faciámus opus; & * Média pars noſtrûm téneat lánceas, ab aſcénſu auróræ, donec egrediántur aſtra. 2. *Eſdr.* 4. 21. ℣. De tantis perículis *nos erípuit & éruit* Deus, *in quem ſperámus* quóniam *& adhuc erípiet.* 2. *Cor.* 1. 10. * *Média.*

De Libro Eccleſiáſtici.

LECTIO VI. *c.* 49. *v.* 13. *ad* 16.

QUómodo amplificémus Zoróbabel? Nam & ipſe quaſi ſignum in déxtera manu. Sic & Jeſum fílium Jóſedech? Qui in diébus ſuis ædificavérunt domum, & exaltavérunt templum ſanctum Dómino, parátum in glóriam ſempitérnam. Et Nehemías in memória multi témporis, qui eréxit nobis muros evérſos, & ſtare fecit portas & ſeras, qui eréxit domos noſtras.

℟. *vj.* Benedíxit Eſdras Dómino Deo magno, * Et reſpóndit omnis pópulus: Amen, amen. 2. *Eſdr.* 8. 6. ℣. Idem ſápite, pacem habéte; & Deus pacis & dilectiónis erit vobíſcum. 2. *Cor.* 13. 11. * Et reſpóndit. Glória. * Et reſpóndit.

IN III. NOCTURNO.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Pſal. 64. n. 1.

LECTIO VII.

FActum eſt, complétis ſeptuagínta annis, reſtitútum eſt templum quod dejéctum erat. Sed quóniam dicit Apóſtolus: Hæc in figúra contingébant illis, ſcripta ſunt autem propter nos, in quos finis ſeculórum obvénit, debémus & nos noſſe priùs captivitátem noſtram, deinde liberatiónem noſtram: debémus noſſe Babylóniam in qua captívi ſumus, & Jeruſalem

ad cujus réditum ſuſpirámus. Iſtæ quippe duæ civitátes, ſecúndum litteram revérà duæ civitátes. Et illa quidem Jeruſalem modò à Judæis non incólitur. Poſt crucifixúm enim Dóminũ, vindicátum eſt in illos flagéllo magno : & eradicáti ab eo loco, ubi ímpiâ libertáte furióſi, advérsùs Médicum inſanierant, diſpérſi ſunt per omnes gentes, & data eſt illa terra Chriſtiánis : impletúmque eſt quod eis dixerat Dóminus : Proptérea auferétur à vobis regnum, & dábitur genti faciénti juſtítiam. Cùm autem vidérent tunc multas turbas ire poſt Dóminum prædicántem regnum cœlórum, & mirabília faciéntem, dixérunt príncipes illius civitátis : Si dimiſérimus eum, omnes ibunt poſt illum : & vénient Románi, & tollent nobis, & locum, & gentem. Ne locum pérderent, Dóminum occidérunt : & ideò perdidérunt, quia occidérunt.

℟. vij. Dies ſanctificátus eſt Dómino Deo noſtro ; * Nolíte lugére, & nolíte flere. 2. *Eſdr.* 8. 9. ℣. Gaudéte in Dómino ſemper ; iterùm dico, Gaudéte. *Philip.* 4. 4. * Nolíte.

Lectio VIII. n. 1. 2.

Civitas ergo illa terréna cujúſdam civitátis ætérnæ in *cœlis umbram gerébat : at ubi cœpit illa quæ ſignificabátur*, evidéntiùs prædicári, umbra quâ ſignificabátur, dejécta eſt : proptéreà ibi modò templum non eſt, quod fabricátum fúerat in imáginem futúri córporis Dómini. Tenémus lucem, umbra tranſívit, tamen adhuc in quadam captivitáte ſumus : Quándiu ſumus, inquit, in córpore, peregrinámur à Dómino. Et vidéte nómina duárum iſtárum civitátum, Babylónis & Jeruſalem. Bábylon, Confúſio intérpretátur ; Jerúſalem, Vîſio pacis. Inténdite nunc civitátem Confuſiónis, ut intelligátis Viſiónem pacis : iſtam toleréris, ad illam ſuſpirétis.

℟. viij. Recordáre, Dómine, advérsùm eos * Qui pólluunt Sacerdótium juſque Sacerdotále & Levíticum. 2. *Eſdr.* 13. 29. ℣. Revelátur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietátem & injuſtítiam hóminum. *Rom.* 1. 18. * Qui.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio IX. *c.* 18. *v.* 23. *ad fin.*

Rex debitum dimittens.

Dicit Jeſus Petro : Aſſimilátum eſt regnum cœlórum hómini Regi, qui vóluit ratiónem pónere cum ſervis ſuis. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. 3. *in Matt. Cap.* 18.

Familiáre eſt Syris, & máximè Palæſtínis, ad omnem ſermónem ſuum

parábolas júngere : ut quod per ſimplex præcéptum tenéri ab auditóribus non poteſt, per ſimilitúdinem exémplaque teneátur. Præcépit ítaque Dóminus Petro, ſub comparatióne Regis & dómini, & ſervi qui débitor decem míllium talentórum, à dómino rogans véniam impetráverat, ut ipſe quoque dimíttat conſérvis ſuis minóra peccántibus. Si enim ille Rex & dóminus ſervo debitóri decem míllia talentórum tam fácilè dimíſit, quantò magis ſervi conſérvis ſuis debent minóra dimíttere! Quod ut maniféſtius fiat, dicámus ſub exémplo. Si quis noſtrûm commíſerit adultérium, homicídium, ſacrilégium, majóra crímina; decem míllium talentórum rogántibus dimittúntur, ſi & ipſi dimíttant minóra peccántibus. Sin autem ob factam contuméliam, ſimus implacábiles, & propter amárius verbum, pérpetes habeámus diſcórdias; nónne nobis vidémur rectè redigéndi in cárcerem, & ſub exémplo óperis noſtri hoc ágere, ut majórum nobis delictórum vénia non relaxétur?

℟. *ix.* Merces mercenárii tui apud te omninò non remáneat. * Quod ab álio ódetis fíeri tibi, vide ne tu áliquándo álteri fácias. *Tob. 4. 15. 16.* ℣. *Misértus dóminus ſervi illíus,* dimíſit eum, & débitum [illegible] ei. *Matt.* 18. 27. * [illegible] Glória. * Quod.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *An*[illegible] Qui vindicári vult, [illegible] mino invéniet vindi[illegible] & peccáta illíus ſerva[illegible] vábit. *Eccli.* 28. 1.

Oratio.

UT ſequámur ve[illegible] Fílii tui, qui [illegible] malediceretur, non [illegible] dicébat, da nobis, [illegible] cum iis étiam qui o[illegible] pacem, eſſe pacíficos, [illegible] tribus débita eórum [illegible] tere, ut noſtra nobis [illegible] dimíttas; Per eu[illegible] Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* Irátus dóminus ſervi, [illegible] dit eum tortóribus, q[illegible] úſque rédderet univ[illegible] débitum. *Matt.* 18. [illegible]

FERIA SECU[illegible]

De Libro ſecúndo E[illegible]

LECTIO I. *c.* 2. *v.* 1.

FActum eſt in menſ[illegible] ſan, anno vigéſim[illegible] taxérxis Regis: & v[illegible] erat ante eum, & [illegible] vinum, & dedi Reg[illegible] eram quaſi languidus [illegible] fáciem ejus. Dixítque [illegible] Rex: Quare vultus [illegible] triſtis eſt, cùm te ægr[illegible] non vídeam? Non e[illegible] fruſtrà: ſed malum [illegible] quod in corde tuo e[illegible] timui valde ac nimis: [illegible] xi Regi: Rex, in [illegible] num vive. Quare non [illegible] reat vultus meus, qu[illegible] vitas domûs ſepulc[illegible]

patris mei desérta eſt, & portæ ejus combúſtæ ſunt igni? Et ait mihi Rex: Pro qua re póſtulas? Et orávi Deum cœli, & dixi ad Regem: Si vidétur Regi bonum, & ſi placet ſervus tuus ante fáciem tuam, ut mittas me in Judǽam ad civitátem ſepúlcri patris mei, & ædificábo eam.

℞. *j.* Quare, *p.* 270.

LECTIO II. *v. 6. ad 8.*

DIxítque mihi Rex, & Regína quæ ſedébat juxta eum: Uſque ad quod tempus erit iter tuum, & quando revertéris? Et plácuit ante vultum Regis, & miſit me: & conſtítui ei tempus. Et dixi Regi: Si Regi vidétur bonum, epiſtolas det mihi ad duces regiónis trans Flumen, ut tradúcant me, donec véniam in Judǽam, & epíſtolam ad Aſaph cuſtódem ſaltûs Regis, ut det mihi ligna, ut tégere poſſim portas turris domûs, & muros civitátis, & domum quam ingréſſus fúero. Et dedit mihi Rex, juxta manum Dei mei bonam mecum.

℞. *ij.* Jerúſalem, *p.* 271.

LECTIO III. *v. 9. ad 12.*

ET veni ad duces regiónis trans Flumen, dedíque eis epíſtolas Regis. Míſerat autem Rex mecum príncipes mílitum, & équites. Et audiérunt Sanabállat Horonítes, & Tobías ſervus Ammanítes: & contriſtáti ſunt afflictióne magnâ, quod veníſſet homo qui quǽreret proſperitátem filiórum Iſraël. Et veni Jerúſalem, & eram ibi tribus diébus: & ſurréxi nocte ego, & viri pauci mecum: & non indicávi cuiquam quid Deus dediſſet in corde meo ut fácerem in Jerúſalem: & juméntum non erat mecum, niſi ánimal cui ſedébam.

℞. *iij.* Ædificávimus, *p.* 271.

FERIA TERTIA.

De Libro ſecúndo Eſdræ.

LECTIO I. *c.* 2. *v.* 13. *ad* 16.

EGréſſus ſum per portam vallis, nocte, & ante fontem dracónis, & ad portam ſtércoris, & conſiderábam murum Jerúſalem diſſipátum, & portas ejus conſúmptas igni. Et tranſívi ad portam fontis, & ad aquædúctum Regis, & non erat locus juménto cui ſedébam, ut tranſíret. Et aſcéndi per torréntem nocte, & conſiderábam murum, & revérſus veni ad portam vallis, & rédii. Magiſtrátus autem neſciébant quò abíiſſem, aut quid ego fácerem: ſed & Judǽis, & Sacerdótibus, & Optimátibus, & Magiſtrátibus, & réliquis qui faciébant opus, uſque ad id loci, nihil indicáveram.

℞. *j.* Ædificántium, *p.* 271.

LECTIO II. *v.* 17. *ad finem.*

ET dixi eis: Vos noſtis afflictiónem in qua ſumus; quia Jeruſalem deſérta

eſt, & portæ ejus consúmptæ ſunt igni: veníte, & ædificémus muros Jerúſalem, & non ſimus ultrà oppróbrium. Et indicávi eis manum Dei mei, quòd eſſet bona mecum, & verba Regis quæ locútus eſſet mihi, & áio: Surgámus, & ædificémus. Et confortátæ ſunt manus eórum in bono. Audiérunt autem, Sanabállat Horonítes, & Tobías ſervus Ammanítes, & Göſem Arabs, & ſubſannavérunt nos, & deſpexérunt, dixerúntque: Quæ eſt hæc res quam fácitis? Nunquid contra Regem vos rebellátis? Et réddidi eis ſermónem, dixíque ad eos: Deus cœli ipſe nos juvat, & nos ſervi ejus ſumus: ſurgámus & ædificémus: vobis autem non eſt pars, & juſtítia, & memória in Jerúſalem.

℟. *ij.* Nos ipſi, *p.* 272.

Lectio III. *c.* 5. *v.* 1. *ad* 4.

Factum eſt autem, cùm audíſſet Sanabállat quòd ædificarémus murum, irátus eſt valde: & motus nimis, ſubſannávit Judæos, & dixit coram frátribus ſuis & frequéntia Samaritanórum: Quid Judæi fáciunt imbecílles? Nùm dimíttent eos Gentes? Nùm ſacrificábunt, & complébunt in una die? Nunquid ædificáre póterunt lápides de acérvis púlveris, qui combúſti ſunt? Sed & *Tobías* Ammanítes próximus ejus, ait: Ædíficent: ſi aſcénderit vulpes, transíliet murum eórum lapídeum. Audi, Deus noſter, quia facti ſumus deſpéctui: convérte oppróbrium ſuper caput eórum, & da eos in deſpectiónem in terra captivitátis. Ne opérias iniquitátem eórum, & peccátum eórum coram fácie tua non deleátur: quia irriſérunt ædificántes.

℟. *iij.* Benedixit, *p.* 271.

FERIA QUARTA.

De Libro ſecúndo Eſdræ.

Lectio I. *c.* 4. *v.* 6. *ad* 11.

Ædificávimus murum, & conjúnximus totum uſque ad partem dimídiam: & provocátum eſt cor pópuli ad operándum. Factum eſt autem, cùm audíſſet Sanabállat, & Tobías, & Arabes, & Ammonítæ, & Azótii, quòd obdúcta eſſet cicátrix muri Jerúſalem, & quòd cœpíſſent interrúpta conclúdi, iráti ſunt nimis. Et congregáti ſunt omnes páriter, ut venírent, & pugnárent contra Jerúſalem, & moliréntur insídias. Et orávimus Deum noſtrũ, & posúimus cuſtódes ſuper murum die ac nocte contra eos. Dixit autem Judas: Debilitáta eſt fortitúdo portántis, & humus nímia eſt, & nos non potérimus ædificáre murum. Et dixérunt hoſtes noſtri: Néſciant, & ignórent, donec veniámus in médium eórum, & interficiámus eos, & ceſsáre faciámus opus.

℟. *j.* Dies, *p.* 273.

LECTIO II. *v.* 12. *ad* 18.

FActum eſt autem veniéntibus Judǽis, qui habitábant juxta eos, & dicéntibus nobis per decem vices, ex ómnibus locis quibus vénerant ad nos, ſtátui in loco poſt murum per circúitum pópulum in órdinem cum gládiis ſuis, & lánceis, & árcubus. Et perſpéxi atque ſurréxi: & áio ad Optimátes & Magiſtrátus, & ad réliquam partem vulgi: Nolíte timére à fácie eórum. Dómini magni & terríbilis mementóte, & pugnáte pro frátribus veſtris, filiis veſtris, & filiábus veſtris, & uxóribus veſtris, & dómibus veſtris. Factum eſt autem, cùm audíſſent inimíci noſtri nuntiátum eſſe nobis, diſſipávit Deus consílium eórum. Et revérſi ſumus omnes ad muros, unuſquíſque ad opus ſuum. Et factum eſt à die illa, média pars júvenum eôrum faciébat opus, & média paráta erat ad bellum: & lánceæ, & ſcuta, & arcus, & loricæ, & príncipes poſt eos in omni domo Juda. Ædificántium in muro, & portántium ónera, & imponéntium, unâ manu ſuâ faciébat opus, & álterâ tenébat gládium: ædificántium enim unuſquíſque gládio erat accínctus renes. Et ædificábant, & clangébant búccinâ juxta me.

℟. *ij.* Recordáre, *p.* 273.

LECTIO III. *v.* 19. *ad fin.*

ET dixi ad Optimátes, & ad Magiſtrátus, & ad réliquam partem vulgi: Opus grande eſt & latum, & nos ſeparáti ſumus in muro procul alter ab áltero: in loco quocúmque audiéritis clangórem tubæ, illuc concúrrite ad nos: Deus noſter pugnábit pro nobis. Et nos ipſi faciámus opus: & média pars noſtrûm téneat lánceas, ab aſcénſu auróræ donec egrediántur aſtra. In témpore quoque illo, dixi pópulo: Unuſquíſque cum púero ſuo máneat in médio Jerúſalem, & ſint nobis vices per noctem & diem, ad operándum. Ego autem & fratres mei, & púeri mei, & cuſtódes qui erant poſt me, non deponebámus veſtiménta noſtra: unuſquíſque tantùm nudabátur ad baptíſmum.

℟. *iij.* Meménto meî, Deus meus, & * Ne déleas miſeratiónes meas quas feci in domo Dei mei, & in cæremóniis ejus. 2. *Eſdr.* 13. 14. ℣. Scriptum eſt: Zelus domûs tuæ cómedit me. *Joan.* 2. 17. * Ne. Glória. * Ne.

FERIA QUINTA.

De Libro ſecúndo Eſdræ.

LECTIO I. *c.* 5. *v.* 14. *ad fin.*

A Die illa quâ præcéperat Rex mihi ut eſſem dux in terra Juda, ab anno vigéſimo uſque ad annum trigéſimum ſecúndum Artaxérxis regis, per annos duódecim, ego & fratres mei

annónas quæ dúcibus debebántur, non comédimus. Duces autem primi, qui fúerant ante me, gravavérunt pópulum, & accepérunt ab eis, in pane, & vino, & pecúnia, quotídie ſiclos quadragínta: ſed & miníſtri eórum depreſsérunt pópulum. Ego autem non feci ità, propter timórem Dei: quin pótiùs in ópere muri ædificávi, & agrum non emi, & omnes púeri mei congregáti ad opus erant. Judǽi quoque & Magiſtrátus, centum quinquagínta viri, & qui veniébant ad nos de géntibus quæ in circúitu noſtro ſunt, in menſa mea erant. Parabátur autem mihi per dies ſíngulos bos unus, aríetes ſex eléćti, excéptis volatílibus, & inter dies decem vina divérſa, & ália multa tribuébam: ínſuper & annónas ducátûs mei non quæsívi; valde enim attenuátus erat pópulus. Meménto meî, Deus meus, in bonum, ſecúndùm ómnia quæ feci pópulo huic.

℟. *j.* Quare, *p.* 270.

Lectio II. *c.* 6. *v.* 1. *ad* 7.

Factum eſt autem, cùm audíſſet Sanabállat, & Tobías, & Goſſem Arabs, & cǽteri inimíci noſtri, quòd ædificáſſem ego murum, & non eſſet in ipſo resídua interrúptio, (uſque ad tempus autem illud valvas non posúeram in portis,) misérunt Sanabállat & Goſſem ad me, dicéntes: Veni, & percutiámus fœdus páriter in vínculis in Campo Ono. Ipſi autem cogitábant ut fácerent mihi malum. Miſi ergo ad eos núntios, dicens: Opus grande ego fácio, & non poſſum deſcéndere: ne fortè negligátur, cùm vénero & deſcéndero ad vos. Misérunt autem ad me, ſecúndùm verbum hoc, per quátuor vices: & reſpóndi eis juxta ſermónem priórem. Et miſit ad me Sanabállat juxta verbum prius quintâ vice púerum ſuum, & epíſtolam habébat in manu ſua ſcriptam hoc modo: In géntibus audítum eſt, & Goſſem dixit, quòd tu & Judǽi cogitétis rebelláre, & proptéreà ædífices murum, & leváre te velis ſuper eos Regem: propter quam cauſam, & Prophétas posúeris, qui prædícent de te in Jerúſalem, dicéntes: Rex in Judǽa eſt. Auditúrus eſt Rex verba hæc: idcircò nunc veni, ut ineámus consílium páriter.

℟. *ij.* Jerúſalem, *p.* 271.

Lectio III. *v.* 8. *ad* 13.

Et miſi ad eos, dicens: Non eſt factum ſecúndùm verba hæc quæ tu lóqueris: de corde enim tuo tu compónis hæc. Omnes enim hi terrébant nos, cogitántes quòd ceſsárent manus noſtræ ab ópere, & quieſcerémus. Quam ob cauſam magis confortávi

manus meas: & ingréſſus ſum domum Semaíæ filii Daláíæ filii Metábeel ſecrétò. Qui ait: Tractémus nobíſcum in domo Dei, in médio templi, & claudámus portas ædis: quia ventúri ſunt ut interfíciant te, & nocte ventúri ſunt ad occidéndum te. Et dixi: Num quiſquam símilis meî fugit? Et quis ut ego ingrediétur templum, & vivet? Non ingrédiar. Et intelléxi quòd Deus non misíſſet eum, ſed quaſi vatícinans locútus eſſet ad me, & Tobías, & Sanabállat conduxíſſent eum. Accéperat enim prétium, ut térritus fácerem & peccárem, & habérent malum quod exprobrárent mihi.

℟. *iij*. Ædificávimus, *p.* 271.

FERIA SEXTA.

De Libro ſecúndo Eſdræ.

LECTIO I. *c.* 8. *v.* 1. *ad* 4.

VEnerat menſis séptimus: filii autem Iſraël erant in civitátibus ſuis. Congregatúſque eſt omnis pópulus quaſi vir unus, ad platéam quæ eſt ante portam aquárum: & dixérunt Eſdræ Scribæ, ut afférret Librum Legis Móyſi, quam præcéperat Dóminus Iſraëli. Attulit ergo Eſdras Sacérdos Legem coram multitúdine virórum & mulíerum, cunctíſque qui póterant intellígere, in die prima menſis séptimi. Et legit in eo apértè in platéa quæ erat ante portam aquárum, de *manè uſque ad* médiam diem, in conſpéctu virórum & mulíerum & ſapiéntium: & aures omnis pópuli erant eréctæ ad Librum. Stetit autem Eſdras Scriba ſuper gradum lígneum quem fécerat ad loquéndum.

℟. *j*. Ædificántium, *p.* 271.

LECTIO II. *v.* 4. *ad* 11.

ET legérunt in Libro Legis Dei diſtínctè & apértè ad intelligéndum: & intellexérunt cùm legerétur. Dixit autem Nehemías, (ipſe eſt Athérſatha,) & Eſdras Sacérdos & Scriba, & Levítæ interpretántes univérſo pópulo: Dies ſanctificátus eſt Dómino Deo noſtro: nolíte lugére, & nolíte flere. Flebat enim ómnis pópulus, cùm audíret verba Legis. Et dixit eis: Ite, comédite pínguia, & bíbite mulſum, & míttite partes his qui non præparavérunt ſibi: quia ſanctus dies Dómini eſt. Et nolíte contriſtári: gaúdium étenim Dómini eſt fortitúdo noſtra. Levítæ autem ſiléntium faciébant in omni pópulo, dicéntes: Tacéte, quia dies ſanctus eſt, & nolíte dolére.

℟. *ij*. Nos ipſi, *p.* 272.

LECTIO III. *v.* 14. *ad* 17.

ET invenérunt ſcriptū in Lege, præcepíſſe Dóminum in manu Móyſi, ut hábitent filii Iſraël in tabernáculis, in die ſolémni, menſe séptimo: & ut prædicent, & divúlgent vocem in univérſis úrbibus ſuis, & in Je-

rúſalem, dicéntes: Egredímini in montem, & afférte frondes olívæ, & frondes ligni pulchérrimi, frondes myrti, & ramos palmárum, & frondes ligni nemoróſi, ut fiant tabernácula, ſicut ſcriptum eſt. Et egréſſus eſt pópulus, & attulérunt. Fecerúntque ſibi tabernácula unuſquíſque in dómate ſuo, & in átriis ſuis, & in átriis domûs Dei, & in platéâ portæ aquárum, & in platéa portæ Ephraïm. Fecit ergo univérſa eccléſia eórum qui redíerant de captivitáte, tabernácula, & habitavérunt in tabernáculis: non enim fécerant à diébus Jóſue filii Nun táliter filii Iſraël uſque ad diem illum. Et fuit lætítia magna nimis.

℟. iij. Benedíxit, p. 272.

SABBATO.

De Libro ſecúndo Eſdræ.

Lectio I. c. 13. v. 15. ad 18.

IN diébus illis, vidi in Juda calcántes torculária in Sábbato, portántes acérvos, & onerántes ſuper áſinos vinum, & uvas, & ficus, & omne onus, & inferéntes in Jerúſalem die Sábbati. Et conteſtátus ſum, ut in die quâ véndere licéret, vénderent. Et Tyrii habitavérunt in ea, inferéntes piſces, & ómnia venália: & vendébant in Sábbatis filiis Juda in Jerúſalem: & objurgávi Optimátes Juda, & dixi eis: Quæ eſt hæc res mala quam vos fácitis, & profanátis diem Sábbati? Nunquid non hæc fecérunt patres noſtri, & addúxit Deus noſter ſuper nos omne malum hoc, & ſuper civitátem hanc? Et vos ádditis iracúndiam ſuper Iſraël, violándo Sábbatum.

Si fiat de Sabbato, duo priora ℟℟. è III. Noctur. Dom. præced.

Lectio II. *v. 22. ad 25.*

DIxi quoque Levítis ut mundaréntur, & veníirent ad cuſtodiéndas portas, & ſanctificándum diem Sábbati. Et pro hoc ergo meménto mei, Deus meus: & parce mihi, ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum. Sed & in diébus illis, vidi Judǽos ducéntes uxóres Azótidas, Ammonítidas, & Moabítidas. Et filii eórum ex média parte loquebántur Azóticè, & neſciébant loqui Judáicè, & loquebántur juxta linguâ pópuli & pópuli. Et objurgávi eos, & maledíxi. Et cecídi ex eis viros, & decalcávi eos, & adjurávi in Deo, ut non darent filias ſuas filiis eórum, & non accíperent de filiábus eórum filiis ſuis, & ſibimetípſis.

Lectio III. *v. 29. ad finem.*

REcordáre, Dómine Deus meus, advérsùm eos qui pólluunt Sacerdótium, júſque Sacerdotále & Levíticum. Igitur mundávi eos ab ómnibus alienígenis, & conſtítui órdines Sacerdótum & Levitárum, unum-

quémque in miniſtério ſuo, & in oblatióne lignórum in tempóribus conſtitútis, & in primitívis. Meménto meî, Deus meus, in bonū. Amen.

Ad Magnificat, *Ant. 6. F.* Multi de pópulo Iſraël definiérunt apud ſe, ut non manducárent immúnda : & elegérunt magis mori quàm cibis coinquinári immúndis. 1. *Mach.* 1. 65.

Oratio, Dirigat, *infrà*, *ad Laudes*, *p.* 285.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Liber primus Machabæórum.

Lectio I. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 8.

ET factum eſt, poſtquàm percúſſit Alexánder Philippi Mácedo, qui primus regnávit in Græcia, egréſſus de terra Cethim, Daríum regem Perſárum & Medórum : conſtítuit prælia multa, & obtínuit ómnium munitiónes, & interfécit reges terræ, & pertránſiit uſque ad fines terræ, & accépit ſpólia multitúdinis Géntium : & ſíluit terra in conſpéctu ejus. Et congregávit virtútem & exércitum fortem nimis : & exaltátum eſt & elevátum cor ejus : & obtínuit regiónes Géntium, & tyránnos : & facti ſunt illi in tribútum. Et poſt hæc, décidit in lectum, & cognóvit quia morerétur. Et vocávit púeros ſuos nóbiles qui ſecum erant nutrítià juventúte : & divíſit illis regnum ſuum, cùm adhuc víveret. Et regnávit Alexánder annis duódecim, & mórtuus eſt.

℞. *j.* Pertránſiit Alexánder uſque ad fines terræ : * Et accépit ſpólia multitúdinis Géntium : & ſíluit terra in conſpéctu ejus. 1. *Mach.* 1. 3. ℣. Data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & pópulum, & linguam, & gentem. *Apoc.* 13. 7. * Et accépit.

Lectio II. *v.* 9. *ad* 14.

ET obtinuérunt púeri ejus regnum, unuſquíſque in loco ſuo : & impoſuérunt omnes ſibi diadémata poſt mortem ejus, & filii eórum poſt eos, annis multis : & multiplicáta ſunt mala in terra. Et éxiit ex eis radix peccátrix, Antíochus Illúſtris, fílius Antíochi regis, qui fúerat Romæ obſes : & regnávit in anno centéſimo trigéſimo séptimo regni Græcórum. In diébus illis, exiérunt ex Iſraël filii iníqui, & ſuaſérunt multis, dicéntes : Eámus, & diſponámus teſtaméntum cum géntibus quæ circa nos ſunt : quia ex quo recéſſimus ab eis, invenérunt nos multa mala. Et bonus viſus eſt ſermo in óculis eórum. Et deſtinavérunt áliqui de pópulo, & abiérunt ad Regem : & dedit illis poteſtátem, ut fácerent juſtítiam Géntium.

℞. *ij.* Púeri Alexándri impoſuérunt omnes ſibi diadémata poſt mortem ejus :

& filii eórum poſt eos, annis multis: & * Multiplicáta ſunt mala in terra. Et éxiit ex eis radix peccátrix, Antíochus Illúſtris. 1. *Mach.* 1. 10. ℣. Evanuérunt in cogitatiónibus ſuis, & obſcurátum eſt insípiens cor eórum. *Rom.* 1. 21. * Multiplicáta.

LECTIO III. *v.* 21. *ad* 26.

ET convértit Antíochus, poſtquàm percúſſit Ægýptum, in centéſimo & quadragéſimo tértio anno: & aſcéndit ad Iſraël: & aſcéndit Jeroſólymam in multitúdine gravi. Et intrávit in Sanctificatiónem cum ſupérbia, & accépit altáre aúreum, & candelábrum lúminis, & univérſa vaſa ejus, & menſam propoſitiónis, & libatória, & phíalas, & mortaríola aúrea, & velum, & corónas, & ornaméntum aúreum quod in fácie templi erat: & comminuit ómnia. Et accépit argéntum & aurum, & vaſa concupiſcibília: & accépit theſaúros occúltos quos invénit: & ſublátis ómnibus, ábiit in terram ſuam. Et fecit cædem hóminum: & locútus eſt in ſupérbia magna. Et factus eſt planctus magnus in Iſraël, & in omni loco eórum.

℟. *iij.* Factus eſt planctus magnus in Iſraël, & in omni loco eórum: * Et ingemuérunt príncipes & ſeniores, vírgines & júvenes infirmáti ſunt. 1. *Mach.* 1. 26. 27. ℣. *Datum eſt illi bellum* fácere cum ſanctis. *Apoc.* 13. 7. * Et. Glória. * Et.

IN II. NOCTURNO.

De Libro Proverbiórum.

LECTIO IV. *c.* 2. *v.* 6. *ad* 15.

DOminus dat ſapiéntiam: & ex ore ejus prudéntia & ſciéntia. Cuſtódiet rectórum ſalútem, & próteget gradiéntes ſimplíciter, ſervans sémitas juſtítiæ, & vias ſanctórum cuſtódiens. Tunc intélliges juſtítiam, & judícium, & æquitátem, & omnem sémitam bonam. Si intráverit ſapiéntia cor tuum, & ſciéntia ánimæ tuæ placúerit, consílium cuſtódiet te, & prudéntia ſervábit te, ut eruáris à via mala, & ab hómine qui pervérſa lóquitur: qui relínquunt iter rectum, & ámbulant per vias tenebróſas: qui lætántur cùm maleféceriut, & exúltant in rebus péſſimis: quorum viæ pervérſæ ſunt, & infámes greſſus eórum.

℟. *iv.* Sanctificátio Jeruſalem deſoláta eſt ſicut ſolitúdo; * Dies feſti ejus convérſi ſunt in luctum, Sábbata ejus in oppróbrium, honóres ejus in níhilum. 1. *Mach.* 1. 41. ℣. Ego quos amo, árguo & caſtigo. *Apoc.* 3. 19. * Dies.

LECTIO V. *c.* 10. *v.* 2. *ad* 9.

NIl próderunt theſaúri impietátis: juſtítia verò liberábit à morte. Non afflíget Dóminus fame ánimam juſti: & insídias impiórum ſubvértet. Egeſtá-

têm operáta eſt manus remíſſa: manus autem fórtium divítias parat. Qui nítitur mendáciis, hic paſcit ventos: idem autem ipſe séquitur aves volántes. Qui cóngregat in meſſe, fílius ſápiens eſt: qui autem ſtertit æſtáte, fílius confuſiónis. Benedíctio Dómini ſuper caput juſti: os autem impiórum óperit iníquitas. Memória juſti cum laúdibus: & nomen impiórum putréſcet. Sápiens corde præcépta ſúſcipit: ſtultus cæditur lábiis. Qui ámbulat ſimplíciter, ámbulat confidénter: qui autem deprávat vias ſuas, maniféſtus erit.

℟. v. Mulíeres quæ circumcidébant fílios ſuos, trucidabántur, ſecúndùm juſſum regis Antíochi; & * Suſpendébant púeros à cervícibus, per univérſas domos eórum, & eos qui circumcíderant illos, trucidábant. 1. *Mach.* 1. 63. 64. ℣. Beáti qui perſecutiónem patiúntur, propter juſtítiam. *Matt.* 5. 10. * Suſpendébant.

LECTIO VI. *v.* 20. *ad fin.*

ARgéntum eléctum, lingua juſti: cor autem impiórum pro níhilo. Lábia juſti erúdiunt plúrimos: qui autem indócti ſunt, in cordis egeſtáte moriéntur. Benedíctio Dómini dívites facit, nec ſociábitur eis afflíctio. Quaſi per riſum ſtultus operátur ſcelus, ſapiéntia autem eſt viro prudéntia. Quod timet ímpius, véniet ſuper eum: deſidérium ſuum juſtis dábitur. Quaſi tempéſtas tránſiens non erit ímpius: juſtus autem quaſi fundaméntum ſempitérnum. Sicut acétum déntibus & fumus óculis, ſic piger his qui miſérunt eum. Timor Dómini appónet dies: & anni impiórum breviabúntur. Expectátio juſtórum lætítia: ſpes autem impiórum períbit. Fortitúdo ſímplicis via Dómini, & pavor his qui operántur malum. Juſtus in ætérnum non commovébitur: ímpii autem non habitábunt ſuper terram. Os juſti partúriet ſapiéntiam: lingua pravórum períbit. Lábia juſti conſíderant plácita, & os impiórum pervérſa.

℟. vj. Dixit Mathathías: * Ego, & fílii mei, & fratres mei obediémus legi patrum noſtrórum. 1. *Mach.* 2. 20. ℣. Scriptum eſt: Quia propter te mortificámur totâ die, æſtimáti ſumus ſicut oves occiſiónis. *Rom.* 8. 36. * Ego. Glória. * Ego.

IN III. NOCTURNO.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

LECTIO VII.

Lib. 18. *de Civit. Dei. Cap.* 36.

APud Judǽos, reſtitúto templo, non Reges, ſed Príncipes fuérunt uſque ad Ariſtóbulum: quorum ſupputátio témporum, non in Scriptúris ſanctis quæ

Canónicæ appellántur, ſed in áliis invenítur, in quibus ſunt & Machabæórum Libri, quos non Judǽi, ſed Eccléſia pro Canónicis habet, propter quorúmdam Mártyrum paſſiónes veheméntes atque mirábiles, qui ántequàm Chriſtus veníſſet in carnem, uſque ad mortem pro Dei Lege certavérunt, & mala graviſſima atque horribília pertulérunt.

℟. *vij.* Exclamávit Mathathías voce magnâ in civitáte, dicens: * Omnis qui zelum habet Legis, ſtátuens teſtaméntum, éxeat poſt me. 1. *Mach.* 2. 27. ℣. Ego libentíſſimè impéndam, & ſuperimpéndar ipſe pro animábus veſtris. 2. *Cor.* 12. 15. * Omnis.

LECTIO VIII. *c.* 45. *n.* 2.

HOſtias ſanè Alexánder immolávit in Dei templo, non ad ejus cultum verâ pietáte convérſus, ſed impiâ vanitáte cum diis eum falſis coléndum putans. Deínde Ptolemǽus Lagi fílius, poſt Alexándri mortem captívos inde in Ægýptum tránſtulit, quos ejus ſuccéſſor Ptolemǽus Philadélphus benevolentíſſimè inde dimíſit: per quem factum eſt, ut ſeptuagínta Intérpretum Scriptúras haberémus. Deínde contríti ſunt bellis quæ in Machabæórum Libris explicántur. Poſt hæc capti à rege Alexandríæ Ptolemǽo qui eſt appellátus *Epíphanes*, inde ab Antíocho rege Sýriæ multis & graviſſimis malis ad idóla coléndа compúlſi, templúmque ipſum replétum ſacrílegis ſuperſtitiónibus Géntium, quod tamen dux eórum ſtrenuíſſimus Judas, qui étiam Machabǽus dictus eſt, Antíochi dúcibus pulſis, ab omni illa idololatríæ contaminatióne mundávit.

℟. *viij.* Nunc, ô filii Iſraël, æmulatóres eſtóte Legis, & * Date ánimas veſtras pro teſtaménto patrum veſtrórum. 1. *Mach.* 2. 50. ℣. Æmulor vos Dei æmulatióne. 1. *Cor.* 11. 2. * Date.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

LECTIO IX. *c.* 22. *v.* 15. *ad* 22.

Quæ Cæſaris, Cæſari: quæ Dei, Deo reddenda.

ABeúntes Phariſǽi, consílium iniérunt, ut cáperent Jeſum in ſermóne. Et réliqua.

Homília ſancti Juſtíni Mártyris.

Apol. 2. *ad Anton. Senatúmque Rom.*

TRibúta & cenſus iis qui à vobis conſtitúti ſunt, ubíque imprímis conámur péndere, quemádmodum à Chriſto inſtitúti ſumus. Cùm enim quidam ad eum adíſſent, quæreréntque num tribútum pendéndum eſſet Cǽſari, quæſivíſſétque eis vicíſſim, cujus imáginem & ſimulácrum nummus habéret, ac reſpondíſſent, Cǽſaris: rursùs eis reſpóndit: Réddite ergo quæ

ſunt Cǽſaris, Cǽſari, & quæ Dei, Deo. Hunc Deum ſolum adorámus: vobis autem in áliis rebus ſervímus, Regéſque vos & Príncipes hóminum eſſe profitémur, rogamúſque, ut vos cum Regáli poteſtáte ſanam bonámque mentem habére inveniámini. Quòd ſi nobis étiam precántibus & in lucem ómnia proferéntibus negligétis, nihil ex eo detriménti capiémus, quòd credámus, atque ádeò nobis perſuaſérimus, unumquémque pro dignitáte eórũ quæ géſſerit, pœnas ignis ætérni datúrum eſſe, atque pro portióne eórum bonórum quæ accéperit, ratiónem eſſe redditúrum.

℟. *ix.* Sapiéntia clámitat: Per me Reges regnant, & legum conditóres juſta decérnunt; * Per me Príncipes ímperant, & Poténtes decérnunt juſtítiam. *Prov.* 8. 15. 16. ℣. Réddite ergo quæ ſunt Cǽſaris, Cǽſari, & quæ ſunt Dei, Deo. *Matt.* 22. 21. * Per me. Glória. * Per me.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. *F.* Omnis ánima Poteſtátibus ſublimióribus súbdita ſit, non eſt enim Potéſtas niſi à Deo. *Rom.* 13. 1.

Oratio.

DIrigat corda noſtra, quǽſumus, Dómine, tuæ miſeratiónis operátio; ut, & tibi noſtra ómnia quæ tua ſunt, reddámus, & ordinátis à te Poteſtátibus promptâ ſimus voluntáte ſubjécti; Per Dóm.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Audiéntes Phariſǽi, miráti ſunt, & relícto Jeſu, abiérunt. *Matt.* 22. 22.

FERIA SECUNDA.

De Libro primo Machabæórum.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 30. *ad* 39.

POſt duos annos diérum, miſit Rex príncipem tributórum in civitátes Juda: & venit Jerúſalem cum turba magna. Et locútus eſt ad eos verba pacífica in dolo: & credidérunt ei. Et írruit ſuper civitátem repéntè, & percúſſit eam plagâ magnâ, & pérdidit pópulum multum ex Iſraël. Et accépit ſpólia civitátis; & ſuccéndit eam igni, & deſtrúxit domos ejus, & muros ejus in circúitu: & captívas duxérunt mulíeres, & natos, & pécora poſſedérunt. Et ædificavérunt civitátem David muro magno & firmo & túrribus firmis, & facta eſt illis in arcem: & poſuérunt illic gentem peccatrícem, viros iníquos, & convaluérunt in ea, & poſuérunt arma & eſcas, & congregavérunt ſpólia Jerúſalem, & repoſuérunt illic: & facti ſunt in láqueum magnum. Et factum eſt hoc ad inſídias Sanctificatióni, & in diábolum malum in Iſraël: & effudérunt ſánguinem innocéntem, per circúitum

Sanctificatiónis ; & contaminavérunt ſanctificatiónē.

℟. j. Pertránſiit, *p.* 281.

Lectio II. *v.* 46. *ad* 52.

ET miſit Rex libros per manus nuntiórum in Jerúſalem & in omnes civitátes Juda : ut ſequeréntur leges Géntium terræ, & prohibérent holocáuſta, & ſacrifícia, & placatiónes fieri in templo Dei, & prohibérent celebrári Sábbatum, & dies ſoléмnes : & juſſit coinquinári Sancta, & ſanctum pópulum Iſraël. Et juſſit ædificári aras, & templa, & idóla, & immolári carnes ſuíllas, & pécora commúnia, & relínquere fílios ſuos incircumcíſos, & coinquinári ánimas eórum in ómnibus immúndis, & abominatiónibus : ità ut obliviſceréntur legem, & immutárent omnes juſtificatiónes Dei. Et quicúmque non feciſſent ſecúndùm verbum regis Antíochi, moreréntur.

℟. ij. Púeri, *p.* 281.

Lectio III. *v.* 57. *ad fin.*

DIe quintâdécimâ menſis Cáſleu, quinto & quadragéſimo & centéſimo anno, ædificávit rex Antíochus abominándum idólum deſolatiónis ſuper altáre Dei : & per univérſas civitátes Juda in circúitu ædificavérunt aras : & ante jánuas domórum, & in platéis incendébant thura, & *ſacrificá*bant : & Libros Legis Dei combuſſérunt igni, ſcindéntes eos : & apud quemcúmque inveniebántur Libri Teſtaménti Dómini, & quicúmque obſervábat Legem Dómini, ſecúndùm edíctum Regis, trucidábant eum. In virtúte ſua faciébant hæc pópulo Iſraël, qui inveniebátur in omni menſe & menſe in civitátibus. Et quintâ & viceſimâ die menſis, ſacrificábant ſuper aram quæ erat contra altáre. Et mulíeres quæ circumcidébant fílios ſuos, trucidabántur ſecúndùm juſſum regis Antíochi : & ſuſpendébant púeros à cervícibus per univérſas domos eórum : & eos qui circumcíderant illos, trucidábant. Et multi de pópulo Iſraël definiérunt apud ſe, ut non manducárent immúnda : & elegérunt magis mori, quàm cibis coinquinári immúndis : & noluérunt infríngere Legem Dei ſanctam, & trucidáti ſunt. Et facta eſt ira magna ſuper pópulum valde.

℟. iij. Factus eſt, *p.* 282.

FERIA TERTIA

De Libro primo Machabæórum.

Lectio I. *c.* 2. *v.* 7. *ad* 14.

DIxit Mathathías : Væ mihi ! Ut quid natus ſum vidére contritiónem pópuli mei, & contritiónem civitátis ſanctæ, & ſedére illic, cùm datur in mánibus inimicórum ? Sancta in manu extraneórum facta ſunt : templum ejus ſicut

homo ignóbilis. Vaſa glóriæ ejus captíva abdúcta ſunt: trucidáti ſunt ſenes ejus in platéis, & júvenes ejus cecidérunt in gládio inimicórum. Quæ gens non hæreditávit regnum ejus, & non obtínuit ſpólia ejus? Omnis conposítio ejus abláta eſt. Quæ erat líbera, facta eſt ancílla. Et ecce Sancta noſtra, & pulchritúdo noſtra, & cláritas noſtra deſoláta eſt, & coinquinavérunt ea Gentes. Quò ergo nobis adhuc vívere? Et ſcidit veſtiménta ſua Mathathías & fílii ejus: & operuérunt ſe cilíciis, & planxérunt valde.

℟. *j.* Sanctificátio, *p.* 282.

Lectio II. *v.* 17. *ad* 22.

Et reſpondéntes qui miſſi erant ab Antíocho, dixérunt Mathathíæ: Princeps, & claríſſimus, & magnus es in hac civitáte, & ornátus fíliis & frátribus. Ergo accéde prior, & fac juſſum Regis, ſicut fecérunt omnes Gentes, & viri Juda, & qui remanſérunt in Jerúſalem: & eris tu, & fílii tui, inter amícos Regis, & amplificátus auro & argénto, & munéribus multis. Et reſpóndit Mathathías, & dixit magnâ voce: Et ſi omnes Gentes regi Antíocho obédiunt, ut diſcédat unuſquíſque à ſervitúte legis patrum ſuórum, & conséntiat mandátis ejus, ego, & fílii mei, & fratres mei, obediémus legi patrum noſtrórum. Propítius ſit nobis Deus: non eſt nobis útile relínquere legem & juſtítiam Dei. Non audiémus verba regis Antíochi: nec ſacrificábimus tranſgrediéntes Legis noſtræ mandáta, ut eámus álterâ viâ.

℟. *ij.* Mulieres, *p.* 283.

Lectio III. *v.* 23. *ad* 28.

Et ut ceſsávit loqui verba hæc, accéſſit quidam Judǽus in ómnium óculis ſacrificáre idólis ſuper aram in civitáte Modin, ſecúndùm juſſum Regis. Et vidit Mathathías, & dóluit, & contremuérunt renes ejus: & accénſus eſt furor ejus ſecúndùm judícium Legis, & insíliens trucidávit eum ſuper aram. Sed & virum quē rex Antíochus míſerat, qui cogébat immoláre, occídit in ipſo témpore, & aram deſtrúxit, & zelátus eſt Legem, ſicut fecit Phínees Zamri fílio Salómi. Et exclamávit Mathathías voce magnâ in civitáte, dicens: Omnis qui zelum habet Legis, ſtátuens teſtaméntum, éxeat poſt me. Et fugit ipſe & fílii ejus in montes: & reliquérunt quæcúmque habébant in civitáte.

℟. *iij.* Dixit, *p.* 283.

FERIA QUARTA.

De Libro primo Machabæórum.

Lectio I. *c.* 2. *v.* 45. *ad* 51.

Circuívit Mathathías & amíci ejus, & deſtruxérunt aras: & circumcidérunt púeros incircumcíſos

quotquot invenérunt in fínibus Iſraël & in fortitúdine. Et perſecúti ſunt filios ſupérbiæ, & proſperátum eſt opus in mánibus eórum: & obtinuérunt legem de mánibus Géntium, & de mánibus Regum: & non dedérunt cornu peccatóri. Et appropinquavérunt dies Mathathíæ moriéndi, & dixit filiis ſuis: Nunc confortáta eſt ſupérbia, & caſtigátio, & tempus everſiónis, & ira indignatiónis. Nunc ergo, ô filii! æmulatóres eſtóte Legis, & date ánimas veſtras pro teſtaménto patrum veſtrórum: & mementóte óperum patrum, quæ fecérunt in generatiónibus ſuis: & accipiétis glóriam magnã, & nomen ætérnum.

℟. *j.* Exclamávit, *p.* 284.

Lectio II. *v.* 64. *ad finem.*

Vos ergo, filii, confortámini, & viríliter ágite in Lege: quia in ipſa glorióſi éritis. Et ecce Simon frater veſter, ſcio quòd vir consílii eſt: ipſum audíte ſemper, & ipſe erit vobis pater. Et Judas Machabǽus fortis víribus à juventúte ſua, ſit vobis princeps milítiæ, & ipſe aget bellum pópuli. Et adducétis ad vos omnes factóres Legis: & vindicáte vindíctam pópuli veſtri. Retribúite retributiónem Géntibus, & inténdite in præcéptum Legis. Et benedíxit eos, & appóſitus eſt ad patres ſuos. *Et defúnctus eſt anno* centéſimo & quadragéſimo ſexto: & ſepúltus eſt à filiis ſuis in ſepúlcris patrum ſuórum in Modin: & planxérunt eum omnis Iſraël, planctu magno.

℟. *ij.* Nunc, *p.* 284.

Lectio III. *c.* 3. *v.* 1. *ad* 7.

Et ſurréxit Judas qui vocabátur Machabǽus, filius ejus, pro eo: & adjuvábant eum omnes fratres ejus, & univérſi qui ſe conjúnxerant patri ejus, & præliabántur præliũ Iſraël cum lætítia. Et dilatávit glóriam pópulo ſuo: & índuit ſe loríeam ſicut gigas, & ſuccínxit ſe arma béllica ſua in prǽliis, & protegébat caſtra gládio ſuo. Símilis factus eſt leóni in opéribus ſuis, & ſicut cátulus leónis rúgiens in venatióne. Et perſecútus eſt iníquos perſcrútans eos: & qui conturbábant pópulum ſuum, eos ſuccéndit flammis: & repúlſi ſunt inimíci ejus præ timóre ejus, & omnes operárii iniquitátis conturbáti ſunt: & diréсta eſt ſalus in manu ejus. Et exacerbábat reges multos, & lætificábat Jacob in opéribus ſuis: & in ſéculum memória ejus in benedictióne.

℟. *iij.* Repúlſi ſunt inimíci Judæ, præ timóre ejus: * Et omnes operárii iniquitátis conturbáti ſunt. 1. *Mach.* 3. 6. ℣. Fecit ultiónem ei qui injúriam ſuſtinébat. *Act.* 7. 24. * Et omnes. Glória. * Et omnes.

FERIA

FERIA QUINTA.
De Libro primo Machabæórum.

Lectio I. *c.* 3. *v.* 13. *ad* 19.

AUdívit Seron princeps exércitûs Sýriæ quòd congregávit Judas congregatiónem fidélium & ecclésiam ſecum, & ait: Fáciam mihi nomen, & glorificábor in regno, & debellábo Judam & eos qui cum ipſo ſunt, qui ſpernébant verbum Regis. Et præparávit ſe: & aſcendérunt cum eo caſtra impiórum, fortes auxiliárii, ut fácerent vindíctam in fílios Iſraël. Et appropinquavérunt uſque ad Béthoron: & exívit Judas óbviàm illi cum paucis. Ut autem vidérunt exércitum veniéntem ſibi óbviàm, dixérunt Judæ: Quómodo poterímus pauci pugnáre contra multitúdinem tantam & tam fortem, & nos fatigáti ſumus jejúnio hódie? Et ait Judas: Fácilè eſt conclúdi multos in manus paucórum: & non eſt differéntia in conſpéctu Dei cœli liberáre in multis, & in paucis: quóniam non in multitúdine exércitûs victória belli, ſed de cœlo fortitúdo eſt.

℟. *j.* Pertránſiit, *p.* 281.

Lectio II. *v.* 20. *ad* 26.

IPſi véniunt ad nos in multitúdine contumáci, & ſupérbia, ut diſpérdant nos, & uxóres noſtras, & fílios noſtros, & ut ſpólient nos: nos verò pugnábimus pro animábus noſtris, & légibus noſtris: & ipſe Dóminus cónteret eos ante fáciem noſtram: vos autem ne timuéritis eos. Ut ceſſávit autem loqui, insíluit in eos súbitò: & contrítus eſt Seron & exércitus ejus in conſpéctu ipsíus: & perſecútus eſt eum in deſcénſu Béthoron uſque in campum, & cecidérunt ex eis octingénti viri, réliqui autem fugérunt in terram Philiſthiim. Et cécidit timor Judæ ac fratrum ejus, & formído ſuper omnes gentes in circúitu eórum. Et pervénit ad Regem nomen ejus: & de prǽliis Judæ narrábant omnes gentes.

℟. *ij.* Púeri, *p.* 281.

Lectio III. *c.* 4. *v.* 6. *ad* 14.

ET cùm dies factus eſſet, appáruit Judas in campo cum tribus míllibus virórum tantùm, qui teguménta & gládios non habébant: & vidérunt caſtra Géntium válida, & loricátos, & equitátus in circúitu eórum, & hi docti ad prǽlium. Et ait Judas viris qui ſecum erant: Ne timuéritis multitúdinem eórum, & ímpetum eórum ne formidétis. Mementóte quáliter ſalvi facti ſunt patres noſtri in mari rubro, cùm ſequerétur eos Pharao cum exércitu multo. Et nunc clamémus in cœlum; & miſerébitur noſtrî Dóminus, & memor erit teſtaménti pa-

trum noſtrórum, & cónteret exércitum iſtum ante fáciem noſtram hódie: & ſcient ómnes gentes, quia eſt qui rédimat & líberet Iſraël. Et elevavérunt alienígenæ óculos ſuos, & vidérunt eos veniéntes ex advérſo. Et exiérunt de caſtris in prælium: & tubâ cecinérunt hi qui erant cum Juda. Et congréſſi ſunt: & contrítæ ſunt Gentes, & fugérunt in campum.

℟. *iij.* Factus, *p.* 282.

FERIA SEXTA.

De Libro primo Machabæórum.

LECTIO I. *c.* 4. *v.* 36. *ad* 41.

DIxit Judas & fratres ejus: Ecce contríti ſunt inimíci noſtri: aſcendámus nunc mundáre Sancta, & renováre. Et congregátus eſt omnis exércitus, & aſcendérunt in montem Sion. Et vidérunt Sanctificatiónem desértam, & altáre profanátum, & portas exúſtas, & in átriis virgúlta nata ſicut in ſaltu vel in móntibus, & paſtophória díruta. Et ſcidérunt veſtiménta ſua, & planxérunt planctu magno, & impoſuérunt cínerem ſuper caput ſuum. Et cecidérunt in fáciem ſuper terram, & exclamavérunt tubis ſignórum, & clamavérunt in cœlum. Tunc ordinávit Judas viros, ut pugnárent advérsùs eos qui erant in arce, donec emundárent Sancta.

℟. *j.* Sanctificátio, *p.* 282.

LECTIO II. *c.* 6. *v.* 8. *ad* 13.

ET factum eſt, ut audívit Rex ſermónes iſtos, expávit, & commótus eſt valde: & décidit in lectum, & íncidit in languórem præ triſtítia, quia non factum eſt ei ſicut cogitábat. Et erat illic per dies multos, quia renováta eſt in eo triſtítia magna: & arbitrátus eſt ſe mori. Et vocávit omnes amícos ſuos, & dixit illis: Recéſſit ſomnus ab óculis meis, & cóncidi, & córrui corde præ ſollicitúdine, & dixi in corde meo: In quantam tribulatiónem devéni, & in quos fluctus triſtítiæ in qua nunc ſum, qui jucúndus eram, & diléctus in poteſtáte mea! Nunc verò reminíſcor malórum quæ feci in Jerúſalem, unde & ábſtuli ómnia ſpólia aúrea & argéntea quæ erant in ea, & miſi auférre habitántes Judǽam ſinè cauſa. Cognóvi ergo quia proptéreà invenérunt me mala iſta: & ecce péreo triſtítiâ magnâ, in terra aliéna.

℟. *ij.* Mulíeres, *p.* 283.

LECTIO III. *v.* 14. *ad* 17.

ET vocávit Philíppum, unum de amícis ſuis, & præpóſuit eum ſuper univérſum regnum ſuum: & dedit ei diadéma, & ſtolam ſuam, & ánnulum, ut addúceret Antíochum filium ſuum, & nutríret eum, & regnáret. Et mórtuus eſt illic Antíochus rex, anno

centéſimo quadragéſimo nono. Et cognóvit Lyſias, quóniam mórtuus eſt Rex, & conſtituit regnáre Antíochum filium ejus, quem nutrívit adoleſcéntem: & vocávit nomen ejus Eúpator.

℟. *iij*. Dixit, *p*. 283.

SABBATO.

De Libro primo Machabæórum.

Lectio I. *c*. 7. *v*. 26. *ad* 32.

Miſit Rex Nicánorem, unum ex princípibus ſuis nobilióribus, qui erat inimicítias exércens contra Iſraël: & mandávit ei evértere pópulum. Et venit Nicánor in Jerúſalem cum exércitu magno: & miſit ad Judam & ad fratres ejus verbis pacíficis cum dolo, dicens: Non ſit pugna inter me & vos: véniam cum viris paucis, ut vídeam fácies veſtras cum pace. Et venit ad Judam: & ſalutavérunt ſe ínvicem pacífice: & hoſtes paráti erant rápere Judam. Et innótuit ſermo Judæ, quóniam cum dolo vénerat ad eum: & contérritus eſt ab eo, & ámpliùs nóluit vidére fáciem ejus. Et cognóvit Nicánor quóniam denudátum eſt consílium ejus: & exívit óbviàm Judæ in pugnam juxta Capharsálama. Et cecidérunt de Nicánoris exércitu ferè quinque míllia viri, & fugérunt in civitátem David.

Si fiat de Sabbato, duo priora ℟℟. *è III. Noct. Dom. præced.*

Lectio II. *v*. 33. *ad* 39.

Et poſt hæc verba, aſcéndit Nicánor in montem Sion: & exiérunt de Sacerdótibus pópuli ſalutáre eum in pace, & demonſtráre ei holocautómata quæ offerebántur pro Rege. Et irridens ſprevit eos, & pólluit: & locútus eſt ſupérbè, & jurávit cum ira, dicens: Niſi tráditus fúerit Judas, & exércitus ejus in manus meas, contínuò cum regréſſus fúero in pace, ſuccéndam domum iſtam. Et éxiit cum ira magna. Et intravérunt Sacerdótes, & ſtetérunt ante fáciem altáris & templi: & flentes dixérunt: Tu, Dómine, elegíſti domum iſtam ad invocándum nomen tuum in ea, ut eſſet domus oratiónis & obſecratiónis pópulo tuo. Fac vindíctam in hómine iſto, & exércitu ejus, & cadant in gládio: meménto blaſphémias eórum, & ne déderis eis ut permáneant. Et éxiit Nicánor ab Jerúſalem, & caſtra applícuit ad Béthoron: & occúrrit illi exércitus Sýriæ.

Lectio III. *v*. 43. *ad finem*.

Et commiſérunt exércitus prælium, tértiâ décimâ die menſis Adar: & contríta ſunt caſtra Nicánoris, & cécidit ipſe primus in prælio. Ut autem vidit exércitus ejus quia cecidiſſet Nicánor, projecérunt arma ſua, &

fugérunt : & perſecúti ſunt eos viam unius diéi, ab Adaër, uſquequò veniátur in Gázara, & tubis cecinérunt poſt eos cum ſignificatiónibus : & exiérunt de ómnibus caſtéllis Judǽæ in circúitu, & ventilábant eos córnibus, & convertebántur iterùm ad eos, & cecidérunt omnes gládio, & non eſt relíctus ex eis nec unus. Et accepérunt ſpólia eórum in prǽlium : & caput Nicánoris amputavérunt, & déxteram ejus quam extènderat ſupérbè : & attulérunt, & ſuſpendérunt contra Jerúſalem. Et lætátus eſt pópulus valde, & egérunt diem illam in lætítia magna. Et conſtítuit agi ómnibus annis diem iſtam, tértiâ décimâ die menſis Adar. Et ſíluit terra Juda dies paucos.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Flevérunt Judam omnis pópulus Iſraël planctu magno, & lugébant dies multos, & dixérunt : Quómodo cécidit potens qui ſalvum faciébat pópulum Iſraël ! 1. *Mach.* 9. 20. 21.

Oratio, Profíciat, *infrà*, *ad Laudes*, *p.* 297.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

De Libro primo Machabæórum.

Lectio I. *c.* 8. *v.* 1. *ad* 4.

Et audívit Judas nomen Romanórum, quia ſunt poténtes víribus, & acquiéſcunt ad ómnia quæ poſtulántur ab eis, & quicúmque accesſérunt ad eos, ſtatuérunt cum eis amicítias, & quia ſunt poténtes víribus. Et audiérunt prǽlia eórum, & virtútes bonas quas fecérunt in Galátia, quia obtinuérunt eos, & duxérunt ſub tribútum ; & quanta fecérunt in regióne Hiſpániæ, & quòd in poteſtátem redegérunt metálla argénti & auri quæ illic ſunt, & poſſedérunt omnem locum consílio ſuo & patiéntiâ : locaque quæ longè erant valde ab eis, & Reges qui ſupervénerant eis ab extrémis terræ, contrivérunt, & percuſsérunt eos plagâ magnâ : cæteri autem dant eis tribútum, ómnibus annis.

℟. *j.* Pertránſiit Alexánder uſque ad fines terræ : * Et accépit ſpólia multitúdinis Géntium ; & ſíluit terra in conſpéctu ejus. 1. *Mach.* 1. 3. ℣. Data eſt illi potéſtas in omnem tribum, & pópulum, & linguam, & gentem. *Apoc.* 13. 7. * Et accépit.

Lectio II. *v.* 17. *ad* 22.

Et elégit Judas Eupolémum fílium Joánnis fílii Jacob, & Jasónem fílium Eleázari, & miſit eos Romam conſtitúere cum illis amicítiam & ſocietátem : & ut auférrent ab eis jugum Græcórum, quia vidérunt quòd in ſervitúte prémerent regnum Iſraël. Et abiérunt Romam viam multam valde, & introiérunt cúriam, & dixérunt : Judas Macha-

bæus, & fratres ejus, & pópulus Judæórum misérunt nos ad vos, ſtatúere vobíſcum ſocietátem & pacem, & conſcríbere nos sócios & amícos veſtros. Et plácuit ſermo in conſpéctu eórum. Et hoc reſcríptum eſt, quod reſcripsérunt in tábulis æreis, & misérunt in Jerúſalem, ut eſſet apud eos ibi memoriále pacis & ſocietátis.

℟. ij. Púeri Alexándri impoſuérunt omnes ſibi diadémata, poſt mortem ejus, & fílii eórum poſt eos, annis multis: & * Multiplicáta ſunt mala in terra. Et éxiit ex eis radix peccátrix, Antíochus Illúſtris. 1. *Mach.* 1. 10. ℣. Evanuérunt in cogitatiónibus ſuis, & obſcurátum eſt insípiens cor eórum. *Rom.* 1. 21. * Multiplicáta.

Lectio III. *v.* 23. *ad finem.*

Benè ſit Románis & genti Judæórum, in mari & in terra, in ætérnum: gladiúſque & hoſtis procul ſit ab eis. Quòd ſi inſtíterit bellum Románis priùs, aut ómnibus sóciis eórum in omni dominatióne eórum, auxílium feret gens Judæórum, prout tempus dictáverit, corde pleno: & præliántibus non dabunt, neque ſubminiſtrábunt tríticum, arma, pecúniam, naves, ſicut plácuit Románis: & cuſtódient mandáta eórum, nihil ab eis accipiéntes. Similiter autem & ſi genti Judæórum priùs accíderit bellum, adjuvábunt Románi ex ánimo, prout eis tempus permíſerit: & adjuvántibus non dábitur tríticum, arma, pecúnia, naves, ſicut plácuit Románis: & cuſtódient mandáta eórũ abſque dolo. Secúndùm hæc verba, conſtituérunt Románi pópulo Judæórum. Quòd ſi poſt hæc verba, hi aut illi áddere aut démere ad hæc áliquid volúerint, fácient ex propóſito ſuo: & quæcúmque addíderint vel démpſerint, rata erunt. Sed & de malis quæ Demétrius rex fecit in eos, ſcripſimus ei, dicéntes: Quare graváſti jugum tuum ſuper amícos noſtros & sócios Judǽos? Si ergo íterùm adíerint nos advérsùm te, faciémus illis judícium, & pugnábimus tecum mari terráque.

℟. iij. Factus eſt planctus magnus in Iſraël, & in omni loco eórum: * Et ingemuérunt príncipes & ſenióres, vírgines & júvenes infirmáti ſunt. 1. *Mach.* 1. 26. 27. ℣. Datum eſt illi bellum fácere cum ſanctis. *Apoc.* 13. 7. * Et. Glória. * Et.

IN II. NOCTURNO.

De Libro Proverbiórum.

Lectio IV. *c.* 6. *v.* 1. *ad* 11.

Fili mi, ſi ſpopónderis pro amíco tuo, defixíſti apud extráneum manum tuam, illaqueátus es verbis oris tui, & captus própriis ſermónibus. Fac ergo quod dico, fili mi, & temetípſum

líbera : quia incidiſti in manum próximi tui. Diſcúrre, feſtína, ſúſcita amícum tuum : ne déderis ſomnum óculis tuis, nec dormítent pálpebræ tuæ. Erúere quaſi dámula de manu, & quaſi avis de manu aúcupis. Vade ad formícam, ô piger, & consídera vias ejus, & diſce ſapiéntiam : quæ cùm non hábeat ducem, nec præceptórem, nec príncipem, parat in æſtáte cibum ſibi, & cóngregat in meſſe quod cómedat. Uſquequò, piger, dórmies ? Quando consúrges è ſomno tuo ? Paúlulùm dórmies, paúlulùm dormitábis, paúlulùm cónſeres manus, ut dórmias : & véniet tibi quaſi viátor egéſtas, & paupéries quaſi vir armátus. Si verò ímpiger fúeris, véniet ut fons meſſis tua, & egéſtas longè fúgiet à te.

℟. *iv*. Sanctificátio Jerúſalem deſoláta eſt ſicut ſolitúdo; * Dies feſti ejus convérſi ſunt in luctum, Sábbata ejus in oppróbrium, honóres ejus in níhilum. 1. *Mach*. 1. 41. ℣. Ego quos amo, árguo & caſtigo. *Apoc*. 3. 19. * Dies.

LECTIO V. *v*. 12 *ad* 22.

HOmo apóſtata, vir inútilis, gráditur ore pervérſo, ánnuit óculis, terit pede, dígito lóquitur, pravo corde machinátur malum, & omni témpore júrgia séminat. Huic extémplò *véniet* perdítio ſua, & *ſúbitò conterétur*, nec habébit ultrà medicínam. Sex ſunt quæ odit Dóminus, & séptimum deteſtátur ánima ejus : óculos ſublímes, linguam mendácem, manus effundéntes innóxium sánguinem, cor máchinans cogitatiónes péſſimas, pedes velóces ad curréndum in malum, proferéntem mendácia, teſtem fallácem, & eum qui séminat inter fratres diſcórdias. Consérva, fili mi, præcépta patris tui, & ne dimíttas legem matris tuæ. Liga ea in corde tuo júgiter, & circúmda gútturi tuo. Cùm ambuláveris, gradiántur tecum : cùm dormíeris, cuſtódiant te; & evígilans lóquere cum eis.

℟. *v*. Mulíeres quæ circumcidébant fílios ſuos, trucidabántur, ſecúndùm juſſum regis Antíochi; & * Suſpendébant púeros à cervícibus, per univérſas domos eórum, & eos qui circumcíderant illos, trucidábant. 1. *Mach*. 1. 63. 64. ℣. Beáti qui perſecutiónem patiúntur propter juſtítiam. *Matt*. 5. 10. * Suſpendébant.

LECTIO VI. *c*. 11. *v*. 1. *ad* 11.

STatéra dolóſa, abominátio eſt apud Dóminum : & pondus æquum, volúntas ejus. Ubi fúerit ſupérbia, ibi erit & contumélia : ubi autem eſt humílitas, ibi & ſapiéntia. Simplícitas juſtórum díriget eos : & ſupplantátio perverſórum vaſtábit illos. Non

prόderunt divítiæ in die ultiónis : Juſtítia autem liberábit à morte. Juſtítia ſímplicis díriget viam ejus : & in impietáte ſua córruet ímpius. Juſtítia rectórum liberábit eos : & in insídiis ſuis capiéntur iníqui. Mórtuo hómine ímpio, nulla erit ultrà ſpes : & expectátio ſollicitórum períbit. Juſtus de angúſtia liberátus eſt : & tradétur ímpius pro eo. Simulátor ore décipit amícum ſuum : juſti autem liberabúntur ſciéntiâ. In bonis juſtórum exultábit cívitas : & in perditióne impiórum erit laudátio. Benedictióne juſtórum exaltábitur cívitas : & ore impiórum ſubvertétur.

℞. *vj*. Dixit Mathathías : * Ego, & filii mei, & fratres mei obediémus legi patrum noſtrórum. 1. *Mach*. 2. 20. ℣. Scriptum eſt : Quia propter te mortificámur, totâ die : æſtimáti ſumus ſicut oves occiſiónis. *Rom*. 8. 36. * Ego. Glória. * Ego.

IN III. NOCTURNO.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Expoſ. in Pſal. 43. n. 1.

Lectio VII.

Machabǽi, cùm invaſíſſet Judǽam Antíochus qui dictus eſt Epíphanes, & ómnia devaſtáſſet, & multos qui tunc erant, à pátriis inſtitútis reſilíre coëgíſſet, permanſérunt illǽſi ab illis tentatiónibus : & quando grave quidem bellum ingruébat, nec quidquam póterant fácere quod prodéſſet, ſe abſcondébant : quod étiam fecérunt Apóſtoli. Non enim ſemper præséntes in média irruébant perícula : ſed nonnúnquam & fugiéntes & laténtes cedébant. Poſtquàm autem parùm reſpiráverant, tanquam generóſi quidam leúnculi ex antris exiliéntes & è látebris emergéntes, ſtatuébant non ſe ámpliùs ſolos ſerváre, ſed étiam álios quotcúmque poſſent. Et civitátem & regiónem omnem obeúntes, collegérunt quotquot invenérunt adhuc ſanos & íntegros : & multos étiam qui laborábant & corrúpti erant, in ſtatum príſtinum redegérunt, eis perſuadéntes redíre ad legem pátriam. Deum enim dicébant eſſe benígnum & cleméntem, nec unquam adímere ſalútem quæ profiícíſcitur ex pœniténtia. Hæc autem dicéntes, habuérunt deléctum fórtium virórum.

℞. *vij*. Exclamávit Mathathías voce magnâ in civitáte, dicens : * Omnis qui zelum habet Legis, ſtátuens teſtaméntum, éxeat poſt me. 1. *Mach*. 2. 27. ℣. Ego libentíſſimè impéndam, & ſuperimpéndar ipſe pro animábus veſtris. 2. *Cor*. 12. 15. * Omnis.

Lectio VIII.

Non enim pro uxóribus, líberis & ancíllis, patriǽque everſióne &

captivitáte, ſed pro Lege & pátria Repúblicâ pugnábant. Eórum autem dux erat Deus. Cùm ergo áciem dirígerent, & próprias expónerent ánimas, fundébant adversários; non armis fidéntes, ſed loco omnis armatúræ, pugnæ causſam ſufficere ducéntes. Ad bellum autem eúntes, non tragœ́dias excitábant, non pæána canébant, ſicut nonnúlli fáciunt: non adſciſcébant tibícines, ut fit in áliis caſtris: ſed Dei ſupérnè auxílium invocábant, ut adéſſet, opem ferret, & manum præbéret, propter quem bellum gerébant, pro cujus glória decertábant.

℞. *viij.* Nunc, ô fílii! æmulatóres eſtóte Legis, & * Date ánimas veſtras pro teſtaménto patrum veſtrórum. 1. *Mach.* 2. 50. ℣. Æmulor vos Dei æmulatióne. 2. *Cor.* 11. 2. * Date.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Matthǽum.

LECTIO IX. *c.* 9. *v.* 18. *ad* 26.

Princeps Synagogæ, & Hemorrhoiſſa.

LOquénte Jeſu ad diſcípulos Joánnis, ecce princeps unus accéſſit, & adorábat eum. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Hom. 32. *in Matt. Cap.* 9.

OPus jam ſermónibus adjúngitur, & Phariſǽi magis confundúntur. *Nam & qui accéſſit*, Synagógæ princeps erat, & luctu magno premebátur, única enim puélla erat: quamóbrem máximè conféſtim eam vóluit ſuſcitári. Eúntem verò Chriſtum ſequebántur multi, tùm ut magnum vidérent miráculum, tùm propter dignitátem persónæ cujus fília laborábat. Et ecce múlier quæ ſánguinis fluxum patiebátur duódecim annis, accéſſit retrò. Quamóbrem non líberè atque apértè ad Jeſum accéſſit? Propter ægrotatiónis genus, immúndam ſe putábat, ac ídeò erubeſcébat: proptéreà ergo abdit ſe atque occúltat, quia ægritúdo hæc ſecúndùm Legem magna immundítíes judicabátur. Occúltè cum fide veſtem ipsíus tétigit: non dúbitans ſanitátem ſe ab hújuſmodi tactu conſecutúram, accéſſit. Dicébat enim in ſeipſa: Si ſolùm tetígero veſtiméntum ejus, ſalvábor. Quid autem Chriſtus? Non paſſus eſt eam latére: ſed prodúxit in médium, & ómnibus rem fecit maniféſtam, non ambitióne, ſed ut fidem ejus maniféſtam fáceret, ut álii poſſent eam imitári.

℞. *ix.* Qui timétis Dóminum, * Crédite illi: & non evacuábitur merces veſtra. *Eccli.* 2. 8. ℣. Dixit Jeſus: Confíde, fília; fides tua te ſalvam fecit. *Matt.* 9. 22. * Crédite. Glória. * Crédite.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. d. Qui confídit in Deo, non minorábitur. *Eccli.* 32. 28.

Oratio.

PRoficiat, quǽſumus, Dómine, plebs tibi dicáta piæ petitiónis affectu; ut tuis inſtitúta doctrínis, quantò in fide ſit firmior, tantò donis potióribus augeátur. Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Cùm ejécta eſſet turba, intrávit Jeſus, & ténuit manum puéllæ, & ſurréxit puélla. *Matt.* 9. 25.

FERIA SECUNDA.

De Libro primo Machabæórum.

Lectio I. *c.* 9. *v.* 1. *ad* 6.

UT audívit Demétrius, quia cécidit Nicánor & exércitus ejus in prǽlio, appóſuit Bácchidem & Alcimum rurſum míttere in Judǽam, & dextrum cornu cum illis. Et abiérunt viam quæ ducit in Gálgala, & caſtra poſuérunt in Máſaloth, quæ eſt in Arbéllis: & occupavérunt eam, & peremérunt ánimas hóminum multas. In menſe primo anni centéſimi & quinquagéſimi ſecúndi, applicuérunt exércitum ad Jerúſalem: & ſurrexérunt, & abiérunt in Béream vigínti míllia virórum, & duo míllia équitum. Et Judas poſúerat caſtra in Láiſa, & tria míllia viri elécti cum eo: & vidérunt multitúdinem exércitûs quia multi ſunt, & timuérunt valde: & multi ſubtraxérunt ſe de caſtris, & non remanſérunt ex eis, niſi octingénti viri.

℟. *j.* Pertránſiit, *p.* 292.

Lectio II. *v.* 7. *ad* 11.

ET vidit Judas quòd deflúxit exércitus ſuus, & bellum perurgébat eum: & confráctus eſt corde, quia non habébat tempus congregándi eos, & diſſolútus eſt. Et dixit his qui reſídui erant: Surgámus, & eámus ad adverſários noſtros, ſi potérimus pugnáre advérsùs eos. Et avertébant eum, dicéntes: Non potérimus, ſed liberémus ánimas noſtras modò; & revertámur ad fratres noſtros, & tunc pugnábimus advérsùs eos: nos autem pauci ſumus. Et ait Judas: Abſit iſtam rem fácere, ut fugiámus ab eis: & ſi appropiávit tempus noſtrum, moriámur in virtúte, propter fratres noſtros, & non inferámus crimen glóriæ noſtræ. Et movit exércitus de caſtris, & ſtetérunt illis óbviàm: & diviſi ſunt équites in duas partes, & fundibulárii, & ſagittárii præíbant exércitum, & primi certáminis omnes poténtes.

℟. *ij.* Púeri, *p.* 293.

Lectio III. *v.* 12. *ad* 21.

BAcchides autem erat in dextro cornu, & proximávit légio ex duábus pártibus, & clamábant tubis. Exclamavérunt autem & hi qui erant ex parte Judæ, étiam ipſi, & commóta

eſt terra à voce exercítuum: & commíſſum eſt prælium à manè uſque ad véſperam. Et vidit Judas quòd firmior eſt pars exércitûs Bácchidis in dextris, & convenérunt cum ipſo omnes conſtántes corde: & contrita eſt déxtera pars ab eis, & perſecútus eſt eos uſque ad montem Azóti. Et qui in ſiníſtro cornu erant, vidérunt quòd contrítum eſt dextrum cornu, & ſecúti ſunt poſt Judam & eos qui cum ipſo erant, à tergo: & ingravátum eſt prælium, & cecidérunt vulneráti multi ex his & ex illis. Et Judas cécidit, & cǽteri fugérunt. Et Jónathas & Simon tulérunt Judam fratrem ſuum, & ſepeliérunt eum in ſepúlchro patrum ſuórum in civitáte Modin. Et flevérunt eum omnis pópulus Iſraël planctu magno: & lugébant dies multos, & dixérunt: Quómodo cécidit potens, qui ſalvum faciébat pópulum Iſraël!

℟. *iij.* Factus, *p.* 293.

FERIA TERTIA.

De Libro primo Machabæórum.

Lectio I. *c.* 9. *v.* 27. *ad* 33.

FActa eſt tribulátio magna in Iſraël, qualis non fuit ex die quâ non eſt viſus Prophéta in Iſraël. Et congregáti ſunt omnes amíci Judæ, & dixérunt Jónathæ: Ex quo frater tuus *Judas* defúnctus eſt, vir *ſímilis ei non* eſt qui éxeat contra inimícos noſtros, Bácchidem & eos qui inimíci ſunt gentis noſtræ. Nunc ítaque te hódie elégimus eſſe pro eo nobis in príncipem & ducem, ad bellándum bellum noſtrum. Et ſuſcépit Jónathas témpore illo principátum: & ſurréxit loco Judæ fratris ſui. Et cognóvit Bácchides, & quærébat eum occídere. Et cognóvit Jónathas, & Simon frater ejus, & omnes qui cum eo erant: & fugérunt in desértum Thécuæ, & conſedérunt ad aquam lacûs Aſphar.

℟. *j.* Sanctificátio, *p.* 294.

Lectio II. *v.* 37. *ad* 42.

POſt hæc verba, renuntiátum eſt Jónathæ & Simóni fratri ejus, quia filii Jambri fáciunt núptias magnas, & ducunt ſponſam ex Mádaba, filiam uníus de magnis princípibus Chánaan, cum ambitióne magna. Et recordáti ſunt ſánguinis Joánnis fratris ſui: & aſcendérunt, & abſcondérunt ſe ſub teguménto montis. Et elevavérunt óculos ſuos, & vidérunt: & ecce tumúltus & apparátus multus: & ſponſus procéſſit, & amíci ejus, & fratres ejus óbviàm illis, cum týmpanis & múſicis, & armis multis. Et surrexérunt ad eos ex inſídiis, & occidérunt eos, & cecidérunt vulneráti multi, & resídui fugérunt in montes: & accepérunt ómnia

ſpólia eórum : & convérſæ ſunt núptiæ in luctum, & vox muſicórum ipsórum in laméntum. Et vindicavérunt vindíctam ſánguinis fratris ſui: & revérſi ſunt ad ripam Jordánis.

℟. *ij.* Mulíeres, *p.* 294.

LECTIO III. *v.* 65. *ad fin.*

ET relíquit Jónathas Simónem fratrem ſuum in civitáte: & éxiit in regiónem, & venit cum número, & percúſſit Odaren, & fratres ejus, & fílios Pháſeron in tabernáculis ipsórum: & cœpit cædere, & créſcere in virtútibus. Simon veró & qui cum ipſo erant, exiérunt de civitáte, & ſuccendérunt máchinas, & pugnavérunt contra Bácchidem, & contrítus eſt ab eis: & afflixérunt eum valde, quóniam consílium ejus & congréſſus ejus erat inánis. Et irátus contra viros iníquos qui ei consílium déderant ut veníret in regiónem ipsórum, multos ex eis occídit: ipſe autem cogitávit cum réliquis abíre in regiónem ſuam. Et cognóvit Jónathas, & miſit ad eum legátos, compónere pacem cum ipſo, & réddere ei captivitátem. Et libénter accépit, & fecit ſecúndùm verba ejus, & jurávit ſe nihil factúrum ei mali, ómnibus diébus vitæ ejus. Et réddidit ei captivitátem quam priùs erat prædátus de terra Juda, & convérſus ábiit in terram ſuam, & non appóſuit ámpliùs veníre in fines ejus. Et ceſſávit gládius ex Iſraël: & habitávit Jónathas in Machmas, & cœpit Jónathas ibi judicáre pópulum, & extermínávit impios ex Iſraël.

℟. *iij.* Dixit, *p.* 295.

FERIA QUARTA.

De Libro primo Machabæórum.

LECTIO I. *c.* 12. *v.* 1. *ad* 4.

VIdit Jónathas quia tempus eum juvat, & elégit viros, & miſit eos Romam, ſtatúere & renováre cum eis amicítiam: & ad Spartíatas, & ad ália loca miſit epíſtolas, ſecúndùm eámdem formam. Et abiérunt Romam, & intravérunt cúriam, & dixérunt: Jónathas ſummus Sacérdos, & gens Judæórum misérunt nos, ut renovarémus amicítiam & ſocietátem, ſecúndùm priſtinum. Et dedérunt illis epíſtolas ad ipſos per loca, ut dedúcerent eos in terram Juda, cum pace.

℟. *j.* Exclamávit, *p.* 295.

LECTIO II. *v.* 5. *ad* 11.

ET hoc eſt exémplum epiſtolárum quas ſcripſit Jónathas Spartíatis: Jónathas ſummus Sacérdos, & Senióres gentis, & Sacerdótes, & réliquus pópulus Judæórum, Spartíatis frátribus, ſalútem. Jamprídem miſſæ erant epíſtolæ ad Oníam ſummum Sacerdótem ab Ario, qui regnábat apud vos, quóniam eſtis fratres noſtri, ſicut reſcrí-

tum cóntinet, quod ſubjéctum eſt. Et ſuſcépit Onías virum, qui miſſus fúerat, cum honóre : & accépit epíſtolas in quibus ſignificabátur de ſocietáte & amicítia. Nos, cùm nullo horum indigerémus, habéntes ſolátio ſanctos Libros qui ſunt in mánibus noſtris, malúimus míttere ad vos renováre fraternitátem & amicítiam, ne fortè aliéni efficiámur à vobis : multa enim témpora tranſiérunt, ex quo miſiſtis ad nos. Nos ergo in omni témpore ſinè intermiſſióne in diébus ſolémnibus & cǽteris quibus opórtet, mémores ſumus veſtri in ſacrifíciis quæ offérimus, & in obſervatiónibus, ſicut fas eſt & decet meminíſſe fratrum.

℟. *ij*. Nunc, *p*. 296.

LECTIO III. *v*. 12. *ad* 23.

LÆtámur ítaque de glória veſtra : nos autem circumdedérunt multæ tribulatiónes & multa prǽlia, & impugnavérunt nos Reges qui ſunt in circúitu noſtro. Nolúimus ergo vobis moléſti eſſe, neque cǽteris sóciis & amícis noſtris, in his prǽliis. Habúimus enim de cœlo auxílium, & liberáti ſumus nos, & humiliáti ſunt inimíci noſtri. Elégimus ítaque Numénium Antíochi fílium, & Antípatrem Jasónis fílium, & miſimus ad Romános renováre cum eis amicítiam & ſocietátem príſtinam. Mandávimus ítaque eis ut véniant étiam ad vos, & ſalútent vos, & reddant vobis epíſtolas noſtras, de innovatióne fraternitátis noſtræ. Et nunc benefaciétis reſpondéntes nobis ad hæc. Et hoc eſt reſcríptum epiſtolárum, quod míſerat Oníæ : Arius, rex Spartiatárum, Oníæ Sacerdóti magno, ſalútem. Invéntum eſt in ſcriptúra de Spartíatis & Judǽis, quóniam ſunt fratres, & quòd ſunt de génere Abraham. Et nunc ex quo hæc cognóvimus, benefácitis ſcribéntes nobis de pace veſtra. Sed & nos reſcrípſimus vobis : Pécora noſtra & poſſeſſiónes noſtræ, veſtræ ſunt; & veſtræ, noſtræ : mandávimus ítaque hæc nuntiári vobis.

℟. *iij*. Repúlſi ſunt inimíci Judæ, præ timóre ejus, * Et omnes operárii iniquitátis conturbáti ſunt. 1. *Mach*. 3. 6. ℣. Fecit ultiónem ei qui injúriam ſuſtinébat. *Act*. 7. 24. * Et omnes. Glória. * Et omnes.

FERIA QUINTA.

De Libro primo Machabæórum.

LECTIO I. *c*. 12. *v*. 48. *ad* 52.

UT intrávit Ptolemáidam Jónathas, clauſérunt portas civitátis Ptolemenſes : & comprehendérunt eum : & omnes qui cum eo intráverant, gládio interfecérunt. Et miſit Tryphon exércitum & équites in Galilǽam & in cam-

pum magnum, ut pérderent omnes sócios Jónathæ. At illi cùm cognovíſſent quià comprehénſus eſt Jónathas & périit & ómnes qui cum eo erant, hortáti ſunt ſemetipſos, & exiérunt paráti in prǽlium. Et vidéntes hi qui inſecúti fúerant, quia pro ánima res eſt illis, revérſi ſunt: illi autem venérunt omnes cum pace in terram Juda. Et planxérunt Jónathan & eos qui cùm ipſo fúerant, valde: & luxit Iſraël luctu magno.

℟. *j.* Pertránſiit, *p.* 292.

LECTIO II. *c.* 13. *v.* 1. *ad* 9.

ET audivit Simon quod congregávit Tryphon exércitum copióſum, ut veníret in terram Juda, & attéreret eam. Videns quia in tremóre pópulus eſt & in timóre, aſcéndit Jeruſalem, & congregávit pópulum: & adhórtans, dixit: Vos ſcitis quanta ego, & fratres mei, & domus patris mei, fécimus pro légibus & pro ſanctis prǽlia, & angúſtias quales vídimus: horum grátiâ periérunt fratres mei omnes propter Iſraël, & relíctus ſum ego ſolus. Et nunc non mihi contíngat párcere ánimæ meæ, in omni témpore tribulatiónis: non enim mélior ſum frátribus meis. Vindicábo itaque gentem meam, & Sancta, natos quoque noſtros & uxóres: quia congregátæ ſunt univérſæ gentes contérere nos, inimicítiæ grátiâ. Et accénſus eſt ſpíritus pópuli ſimul, ut audivit ſermónes iſtos: & reſpondérunt voce magnâ, dicéntes: Tu es dux noſter, loco Judæ & Jónathæ fratris tui. Pugna prǽlium noſtrum: & ómnia quæcúmque díxeris nobis, faciémus.

℟. *ij.* Púeri, *p.* 293.

LECTIO III. *v.* 25. *ad* 30.

ET miſit Simon, & accépit oſſa Jónathæ fratris ſui, & ſepelívit ea in Módin civitáte patrum ejus. Et planxérunt eum omnis Iſraël planctu magno: & luxérunt eum dies multos. Et ædificávit Simon ſuper ſepúlcrum patris ſui & fratrum ſuórum ædificium altum viſu, lápide polito retrò & antè: & ſtátuit ſeptem pyrámidas, unam contra unam patri & matri, & quátuor frátribus: & his circumpóſuit colúmnas magnas; & ſuper colúmnas arma, ad memóriam ætérnam; & juxta arma naves ſculptas, quæ videréntur ab ómnibus navigántibus mare. Hoc eſt ſepúlcrum quod fecit in Modin, uſque in hunc diem.

℟. *iij.* Factus, *p.* 293.

FERIA SEXTA.

De Libro primo Machabæórum.

LECTIO I. *c.* 14. *v.* 11. *ad* 19.

FEcit Simon pacem ſuper terram, & lætátus eſt Iſraël lætítiâ magnâ. Et ſedit unuſquíſque ſub vite ſua, & ſub ficúlnea ſua: &

non erát qui eos terréret. Defécit impúgnans eos ſuper terram : reges contríti ſunt in diébus illis. Et confirmávit omnes húmiles pópuli ſui, & legem exquiſívit, & abſtulit omnem iníquum & malum : Sancta glorificávit, & multiplicávit vaſa ſanctórum. Et audítum eſt Romæ quia defúnctus eſſet Jónathas, & uſque in Spartíatas : & contriſtáti ſunt valde. Ut audiérunt autem quòd Simon frater ejus factus eſſet ſummus Sacérdos loco ejus, & ipſe obtinéret omnem regiónem & civitátes in ea, ſcripſérunt ad eum in tábulis æreis, ut renovárent amicítias & ſocietátem quam fécerant cum Juda & cum Jónatha frátribus ejus. Et lectæ ſunt in conſpéctu eccléſiæ in Jerúſalem.

℟. *j.* Sanctificátio, *p.* 294.

LECTIO II. *v.* 19. *ad* 23.

ET hoc exémplum epiſtolárum quas Spartíatæ miſérunt : Spartianórum príncipes & civitátes, Simóni Sacerdóti magno, & Senióribus, & Sacerdótibus, & réliquo pópulo Judæórum, frátribus, ſalútem. Legáti qui miſſi ſunt ad pópulum noſtrum, nuntiavérunt nobis de veſtra glória, & honóre, ac lætítia : & gaviſi ſumus in intróitu eórum. Et ſcripſimus quæ ab eis erant dicta in concíliis pópuli, ſic : Numénius Antiochi, & Antípater Jasónis filius legáti Judæórum, venérunt ad nos, renovántes nobiſcum amicítiam príſtinam. Et plácuit pópulo excípere viros glorióse, & pónere exémplum ſermónum eórum in ſegregátis pópuli libris, ut ſit ad memóriam pópulo Spartiatárum. Exémplum autem horum ſcripſimus Simóni magno Sacerdóti.

℟. *ij.* Mulieres quæ circumcidébant, *p.* 294.

LECTIO III. *v.* 24. *ad* 26.

POſt hæc autem miſit Simon Numénium Romam, habéntem clýpeum áureum magnum, pondo mnarum mille ad ſtatuéndam cum eis ſocietátem. Cùm autem audíſſet pópulus Románus ſermónes iſtos, dixérunt : Quam gratiárum actiónem reddémus Simóni & filiis ejus ? Reſtítuit enim ipſe fratres ſuos, & expugnávit inimícos Iſraël ab eis : & ſtatuérunt ei libertátem, & deſcripſérunt in tábulis æreis, & poſuérunt in títulis in monte Sion.

℟. *iij.* Dixit, *p.* 295.

SABBATO.

Si Dominica ſequens ſit prima Adventûs, anticipatur Dominica vigeſima quarta poſt Pentecoſten, ejúſque Officium hodie ſit ut ſequitur.

Invitatorium, Hymnus, Antiphona, Pſalmi, &c. ut in Officio Sabbati. Lectio I. & II. ibidem, duabus poſterioribus in unam junctis,

cum duobus prioribus ℟℟. III. Nocturni Dominicæ præcedentis. Lectio III. Homilia in Evangelium Dominicæ anticipandæ, cum ejus Reſp. nono. Antiphona ad Benedíctus, *Oratio, tum ad Laudes, tum ad Horas, ex eadem deſumuntur Dominica, cum Canone Sabbati.*

Si Sabbatum Feſto, etiam ſimplici, impediatur, in eo fit ſola Commemoratio Dominicæ anticipandæ, poſt Laudes Matutinas, per Lectionem Evangelii cum Homilia, Antiphonam ad Benedíctus, ℣. *& Orationem.*

De Libro primo Machabæórum.

Lectio I. *c. 16. v. 2. ad 8.*

VOcávit Simon duos filios ſenióres, Judam & Joánnem, & ait illis: Ego, & fratres mei, & domus patris mei, expugnávimus hoſtes Iſraël, ab adoleſcéntia uſque in hunc diem: & proſperátum eſt in mánibus noſtris liberáre Iſraël aliquóties. Nunc autem ſénui: ſed eſtóte loco meo, & fratres mei, & egréſſi pugnáte pro gente noſtra: auxílium verò de cœlo vobíſcum ſit. Et elégit de regióne vigínti míllia virórum belligeratórum & équites: & profécti ſunt ad Cendebæum: & dormiérunt in Modin. Et ſurrexérunt manè, & abiérunt in campum: & ecce exércitus copióſus in óbviàm illis péditum & équitum, & flúvius torrens erat inter médium ipsórum. Et admóvit caſtra contra fáciem eórum ipſe & pópulus ejus, & vidit pópulum trepidántem ad transfretándum torréntem, & transfretávit primus: & vidérunt eum viri, & tranſiérunt poſt eum. Et divíſit pópulum, & équites in médio péditum: erat autem equitátus adverſariórum copióſus nimis. Et exclamavérunt ſacris tubis, & in fugam convérſus eſt Cendebæus, & caſtra ejus: & cecidérunt ex eis multi vulneráti. Resídui autem in munitiónem fugérunt.

Si fiat de Sabbato, duo priora ℟℟. è III. Noct. Dom. præced.

Lectio II. *v. 14. ad 17.*

SImon autem perámbulans civitátes quæ erant in regióne Judææ, & ſollicitúdinem gerens eárum, deſcéndit in Jéricho ipſe, & Mathathías filius ejus, & Judas, anno centéſimo ſeptuagéſimo ſéptimo, menſe undécimo: hic eſt menſis Sabath. Et ſuſcépit eos filius Abobi in munitiúnculam quæ vocátur Doch, cum dolo, quam ædificávit: & fecit eis convívium magnum; & abſcóndit illic viros. Et cùm inebriátus eſſet Simon, & filii ejus, ſurréxit Ptolemæus, cum ſuis, & ſumpsérunt arma ſua, &

intravérunt in convívium, & occidérunt eum, & duos fílios ejus, & quoſdam púeros ejus. Et fecit deceptiónem magnam in Iſraël, & réddidit mala pro bonis.

LECTIO III. *v.* 21. *ad finem.*

ET præcúrrens quidam, nuntiávit Joánni in Gázara quia périit pater ejus, & fratres ejus, & quia miſit te quoque intérfici. Ut audívit autem, veheménter expávit: & comprehéndit viros qui vénerant pérdere eum, & occídit eos: cognóvit enim quia quærébant eum pérdere. Et cœ́tera ſermónum Joánnis, & bellórum ejus, & bonárum virtútum quibus fórtiter geſſit, & ædifícii murórum quos extrúxit, & rerum geſtárum ejus, ecce hæc ſcripta ſunt in Libro diérum Sacerdótii ejus, ex quo factus eſt Princeps Sacerdótum poſt patrem ſuum.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. A. Templum, quod paulò antè timóre ac tumúltu erat plenum, apparénte omnipoténte Deo, gáudio & lætítiâ implétum eſt. 2. *Mach.* 3. 30.

Oratio, Corda noſtra, *infrà, ad Laudes, p.* 109.

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Liber ſecúndus Machabæórum.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 9.

FRátribus qui ſunt per Ægýptum, Judǽis, ſalútem dicunt fratres qui ſunt in Jeroſólymis, Judǽi, & qui in regióne Judǽæ, & pacem bonam. Benefáciat vobis Deus, & meminerit teſtaménti ſui quod locútus eſt ad Abraham, & Iſaac, & Jacob servórum ſuórum fidélium: & det vobis cor ómnibus, ut colátis eum, & faciátis ejus voluntátem, corde magno & ánimo voléntí. Adapériat cor veſtrum in lege ſua, & in præcéptis ſuis, & fáciat pacem. Exáudiat oratiónes veſtras, & reconciliétur vobis, nec vos déſerat in témpore malo. Et nunc hîc ſumus orántes pro vobis. Regnánte Demétrio, anno centéſimo ſexageſimo nono, nos Judǽi ſcripſimus vobis in tribulatióne & ímpetu, qui ſupervénit nobis in iſtis annis, ex quo receſſit Jaſon à ſancta terra, & à regno. Portam ſuccendérunt, & effudérunt ſánguinem innocéntem: & orávimus ad Dóminum, & exaudíti ſumus, & obtúlimus ſacrifícium & ſimilláginem, & accéndimus lucérnas, & propoſúimus panes. Et nunc frequentáte dies Scenopégiæ menſis Cáſleu.

℟. *j.* Appáruit quidã equus terríbilem habens ſeſſórem, óptimis operiméntis adornátus: * Iſque cum ímpetu Heliodóro prióres calces eliſit. 2. *Mach.* 3, 25. ℣. Date locum iræ; ſcriptum eſt enim: Mihi vindícta; ego retríbuam. Rom. 12. 19. * Iſque.

LECTIO II. *v.* 10. *ad* 14.

ANno centéſimo octogéſimo octávo, pópulus qui eſt Jeroſólymis, & in Judǽa, Senatúſque & Judas, Ariſtóbolo Magiſtro Ptolemǽi Regis, qui eſt de génere chriſtórum Sacerdótum, & his qui in Ægypto ſunt Judǽis, ſalútem & ſanitátem. De magnis perículis à Deo liberati, magníficè grátias ágimus ipſi, utpotè qui advérsùs talem Regem dimicávimus. Ipſe enim ebullíre fecit de Pérſide eos qui pugnavérunt contra nos & ſanctam civitátem. Nam cùm in Pérſide eſſet dux ipſe, & cum ipſo imménſus exércitus, cécidit in templo Náneæ, consilio decéptus ſacerdótum Náneæ. Etenim cum ea habitatúrus, venit ad locum Antíochus & amíci ejus, & ut accíperet pecúnias multas dotis nómine.

℟. ij. Alii apparuérunt duo júvenes virtúte decóri, óptimi glóriâ, ſpecioſíque amíctu, qui * Circumſtetérunt Heliodórum, & ex utráque parte flagellábant. 2. *Mach.* 3. 26. ℣. Facit Deus Angelos ſuos Spíritus, & Miníſtros ſuos flammam ignis. *Hebr.* 1. 7. * Circumſtetérunt.

LECTIO III. *v.* 15. *ad* 18.

CUmque propoſuíſſent eas ſacerdótes Náneæ, & ipſe cum paucis ingréſſus eſſet intrà ámbitum fani, clausérunt templum, cùm intráſſet Antíochus: apertóque occúlto áditu templi, mitténtes lápides percuſſérunt ducem & eos qui cum eo erant, & divisérunt membrátim, & capítibus amputátis forás projecérunt. Per ómnia benedíctus Deus, qui trádidit ímpios. Factúri ígitur, quintâ & vigéſimâ die menſis Cáſleu, purificatiónem templi, neceſſárium dúximus ſignificáre vobis: ut & vos quoque agátis diem Scenopégiæ, & diem ignis qui datus eſt, quando Nehemías ædificáto templo & altári, óbtulit ſacrifícia.

℟. iij. Repedábat ad Regem Heliodórus; * Teſtabátur autem ómnibus ea quæ ſub óculis ſuis víderat ópera magni Dei. 2. *Mach.* 3. 35. 36. ℣. Narrábat per ſíngula, quæ Deus feciſſet. *Act.* 21. 19. * Teſtabátur. Glória. * Teſtabátur.

IN III. NOCTURNO.

De Libro Eccleſiáſtæ.

LECTIO IV. *c.* 7. *v.* 1. *ad* 8.

QUid necéſſe eſt hómini majóra ſe quǽrere, cùm ignóret quid condúcat ſibi in vita ſua, número diérum peregrinatiónis ſuæ, & témpore quod velut umbra prǽterit? Aut quis ei póterit indicáre quid poſt eum futúrum ſub ſole ſit? Mélius eſt nomen bonum, quàm unguénta pretióſa: & dies mortis die nativitátis. Mélius eſt ire ad domum

ſis, quàm ad domum convivii: in illa enim finis cunctórum admonétur hóminum, & vivens cógitat quid futúrum ſit. Mélior eſt ira riſu: quia per triſtitiam vultûs corrígitur ánimus delinquéntis. Cor ſapiéntium ubi triſtítia eſt, & cor ſtultórum ubi lætítia. Mélius eſt à ſapiénte córripi, quàm ſtultórum adulatióne décipi. Quia ſicut sónitus ſpinárum ardéntium ſub olla, ſic riſus ſtulti: ſed & hoc vánitas. Calúmnia contúrbat ſapiéntem, & perdet robur cordis illíus.

℟. *iv.* Eleázarus glorioſíſſimam mortem, magis quàm odíbilem vitam compléctens, * Voluntáriè præíbat ad ſupplícium. 2. *Mach.* 6. 19. ℣. Conféſſus bonam confeſſiónem, coram multis téſtibus. 1. *Tim.* 6. 12. * Voluntáriè.

LECTIO V. *v.* 9. *ad.* 16.

MElior eſt finis oratiónis, quàm princípium. Mélior eſt pátiens arrogánte. Ne ſis velox ad iraſcéndum: quia ira in ſinu ſtulti requiéſcit. Ne dicas: Quid putas cauſæ eſt quòd prióra témpora melióra fuére quàm nunc ſunt? Stulta enim eſt hujuſcémodi interrogátio. Utílior eſt ſapiéntia cum divítiis, & magis prodeſt vidéntibus ſolem. Sicut enim prótegit ſapiéntia, ſic prótegit pecúnia: hoc autem plus habet erudítio & ſapiéntia, quòd vitam tribuunt poſſeſsóri ſuo. Consídera ópera Dei, quòd nemo poſſit corrígere quem ille deſpéxerit. In die bona frúere bonis, & malam diem præcave: ſicut enim hanc, ſic & illam fecit Deus, ut non invéniat homo contra eum juſtas querimónias. Hæc quoque vidi in diébus vanitátis meæ: Juſtus perit in juſtítia ſua, & impius multo vivit témpore in malítia ſua.

℟. *v.* Hi qui Eleázarum ducébant, & pauló antè fúerant mitióres, * In iram convérſi ſunt, propter ſermónes ab eo dictos. 2. *Mach.* 6. 29. ℣. Diſſecabántur córdibus ſuis, & ſtridébant déntibus in eum. *Act.* 7. 54. * In iram.

De Libro Sapiéntiæ.

LECTIO VI. *c.* 5. *v.* 18. *ad fin.*

ACcípiet armatúram zelus Dómini, & armábit creatúram ad ultiónem inimicórum. Induet pro thoráce juſtítiam, & accípiet pro gálea judícium certum: ſumet ſcutum inexpugnábile æquitátem: ácuet autem duram iram in lánceam, & pugnábit cum illo orbis terrárum contra inſensátos. Ibunt diréctè emiſſiónes fulgurum, & tanquam à benè curváto arcu núbium exterminabúntur, & ad certum locum insílient. Et à petróſa ira plenæ mitténtur grándines: excandéſcet in illos aqua maris, & flúmina con-

currentdúriter. Contra illos ſtabit ſpíritus virtútis, & tanquam turbo venti dívidet illos: & ad erémum perdúcet omnem terram iníquitas illórum, & malígnitas evértet ſedes poténtium.

℟. *vij.* Eleázarus vitâ deceſſit, non ſolùm juvénibus, ſed & univérſæ genti, * Memóriam mortis ſuæ, ad exémplum virtútis & fortitúdinis, derelínquens. 2. *Mach.* 6. 31. ℣. Obdormívit in Dómino. *Act.* 7. 59. * Memóriam. Glória. * Memóriam.

IN III. NOCTURNO.

Sermo ſancti Ambróſii Epíſcopi.

De Officiis Miniſtr. Lib. 1. *Cap.* 40. n. 206.

Lectio VII.

QUid de Machabǽis loquar? Sed priùs de pópulo dicam patrum, qui cùm eſſent paráti ad repugnándum pro templo Dei, & pro legítimis ſuis, dolo hóſtium, die laceſſiti Sábbati, maluérunt vulnéribus offérre nuda córpora, quàm repugnáre, ne violárent Sábbatum. Itaque omnes læti ſe obtulérunt morti. Sed Machabǽi conſiderántes quòd hoc exémplo gens ómnis poſſet períre, Sábbato étiam cùm ipſi in bellum provocaréntur, ulti ſunt innocéntium necem fratrum ſuórum. Unde póſteà ſtimulátus rex Antíochus, cùm bellum accénderet per duces ſuos Lýſiam, Nicánorem, Górgiam, ità cum Orientálibus ſuis & Aſsýriis adſtrítus eſt cópiis, ut quadragínta & octo míllia in médio campi à tribus míllibus proſterneréntur.

℟. *vij.* Supra modum mater mirábilis, & bonórum memóriâ digna, * Quæ pereúntes ſeptem fílios ſub uníus diéi témpore conſpíciens, bono ánimo ferébat. 2. *Mach.* 7. 20. ℣. Expectábat fundaménta habéntem civitátem, cujus ártifex & cónditor Deus. *Hebr.* 11. 10. * Quæ.

Lectio VIII. n. 207.

VIrtútem ducis Judæ Machabǽi, de uno ejus mílite conſideráte. Namque Eleázarus cùm ſupereminéntem cœ́teris elephántum lorícâ veſtítum régiâ advérteret, arbitrátus quòd in eo eſſet Rex, curſu cóncitus in médium legiónis ſe prorípuit: & abjécto clýpeo, utrâque manu interficiébat, donec pervénit ad béſtiam, atque intrávit ſub eam, & ſubjécto gládio, interémit eam. Itaque cadens béſtia, oppréſſit Eleázarum, atque ità mórtuus eſt. Quanta ígitur virtus ánimi! Primò, ut mortem non timéret: deínde, ut circumfúſus legiónibus inimicórum, in confértos raperétur hoſtes, médium penetráret agmen, & contémptâ morte ferócior, abjécto clýpeo, utrâque manu vulnerátæ molem béſtiæ ſubíret ac ſuſ-

tinéret : poſt infra ipſam ſuccéderet, quò plenióri ferı́ret ictu; cujus ruínâ inclúſus magis quàm oppréſſus, ſuo eſt ſepúltus triúmpho.

℟. *viij.* Adoleſcéntior mundus óbiit, per ómnia in Dómino confidens. * Noviſſimè autem poſt filios, & mater consúmpta eſt. 2. *Mach.* 7. 40. 41. ℣. Diſténti ſunt, non ſuſcipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent reſurrectiónem. *Hebr* 11. 35. * Noviſſimè.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Matthæum.

LECTIO IX. *c.24.v.15.ad35.*

Abominatio deſolationis.

DIxit Jeſus Diſcípulis ſuis : Cùm videritis abominatiónem deſolatiónis, quæ dicta eſt à Daniéle Prophéta, ſtantem in loco ſancto, qui legit intélligat. Et réliqua.

Homília ſancti Cleméntis Papæ & Mártyris.

Epiſt. ad Cor. Cap. 27. 28. 29.

ANimi noſtri ad eum aſtringántur, qui fidélis eſt in promiſſiónibus, & juſtus in judíciis. Qui ne mentiámur præcipit, multò magis ipſe non mentiétur. Exſuſcitétur ítaque in nobis fides ejus : & cogitémus quòd ómnia ipſi propínqua ſunt. In verbo magnificéntiæ conſtituit ómnia, & in verbo poteſt illa evértere. *Cùm vóluit, atque ut vóluit, ómnia cóndidit*, neque quidquam ab eo decrétum prætéribit. Univérſa coram ipſo ſunt, nihilque consílium ejus latet. Cùm ómnia ígitur videántur & audiántur, timeámus eum & pravórum óperum impúras cupiditátes relinquámus, ut illíus miſericórdiâ, à futúris judíciis tegámur. Quò enim noſtrûm áliquis à poténte ejus manu fúgere poteſt? Qualis autem mundus ſuſcípiet quémpiam ab eo transfugiéntem? Dicit námque Scriptúra : Quò ibo ? & quò abſcóndar à fácie tua? Si aſcéndero in cœlúm, tu illic es : ſi abíero in extréma terræ, illic eſt déxtera tua. Quò ígitur abíbit quíſpiam, vel quò aufúgiet ab eo qui ómnia compléctitur ? Accedámus ergo ad eum in ſanctitáte ánimæ, caſtas & impollútas manus elevántes ad illum.

℟. *ix.* Multa ſunt nimis caſtra Dómini, quia fórtia & faciéntia verbum ejus: * Magnus enim dies Dómini, & terríbilis valde, & quis ſuſtinébit eum? *Joël.* 2. 11. ℣. Erit tunc tribulátio magna, qualis non fuit ad inítio mundi uſque modò, neque fiet. *Matt.* 24. 21. * Magnus. Glória. * Magnus.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. *ℭ.* Ecce dies Dómini véniet, crudélis & indignatiónis plenus, & iræ furoriſque, ad ponéndam terram in ſolitú-

dinem, & peccatóres ejus conterendos de ea. *Iſ.* 13. 9.

Oratio.

CОrda noſtra, quæſumus, Dómine, ſancto judiciórum tuórum timóre confige; ut vitam noſtram emendántes in méliùs, miſericórdiam & glóriam à te obtinére mereámur; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Nisi breviáti fuíſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro; ſed propter eléctos, breviabúntur dies illi. *Matt.* 24. 22.

FERIA SECUNDA.

De Libro ſecúndo Machabæórum.

LECTIO I. *c.* 2. *v.* 16. *ad* 19.

ACtúri purificatiónem, ſcrípſimus vobis: benè ergo faciétis, ſi egéritis hos dies. Deus autem qui liberávit pópulum ſuum, & réddidit hæreditátem ómnibus, & regnum, & Sacerdótium, & Sanctificatiónem, ſicut promíſit in Lege, ſperámus quòd citò noſtri miſerébitur, & congregábit de ſub cœlo in locum ſanctum. Erípuit enim nos de magnis perículis, & locum purgávit.

℟. *j.* Appáruit, *p.* 304.

LECTIO II. *v.* 20. *ad* 26.

DE Juda verò Machabæo, & frátribus ejus, & de templi magni purificatióne, & de aræ dedicatióne, ſed & de prǽliis, quæ pértinent ad Antíochum Nóbilem, & fílium ejus Eupatórem; & de illuminatiónibus quæ de cœlo factæ ſunt ad eos qui pro Judǽis fórtiter fecérunt, ità ut univérſam regiónem, cùm pauci eſſent, vindicárent, & bárbaram multitúdinem fugárent, & famoſiſſimum in toto orbe templum recuperárent, civitátem liberárent, & leges quæ abolítæ erant, reſtitueréntur, Dómino cum omni tranquillitáte propítio facto illis; itémque ab Jasóne Cyrenæo quinque libris comprehénſa, tentávimus nos uno volúmine breviáre. Conſiderántes enim multitúdinem librórum, & difficultátem voléntibus ággredi narratiónes hiſtoriárum, propter multitúdinem rerum, curávimus voléntibus quidem légere, ut eſſet ánimi oblectátio; ſtudióſis verò, ut faciliùs poſſint memóriæ commendáre; ómnibus autem legéntibus utílitas conferátur.

℟. *ij.* Alii, *p.* 305.

LECTIO III. *v.* 27. *ad* 32.

ET nobis quidem ipſis, qui hoc opus breviándi causâ ſuſcépimus, non fácilem labórem, imò verò negótium plenum vigiliárum & ſudóris aſſúmpſimus. Sicut hi qui prǽparant convívium, & quærunt aliórum voluntáti parére, propter multórum grátiam, libénter labórem ſuſtinémus: veritátem quidem de ſíngulis, auctóribus conce-

déntes, ipſi autem ſecúndùm datam formam breviári ſtudéntes. Sicut enim novæ domûs architécto de univérſa ſtructúra curándum eſt; ei verò qui píngere curat, quæ apta ſunt ad ornátum, exquiréndа ſunt: ità æſtimándum eſt & in nobis. Etenim intelléctum collígere, & ordináre ſermónem, & curióſiùs partes síngulas quaſque diſquírere, históriæ congruit autóri: brevitátem verò dictiónis ſectári, & executiónes rerum vitáre, breviánti concedéndum eſt.

℟. iij. Repedábat, *p.* 305.

FERIA TERTIA.

De Libro ſecúndo Machabæórum.

LECTIO I. *c.* 3. *v.* 1. *ad* 6.

IGitur cùm ſáncta cívitas habitarétur in omni pace, leges étiam adhuc óptimè cuſtodiréntur, propter Oníæ Pontíficis pietátem, & ánimos ódio habéntes mala, fiébat ut & ipſi Reges & Príncipes locum ſummo honóre dignum dúcerent, & templum máximis munéribus illuſtrárent: ità ut Seléucus Aſiæ rex de redítibus ſuis præſtáret omnes ſumptus ad miniſtérium ſacrificiórum pertinéntes. Simon autem de tribu Bénjamin præpóſitus templi conſtitútus, contendébat, obſiſténte ſibi Príncipe Sacerdótum, iníquum áliquid in civitáte molíri. Sed cùm víncere Oníam non poſſet, venit ad Apollónium Tharséæ fílium, qui eo témpore erat dux Cœlesýriæ & Phœnícis: & nuntiávit ei pecúniis innumerabílibus plenum eſſe ærárium Jerosólymis, & commúnes cópias imménſas eſſe, quæ non pértinent ad ratiónem ſacrificiórum: eſſe autem poſsíbile ſub poteſtáte Regis cádere univérſa.

℟. j. Eleázarus, *p.* 306.

LECTIO II. *v.* 7. *ad* 11.

CUmque retulíſſet ad Regem Apollónius de pecúniis quæ delátæ erant, ille accítum Heliodórum, qui erat ſuper negótia ejus, míſit cum mandátis, ut prædíctam pecúniam tranſportáret. Statímque Heliodórus iter eſt aggréſſus, ſpécie quidem quaſi per Cœleſýriam & Phœnícen civitátes eſſet peragratúrus, revérâ autem Regis propóſitum perfectúrus. Sed cùm veníſſet Jerosólymam, & benígnè à Summo Sacerdóte in civitáte eſſet excéptus, narrávit de dato indício pecuniárum: & cujus rei grátiâ adéſſet, apéruit: interrogábat autem, ſi verè hæc ità eſſent. Tunc Summus Sacérdos oſténdit depóſita eſſe hæc, & victuália viduárum & pupillórum; quædam verò eſſe Hircáni Tobíæ viri valde eminéntis, in his quæ detúlerat ímpius Simon: univérſa autem argénti talénta eſſe quadringénta, & auri ducénta.

℟. *ij.* Hi qui Eleázarum ducébant, *p.* 306.

Lectio III. *v.* 14. *ad* 21.

Conſtitútâ autem die, intrábat de his Heliodórus ordinatúrus. Non módica verò per univérſam civitátem erat trepidátio. Sacerdótes autem ante altáre cum ſtolis ſacerdotálibus jactavérunt ſe, & invocábant de cœlo eum qui de depóſitis legem póſuit, ut his qui deposúerant ea, ſalva cuſtodiret. Jam verò qui vidébat Summi Sacerdótis vultum, mente vulnerabátur: fácies enim & color immutátus declarábat intérnum ánimi dolórem. Circumfúſa enim erat mœſtítia quædam viro, & horror córporis, per quem maniféſtus aſpiciéntibus dolor cordis ejus efficiebátur. Alii étiam gregátim de dómibus confluébant, públicâ ſupplicatióne obſecrántes pro eò quòd in contémptum locus eſſet ventúrus. Accinctǽque mulíeres ciliciis pectus, per platéas confluébant: ſed & vírgines quæ conclúſæ erant, procurrébant ad Oníam, áliæ autem ad muros, quædam verò per feneſtras aſpiciébant; univérſæ autem protendéntes manus in cœlum, deprecabántur. Erat enim míſera commíſtæ multitúdinis & magni Sacerdótis in agóne conſtitúti expectátio.

℟. *iij.* Eleázarus vitâ, *p.* 307.

FERIA QUARTA.

De Libro ſecundo Machabæórum.

Lectio I. *c.* 3. *v.* 22. *ad* 26.

INvocábant omnipoténtem Deum, ut crédita ſibi, his qui credíderant, cum omni integritáte conſervaréntur. Heliodórus autem, quod decréverat, perficiébat eódem loco, ipſe cum ſatellítibus circa æráriū præſens. Sed Spíritus omnipoténtis Dei magnam fecit ſuæ oſtenſiónis evidéntiam: ità ut omnes qui auſi fúerant parére ei, ruéntes Dei virtúte, in diſſolutiónem & formídinem converteréntur. Appáruit enim illis quidam equus terríbilem habens ſeſſórem, óptimis operiméntis adornátus: íſque cum ímpetu, Heliodóro prióres calces eliſit. Qui autem ei ſedébat, videbátur arma habére aúrea. Alii étiam apparuérunt duo júvenes virtúte decóri, óptimi glóriâ, ſpecioſíque amíctu, qui circumſtetérunt eum, & ex utráque parte flagellábant, ſinè intermiſſióne multis plagis verberántes.

℟. *j.* Supra, *p.* 307.

Lectio II. *v.* 27. *ad* 30.

SUbitò autem Heliodórus cóncidit in terram; eúmque multâ calígine circumfúſum rapuérunt, atque in ſella geſtatória póſitum ejecérunt. Et is qui cum multis curſóribus & ſatellítibus prædíctū ingréſſus eſt ærárium, portabá-

tur, nullo ſibi auxílium feréute, maniféſtâ Dei cógnitâ virtúte: & ille quidem per divínam virtútem jacébat mutus, atque omni ſpe & ſalúte privátus. Hi autem Dóminum benedicébant, quia magnificábat locum ſuum: & templum quod paulò antè timóre ac tumúltu erat plenum, apparénte omnipoténte Dómino, gaúdio & lætítiâ implétum eſt.

℟. *ij.* Adoleſcéntior mundus óbiit, *p.* 308.

LECTIO III. *v.* 31. *ad* 34.

TUnc verò ex amícis Heliodóri quida.ı rogábant confeſtim Oníam, ut invocáret Altíſſimum, ut vitam donáret ei, qui in ſuprémo ſpíritu erat conſtitútus. Consíderans autem Summus Sacérdos, ne fortè Rex ſuſpicarétur malítiam áliquam ex Judǽis circa Heliodórum conſummátam, óbtulit pro ſalúte viri hóſtiam ſalutárem. Cúmque Summus Sacérdos exoráret, iídem júvenes eíſdē véſtibus amícti aſtántes, Heliodóro dixérunt: Oníæ Sacerdóti grátias age: nam propter eum Dóminus tibi vitam donávit. Tu autem à Deo flagellátus, núntia ómnibus magnália Dei & poteſtátem. Et hisdíctis, non comparuérunt.

℟. *iij.* Cùm ipſe Antíochus jam fetórem ſuum ferre non poſſet, ità ait: * Juſtum eſt súbditum eſſe Deo, & *mortálem non* pária Deo ſentíre. 2. *Mach.* 9. 12. ℣. Reprobatus eſt; non enim invénit pœniténtiæ locum. *Hebr.* 12. 17. * Juſtum. Glória. * Juſtum.

FERIA QUINTA.

De Libro ſecúndo Machabæórum.

LECTIO I. *c.* 3. *v.* 35. *ad fin.*

HEliodórus, hóſtiá Deo oblátâ, & votis magnis promíſſis ei qui vívere illi concéſſit, & Oníæ grátias agens, recépto exércitu, repedábat ad Regem. Teſtabátur autem ómnibus ea quæ ſub óculis ſuis víderat ópera magni Dei. Cùm autem Rex interrogáſſet Heliodórum, quis eſſet aptus adhuc ſemel Jeroſólymam mitti, ait: Si quem habes hoſtem, aut regni tui inſidiatórem, mitte illuc; & flagellátum eum recípies, ſi tamen eváſerit: eò quòd in loco ſit verè Dei quædam virtus. Nam ipſe qui habet in cœlis habitatiónem, viſitátor & adjútor eſt loci illíus, & veniéntes ad malefaciéndum pércutit ac perdit. Igitur de Heliodóro & ærárii cuſtódia, ità ſe res habet.

℟. *j.* Appáruit, *p.* 304.

LECTIO II. *c.* 4. *v.* 1. *ad* 6.

SImon autem prædíctus pecuniárum & pátriæ delátor, malè loquebátur de Onía, tanquam ipſe Heliodórum inſtigáſſet ad hæc, & ipſe fuiſſet incéntor malórum: proviſorémque civitátis, ac defensórem gentis ſuæ, & æmulatórem legis Dei,

Dei, audébat inſidiatórem regni dícere. Sed, cùm inimicítiæ in tantùm procéderent, ut étiam per quoſdam Simónis neceſsários homicídia fierent, consíderans Onías perículum contentiónis, & Apollónium inſaníre, utpotè ducem Cœleſýriæ & Phœnícis, ad augéndam malítiam Simónis, ad Regem ſe cóntulit, non ut cívium accusátor, ſed commúnem utilitátem apud ſemetípſum univérſæ multitúdinis consíderans. Vidébat enim ſinè regáli providéntia impoſsíbile eſſe pacē rebus dari, nec Simónem poſſe ceſsáre à ſtultítia ſua.

℟. *ij*. Alii, *p*. 305.

Lectio III. *v. 7. ad* 11.

SEd poſt Seleúci vitæ excéſſum, cùm ſuſcepíſſet regnum Antíochus qui Nóbilis appellabátur, ambiébat Jaſon frater Oníæ ſummum Sacerdótium, ádito Rege, promíttens ei argénti taléṅta trecénta ſexagínta, & ex redditíbus áliis talénta octogínta. Super hæc, promittébat & ália centum quinquagínta, ſi poteſtáti ejus concederétur gymnáſium & ephébiam ſibi conſtitúere, & eos qui in Jerosólymis erant, Antiochénos ſcríbere. Quod cùm Rex annuíſſet, & obtinuíſſet principátum, ſtatim ad Gentílem ritum contríbules ſuos transférre cœpit. Et amótis his quæ humanitátis causâ Judǽis à Régibus fúerant conſtitúta, per Joánnem patrem Eupolémi, qui apud Romános de amicítia & ſocietáte functus eſt legatióne, legítima cívium jura deſtítuens, prava inſtitúta ſanciébat.

℟. *iij*. Repedábat, *p*. 305.

FERIA SEXTA.

De Libro ſecúndo Machabæórum.

Lectio I. *c. 5. v. 5. ad* 10.

CUm falſus rumor exíſſet, tanquam vitâ exceſsíſſet Antíochus, aſsúmptis Jaſon non minùs mille viris, repéntè aggréſſus eſt civitátem: & cívibus ad murum convolántibus, ad últimùm apprehénsâ civitáte, Menélaüs fugit in arcem: Jaſon verò non parcébat in cæde cívibus ſuis, nec cogitábat proſperitátem advérsùm cognátos malum eſſe máximum, árbitrans hóſtium & non cívium ſe tropǽa captúrum. Et principátum quidem non obtínuit: finem verò inſidiárum ſuárum confuſiónem accépit, & prófugus íterùm ábiit in Ammaníten. Ad últimùm, in exítium ſuî conclúſus ab Aréta Arabum tyránno, fúgiens de civitáte in civitátem, ómnibus odióſus, ut réfuga legum & execrábilis, ut pátriæ & cívium hoſtis, in Ægýptum extrúſus eſt. Et qui multos de pátria ſua expúlerat, péregrè périit, Lacedǽmonas profectus,

quaſi pro cognatióne ibi refúgium habitúrus. Et qui inſepúltos multos abjécerat, ipſe & illamentátus, & inſepúltus abjícitur, ſepultúrâ neque peregrinâ uſus, neque pátrio ſepúlcro partícipans.

℟. *j.* Eleázarus, *p.* 306.

LECTIO II. *v.* 11. *ad* 16.

HIs ítaque geſtis, ſuſpicátus eſt Rex ſocietátem deſertúros Judǽos: & ob hoc proféctus ex Ægýpto efferátis ánimis, civitátem quidem armis cepit. Juſſit autem milítibus interfícere, nec párcere occursántibus, & per domos aſcendéntes trucidáre. Fiébant ergo cædes júvenum ac ſeniórum, & mulíerum & natórum extermínia, virginúmque & parvulórum neces. Erant autem toto tríduo octogínta míllia interfécti, quadragínta míllia vincti, non minùs autem venúndati. Sed nec iſta ſufficiunt: auſus eſt étiam intráre templum univérsâ terrâ sánctius, Menélao ductóre, qui legum & pátriæ fuit próditor. Et ſceléſtis mánibus ſumens ſancta vaſa quæ ab áliis régibus & civitátibus erant pósita ad ornátum loci & glóriam, contrectábat indignè, & contaminábat.

℟. *ij.* Hi qui, *p.* 306.

LECTIO III. *c.* 6. *v.* 1. *ad* 6.

SEd non poſt multùm témporis, miſit Rex ſenem quemdam Antiochénum, qui compélleret Judǽos ut ſe transférrent à pátriis & Dei légibus: contamináre étiam quod in Jeroſólymis erat templum, & cognomináre Jovis Olýmpii: & in Gárizim, próut erant hi qui locum inhabitábant, Jovis Hoſpitális. Péſſima autem & univérſis gravis erat malórum incúrſio: nam templum luxúriâ & commeſſatiónibus Géntium erat plenum, & ſcortántium cum meretrícibus: ſacratíſque ǽdibus mulíeres ſe ultrò ingerébant, intrò feréntes ea quæ non licébat. Altáre étiam plenum erat illícitis, quæ légibus prohibebántur. Neque autem Sábbata cuſtodiebántur, neque dies ſolémnes pátrii ſervabántur, nec ſimplíciter Judǽum ſe eſſe quiſquam confitebátur.

℟. *iij.* Eleázarus vitâ, *p.* 307.

SABBATO.

De Libro ſecúndo Machabæórum.

LECTIO I. *c.* 6. *v.* 18. *ad* 22.

ELeázarus, unus de primóribus Scribárum, vir ætáte provéctus, & vultu decórus, apérto ore hians compellebátur carnem porcínam manducáre. At ille glorioſíſſimam mortem, magis quàm odíbilem vitam, compléctens, voluntàriè præíbat ad ſupplícium. Intuens autem quemádmodum oportéret accédere, patiénter ſúſtinens, deſti-

návit non admíttere illícita propter vitæ amórem. Hi autem qui àſtábant, iníquâ miſeratióne commóti, propter antíquam viri amicítiam, tolléntes eum ſecrétò, rogábant afférri carnes quibus veſci ei licébat, ut ſimularétur manducáſſe, ſicut Rex imperáverat, de ſacrificii cárnibus: ut, hoc facto, à morte liberarétur: & propter véterem viri amicítiam, hanc in eo faciébant humanitátem.

Si ſiat de Sabbato, duo priora ℟℟. *è III. Nocturno Dom. præced.*

Lectio II. *v.* 23. *ad* 28.

At ille cogitáre cœpit ætátis ac ſenectútis ſuæ eminéntiam dignam, & ingénitæ nobilitátis canítiem, atque à púero óptimæ converſatiónis actus: & ſecúndùm ſanctæ & à Deo cónditæ Legis conſtitúta, reſpóndit citò, dicens præmítti ſe velle in inférnum: Non enim ætáti noſtræ dignum eſt, inquit, fíngere: ut multi adoleſcéntium, arbitrántes Eleázarum nonagínta annórum, tranſíſſe ad vitam alienigenárum: & ipſi propter meã ſimulatiónem, & propter módicum corruptíbilis vitæ tempus, decipiántur: & per hoc, máculam atque execratiónem meæ ſenectúti conquíram. Nam etſi in præſénti témpore ſupplíciis hóminũ erípiar, ſed manum Omnipoténtis, nec vivus, nec defúnctus effúgiam. Quamóbrem fórtiter vitâ excedéndo, ſenectúte quidem dignus apparébo: adoleſcéntibus autem exémplum forte relínquam, ſi prompto ánimo, ac fórtiter, pro graviſſimis ac ſanctiſſimis légibus, honéſtâ morte perfúngar. His dictis, conféſtim ad ſupplícium trahebátur.

Lectio III. *v.* 29. *ad finem.*

Hi autem qui eùm ducébant, & pauló antè ſúerant mitióres, in iram convérſi ſunt, propter ſermónes ab eo dictos, quos illi per arrogántiam prolátos arbitrabántur. Sed cùm plagis perimerétur, ingémuit, & dixit: Dómine, qui habes ſanctam ſciéntiam, maniféſtè tu ſcis, quia, cùm à morte poſſem liberári, duros córporis ſuſtíneo dolóres: ſecúndùm ánimam verò, propter timórem tuum libénter hæc pátior. Et iſte quidem hoc modo vitâ decéſſit, non ſolùm juvénibus, ſed & univérſæ genti memóriam mortis ſuæ, ad exémplum virtútis & fortitúdinis, derelínquens.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. a. Si nobis, propter increpatiónem & correptiónem, Dóminus Deus noſter módicùm irátus eſt, ſed íterùm reconciliábitur ſervis ſuis. 2. *Mach.* 7. 33.

Oratio de Laudibus Dominicæ ſequentis.

DOMINICA XXV. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

De Libro ſecúndo Machabæórum.

LECTIO I. *c.* 7. *v.* 1. *ad* 6.

CONtigit & ſeptem fratres unà cum matre ſua apprehénſos, compélli à Rege édere contra fas carnes porcínas, flagris & taúreis cruciátos. Unus autem ex illis, qui erat primus, ſic ait: Quid quæris, & quid vis diſcere à nobis? Paráti ſumus mori, magìs quàm pátrias Dei leges prævaricári. Irátus ítaque Rex, juſſit ſartágines & ollas ǽneas ſuccéndi: quibus ſtatim ſuccénſis, juſſit ei qui prior fúerat locútus, amputári linguam: &, cute cápitis abſtráctâ, ſummas quoque manus & pedes ei præſcíndi, cœ́teris ejus frátribus & matre inſpiciéntibus. Et, cùm jam per ómnia inútilis factus eſſet, juſſit ignem admovéri, & adhuc ſpirántem torréri in ſartágine: in qua cùm diu cruciarétur, cœ́teri unà cum matre ínvicem ſe hortabántur mori fórtiter, dicéntes: Dóminus Deus aſpíciet veritátem & conſolábitur in nobis, quemádmodum in proteſtatióne Cántici declarávit Móyſes: Et in ſervis ſuis conſolábitur.

℟. *j.* Appáruit quidam equus terríbilem habens ſeſſórem, óptimis operiméntis *adornátus*: * Iſque cum ímpetu, Heliodóro prióres calces eliſit. 2. *Mach.* 3. 25. ℣. Date locum iræ; ſcriptum eſt enim: Mihi vindícta; ego retríbuam. *Rom.* 12. 19. * Iſque.

LECTIO II. *v.* 7. *ad* 12.

MOrtuo ítaque illo primo, hoc modo ſequéntem deducébant ad illudéndum: & cute cápitis ejus cum capíllis abſtráctâ, interrogábant, ſi manducáret priùs quàm toto córpore per membra síngula punirétur. At ille reſpóndens pátriâ voce, dixit: Non fáciam. Propter quòd & iſte, ſequénti loco, primi torménta ſuſcépit: & in último ſpíritu conſtitútus, ſic ait: Tu quidem, ſceleſtíſſime, in præſénti vita nos perdis: ſed Rex mundi defúnctos nos pro ſuis légibus in ætérnæ vitæ reſurrectióne ſuſcitábit. Poſt hunc tértius illúditur: & linguam poſtulátus citò prótulit, & manus conſtánter exténdit: & cum fidúcia ait: E cœlo iſta poſsídeo, ſed propter Dei leges nunc hæc ipſa deſpício, quóniam ab ipſo me ea receptúrum ſpero. Ità ut Rex & qui cum ipſo erant, miraréntur adoleſcéntis ánimum, quòd tanquam níhilum dúceret cruciátus.

℟. *ij.* Alii apparuérunt duo júvenes virtúte decóri, óptimi glóriâ, ſpecioſíque amíctu, qui * Circumſtetérunt Heliodórum, & ex

utráque parte flagellábant. 2. *Mach.* 3. 26. ℣. Facit Deus Angelos ſuos Spíritus, & Miníſtros ſuos flammam ignis. *Hebr.* 1. 7. * Circumſtetérunt.

LECTIO III. *v.* 13. *ad* 19.

ET hoc ità defúncto, quartum vexábant ſimíliter torquéntes. Et cùm jam eſſet ad mortem, ſic ait: Pótiùs eſt ab homínibus morti datos ſpem expectáre à Deo, iterùm ab ipſo reſuſcitándos: tibi enim reſurréctio ad vitam non erit. Et cùm admovíſſent quintum, vexábant eum. At ille reſpíciens in eum, dixit: Poteſtátem inter hómines habens, cùm ſis corruptíbilis, facis quod vis: noli autem putáre genus noſtrum à Deo eſſe derelíctum. Tu autem patiénter súſtine: & vidébis magnam poteſtátem ipsíus, quáliter te & ſemen tuum torquébit. Poſt hunc ducébant ſextum: & is mori incípiens, ſic ait: Noli fruſtrà erráre: nos enim propter noſmetípſos hæc pátimur, peccántes in Deum noſtrum, & digna admiratióne facta ſunt in nobis: tu autem ne exíſtimes tibi impúnè futúrum, quòd contra Deum pugnáre tentáveris.

℟. *iij.* Repedábat ad Regem Heliodórus; * Teſtabátur autem ómnibus ea quæ ſub óculis ſuis víderat ópera magni Dei. 2. *Mach.* 3. 35. 36. ℣. Narrábat per síngula quæ Deus fecíſſet. *Act.* 21. 19. * Teſtabátur. Glória. * Teſtabátur.

IN II. NOCTURNO.

De Libro Sapiéntiæ.

LECTIO IV. *c.* 5. *v.* 1. *ad* 7.

STabunt juſti in magna conſtántia, advérsùs eos qui ſe anguſtiavérunt, & qui abſtulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili: & mirabúntur in ſubitatióne inſperátæ ſalútis, dicéntes intra ſe, pœniténtiam agéntes, & præ angúſtia ſpíritûs geméntes: Hi ſunt quos habúimus aliquándo in derísum, & in ſimilitúdinem impropérii. Nos inſensáti vitam illórum æſtimabámus insániam, & finem illórum ſinè honóre: ecce quómodo computáti ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illórum eſt! Ergo errávimus à via veritátis, & juſtítiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligéntiæ non eſt ortus nobis. Laſsáti ſumus in via iniquitátis & perditiónis, & ambulávimus vias difficiles: viam autem Dómini ignorávimus.

℟. *iv.* Eleázarus glorioſíſſimam mortem magis quàm odíbilem vitam compléctens, * Voluntáriè præíbat ad ſupplícium. 2. *Mach.* 6. 19. ℣. Conféſſus bonam confeſſiónem coram multis téſtibus. 1. *Tim.* 6. 12. * Voluntáriè.

rio V. *v.* 8. *ad* 11.
id nobis próſuit ſu-
perbia ? aut divitiárum
itia quid cónſulit no-
Tranſiérunt ómnia il-
tanquam umbra, &
nam núntius percúr-
, & tanquam navis quæ
tránſit fluctuántem aquâ,
us, cùm præteríerit, non
veſtígium invenire, ne-
e ſémitam carínæ illíus in
ictibus; aut tanquam avis
uæ tránſvolat in áere, cu-
is nullum invenítur argu-
méntum itíneris, ſed tan-
tùm ſónitus alárum vérbe-
rans levem ventum, & ſcin-
dens per vim itíneris, áerem.

℟. *v.* Hi qui Eleázarum ducébant, & paulò antè fúerant mitióres, * In iram convérſi ſunt, propter ſermónes ab eo dictos. 2. *Mach.* 6. 29. ℣. Diſſecabántur córdibus ſuis, & ſtridébant déntibus in eum. *Act.* 7. 54. * In iram.

Lectio VI. *v.* 14. *ad* 17.

Talia dixérunt in inférno hi qui peccavérunt, quóniam ſpes ímpii tanquam lanúgo eſt quæ à vento tóllitur, & tanquam ſpuma grácilis quæ à procélla diſpérgitur, & tanquam fumus qui à vento diffúſus eſt, & tanquam memória hóſpitis uníus diéi prætereúntis. Juſti autem in perpétuum vivent: & apud Dóminum eſt merces eórum, & cogitátio illórum apud Altíſſimum. Ideò accípient regnum decóris, & diadéma ſpeciéi de manu Dómini: quóniam déxterâ ſuâ teget eos, & bráchio ſancto ſuo defendet illos.

℟. *vj.* Eleázarus vitâ decéſſit, non ſolùm juvénibus, ſed & univérſæ genti, * Memóriam mortis ſuæ, ad exémplum virtútis & fortitúdinis, derelínquens. 2. *Mach.* 6. 31. ℣. Obdormívit in Dómino. *Act.* 7. 59. * Memóriam. Glória. * Memóriam.

IN III. NOCTURNO.

Sermo ſancti Gregórii Nazianzéni.

Orat. 22.

Lectio VII.

Ibi fortes & magnánimi filii, generóſæ matris generóſa ſóboles, glorióſi veritátis propugnatóres, Antíochi tempóribus excelſióres, veri Moſáicæ Legis diſcípuli, paternórum rituum obſervantíſſimi, númerus apud Hebræos laudábilis, & propter ſeptenáriæ quiétis myſtérium venerábilis, unum ſpirántes, unum ſectántes, unum illud ad vitam iter agnoſcéntes, ut mortem Dei causâ ſuſcíperent: non minùs ánimis fratres, quàm corpóribus; inter ſe mutuæ mortis æmuli. O rem admirándam! Torménta quaſi theſáuros prærìpiéntes, pro magiſtra Lege perícula ſubeúntes, illáta non magis formidántes quàm quæ ſupérerant requiréntes; unum illud vériti, ne tyránnus à pœnis deſiſteret, ne quis ig-

sórum ſinè corónæ prǽmio diſcéderet, ne invíti fratres álii ab álio ſejungeréntur, & ne in eo diſcrímine, cruciátibus erépti, malâ victóriâ ſuperárent.

℞. *vij.* Supra modum mater mirábilis, & bonórum memóriâ digna, * Quæ pereúntes ſeptem filios ſub uníus diéi témpore conſpíciens, bono ánimo ferébat. 2. *Mach.* 7. 20. ℣. Expectábat fundaménta habéntem civitátem, cujus ártifex & cónditor Deus. *Hebr.* 11. 10. * Quæ.

LECTIO VIII.

Erat ibi fortis & generóſa mater, puerórum ſimul ac Dei amans, cujus matérna víſcera ſupra natúræ conſuetúdinem dilaniabántur. Non enim filiórum qui in torméntis erant, miſerebátur: ſed timóre angebátur, ne non ea ſuſcíperent: neque magis eos qui è vita migráverant, deſiderábat, quàm precabátur ut réliqui cum illis conjungeréntur; de quibus filiis, magis quàm de mórtuis erat ſollícita. Horum enim dúbium erat certámen: at illórum ſecúrus vitæ éxitus. Atque illos quidem jam Deo adjúnxerat: de his verò quómodo Deus eos ſuſcíperet laborábat. O virílem ánimum in córpore mulíebri! O admirábile magni ánimi increméntum!

℞. *viij.* Adoleſcéntior mundus óbiit, per ómnia in Dómino confídens: * Noviſſimè autem poſt filios, & mater consúmpta eſt. 2. *Mach.* 7. 40. 41. ℣. Diſténti ſunt, non ſuſcipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent reſurrectiónem. *Hebr.* 11. 35. * Noviſſimè.

Si hæc Dominica ſit ultima poſt Pentecoſten, Evangelium cum Homilia & Reſponſorio, itémque Antiphona ad Benedictus *&* ad Magníficat *cum Oratione, ſumentur è Dom. VI. quæ ſuperfuit poſt Epiph. infrà.*

Si ſint XXVI. Dom. poſt Pent. prædicta hodie ſumentur è Dom. V. quæ ſuperfuit poſt Epiph. & Dom. ſequenti, XXVI. ſcilicet, è Dom. VI. poſt Epiphaniam.

Si ſint XXVII. Dom. poſt Pent. prædicta hodie ſumentur è Dom. IV. quæ ſuperfuit poſt Epiph. Dom. ſequenti è Dom. V. & Dom. XXVII. è Dom. VI. quæ ſuperfuit poſt Epiph.

Si verò ſint XXVIII. Dom. poſt Pentecoſten, prædicta hodie ſumentur è Dominica III. quæ ſuperfuit poſt Epiph. Dom. ſequenti è Dom. IV. Dom. XXVII. è Dom. V. & Dom. XXVIII. è Dom. VI. quæ ſuperfuit poſt Epiphaniam.

FERIA SECUNDA.

De Libro ſecúndo Machabæórum.

LECTIO I. *c.* 7. *v.* 20. *ad* 24.

Supra modum mater mirábilis, & bonórum memóriâ digna, quæ pereún-

...s ſub unius
... conſpiciens,
...erébat, prop-
...am in Deum
...ngulos illórum
...voce pátriâ fór-
...ta ſapiéntiâ: &
...gitatióni maſcu-
...imum inſerens,
...eos: Néſcio quá-
...tero meo apparuíſ-
...que enim ego ſpí-
...& ánimam donávi
...c vitam, & ſinguló-
...membra non ego ipſa
...egi; ſed enim mundi
...or qui formávit hó-
...s nativitátem, quíque
...ium invénit oríginem,
ſpíritum vobis iterùm
...n miſericórdia reddet &
...am, ſicut nunc voſmetíp-
...s deſpícitis propter leges
...us. Antíochus autem, con-
...émni ſe arbitrátus, ſimul
& exprobrántis voce deſ-
péctâ, cùm adhuc adoleſ-
céntior ſupereſſet, non ſo-
lùm verbis hortabátur, ſed
& cum juraménto affirmá-
bat, ſe dívitem & beátum
factúrum, & tranſlátum à
pátriis légibus amícum ha-
bitúrum, & res neceſsárias
ei præbitúrum.

℟. j. Appáruit, p. 316.

Lectio II. v. 25. ad 29.

SEd ad hæc cùm adoléſcens nequáquàm inclinarétur, vocávit Rex matrem, & ſuadébat ei ut adoleſcénti fieret in ſalútem. Cùm autem multis eam verbis eſſet hortátus, promiſit ſuaſuram ſe filio ſuo. Itaque inclináta ad illum, irrídens crudélem tyránnum, ait pátriâ voce: Fili mi, miſerére meî quæ te in útero novem ménſibus portávi, & lac triénnio dedi & álui, & in ætátem iſtam perdúxi. Peto, nate, ut aſpícias ad cœlum & terram, & ad ómnia quæ in eis ſunt: & intélligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hóminum genus. Ità fiet, ut non tímeas carníficem iſtum: ſed dignus frátribus tuis efféctus párticeps, súſcipe mortem, ut in illa miſeratióne cum frátribus tuis te recípiam.

℟. ij. Alii, p. 316.

Lectio III. v. 30. ad 41.

CUm hæc illa adhuc díceret, ait adoléſcens: Quem ſuſtinétis? Non obédio præcépto Regis, ſed præcépto Legis quæ data eſt nobis per Moyſen. Tu verò qui invéntor omnis malítiæ factus es in Hebræos, non effúgies manum Dei. Nos enim pro peccátis noſtris hæc pátimur. Et ſi nobis propter increpatiónem & correptiónē Dóminus Deus noſter módicùm irátus eſt, ſed iterùm reconciliábitur ſervis ſuis. Tu autem, ô ſceléſte, & ómnium hóminum flagitioſíſſime! nol...
fruſtrà extólli vanis ſpeb...
in ſervos ejus inflammát...
Nondùm enim omnipoté...
tis Dei & ómnia inſpicié...
judícium effugíſti. Nam...
tres mei, módico nunc...

lóre ſuſtentáto, ſub teſtaménto ætérnæ vitæ effécti ſunt: tu verò judício Dei juſtas ſupérbiæ tuæ pœnas exſólves. Ego autem, ſicut & fratres mei, ánimam & corpus meum trado pro pátriis légibus, ínvocans Deum matúriùs genti noſtræ propítium fieri, téque cum torméntis & verbéribus confitéri quòd ipſe eſt Deus ſolus. In me verò & in frátribus meis défínet Omnipoténtis ira, quæ ſuper omne genus noſtrum juſtè ſuperdúcta eſt. Tunc Rex accénſus irâ, in hunc ſuper omnes crudéliùs desǽvit, indígnè ferens ſe deriſum. Et hic ítaque mundus óbiit, per ómnia in Dómino confídens. Noviſſimè autem poſt fílios, & mater conſúmpta eſt.

℟. *iij.* Repedábat, *p.* 317.

FERIA TERTIA.

De Libro ſecúndo Machabæórum.

LECTIO I. *c.* 9. *v.* 1. *ad* 6.

Antíochus inhonéſtè revertebátur de Pérſide. Intráverat enim in eam quæ dícitur Perſépolis, & tentávit expoliáre templum, & civitátem opprímere: ſed multitúdine ad arma concurrénte, in fugam verſi ſunt: & ità cóntigit ut Antíochus poſt fugam túrpiter redíret. Et cùm veníſſet circa Ecbátanam, recognóvit quæ erga Nicánorem & Timótheum geſta ſunt. Elátus autem in ira, arbitrabátur ſe injúriam illórum qui ſe fugáverant, poſſe in Judǽos retorquére: ideóque juſſit agitári currum ſuum, ſinè intermiſſióne agens iter, cœléſti eum judício perurgénte, eò quòd irà ſupérbè locútus eſt ſe ventúrum Jerosólymam, & congériem ſepúlcri Judæórum eam factúrum. Sed qui univérſa cónſpicit Dóminus Deus Iſraël, percúſſit eum inſanábili & inviſíbili plagâ. Ut enim finívit hunc ipſum ſermónem, apprehéndit eum dolor dirus víſcerum, & amára intermórum torménta, & quidem ſatis juſtè, quippe qui multis & novis cruciátibus aliórum tórſerat víſcera, licèt ille nullo modo à ſua malítia ceſsáret.

℟. *j.* Eleázarus, *p.* 317.

LECTIO II. *v.* 7. *ad* 12.

Super hoc autem ſupérbiâ replétus, ignem ſpirans ánimo in Judǽos, & præcípiens accelerári negótium, cóntigit illum ímpetu eúntem de curru cádere, & gravi córporis colliſióne membra vexári. Iſque qui ſibi videbátur étiam flúctibus maris imperáre, ſupra humánum modum ſupérbiâ replétus, & móntium altitúdines in ſtatéra appéndere, nunc humiliátus ad terram, in geſtatório portabátur, maniféſtam Dei virtútem in ſemetípſo contéſtans: ità ut de córpore ímpii, vermes ſcaturírent, ac vivéntis in dolóribus carnes ejus ef-

flúerent, odóre étiam illíus & fætóre exércitus gravarétur. Et qui pauló antè sídera cœli contíngere ſe arbitrabátur, eum nemo póterat propter intolerántiam fetóris portáre. Hinc ígitur cœpit ex gravi ſupérbia dedúctus, ad agnitiónem ſuî veníre, divínâ admónitus plagâ, per moménta ſíngula dolóribus ſuis augménta capiéntibus. Et cùm nec ipſe jam fœtórem ſuum ferre poſſet, ità ait: Juſtum eſt súbditum eſſe Deo, & mortálem non pária Deo ſentíre.

℟. *ij.* Hi qui, *p.* 318.

LECTIO III. *v.* 13. *ad* 17.

ORábat autem hic ſceléſtus Dóminum, à quo non eſſet miſericórdiam conſecutúrus. Et civitátem ad quam feſtínans veniébat, ut eam ad ſolum dedúceret ac ſepúlcrum congeſtórum fáceret, nunc optat líberam réddere: & Judǽos, quos nec ſepultúrâ quidem ſe dignos habitúrum, ſed ávibus ac feris diripiéndos traditúrum, & cum párvulis exterminatúrum díxerat, æquáles nunc Atheniénſibus factúrum pollicétur: templum étiam ſanctum quòd priùs expoliáverat, óptimis donis ornatúrum: & ſancta vaſa multiplicatúrum, & pertinéntes ad ſacrifícia ſumptus de rédditibus ſuis præſtatúrum: ſuper hæc, & Judǽum ſe *futúrum*, & omnem locum terræ perambulatúrum, & prædicatúrum Dei poteſtátem.

℟. *iij.* Eleázarus vitâ, *p.* 318.

FERIA QUARTA.

De Libro ſecúndo Machabæórum.

LECTIO I. *c.* 9. *v.* 18. *ad* 22.

NOn ceſſántibus dolóribus, (ſupervénerat enim in eum juſtum Dei judícium,) Antíochus deſpérans ſcripſit ad Judǽos, in modum deprecatiónis, epíſtolam hæc continéntem: Optimis cívibus Judǽis, plúrimam ſalútem, & bene valére, & eſſe felíces, Rex & princeps Antíochus. Si benè valétis, & fílii veſtri, & ex ſenténtia vobis cuncta ſunt, máximas ágimus grátias. Et ego in infirmitáte conſtitútus, veſtrî autem memor benignè, revérſus de Perſidis locis, & infirmitáte gravi apprehénſus, neceſſárium duxi pro communi utilitáte curam habére, non deſpérans memetipſum, ſed ſpem multam habens effugiéndi infirmitátem.

℟. *j.* Supra, *p.* 319.

LECTIO II. *v.* 23. *ad* 25.

REſpíciens autem quòd & pater meus, quibus tempóribus in locis ſuperióribus ducébat exércitum, oſténdit qui poſt ſe ſuſcíperet principátum: ut ſi quid contrárium accíderet, aut difficile nuntiarétur, ſciéntes hi qui in regiónibus erant cui eſſet rerum ſumma

derelícta, non turbaréntur. Ad hæc conſiderans, de próximo poténtes quoſque & vicínos tempóribus inſidiántes, & evéntum expectántes, deſignávi filium meum Antíochum Regem, quem ſæpè recúrrens in ſuperióra regna, multis veſtrûm commendábam : & ſcripſi ad eum quæ ſubjécta ſunt.

℟. *ij.* Adoleſcéntior, *p.* 319.

Lectio III. *v.* 26. *ad fin.*

ORo ítaque vos & peto, mémores beneficiórum públicè & privátim, ut unuſquíſque consérvet fidem ad me & ad filium meum. Confído enim eum, modéſtè & humánè actúrum, & ſequéntem propóſitum meum, & commúnem vobis fore. Igitur homicída & blaſphémus péſſimè percúſſus, & ut ipſe álios tractáverat, péregrè in móntibus miſerábili óbitu vitâ functus eſt. Transferébat autem corpus Philíppus collactáneus ejus, qui métuens fílium Antiochi, ad Ptolemæum Philometórem in Ægýptum ábiit.

℟. *iij.* Cùm ipſe Antíochus jam fetórem ſuum ferre non poſſet, ità ait : * Juſtum eſt ſúbditum eſſe Deo, & mortálem non pária Deo ſentíre. 2. *Mach.* 9. 12. ℣. Reprobátus eſt ; non enim invénit pœniténtiæ locum. *Hebr.* 12. 17. * Juſtum eſt. Glória. * Juſtum eſt.

FERIA QUINTA.

De Libro ſecúndo Machabæórum.

Lectio I. *c.* 10. *v.* 1. *ad* 6.

MAchabæus autem, & qui cum eo erant, Dómino ſe protegénte, templum quidem & civitátem recépit : aras autem quas alienígenæ per platéas extrúxerant, itémque delúbra demolítus eſt. Et purgáto templo, áliud altáre fecérunt : & de ignitis lapídibus igne concépto, ſacrifícia obtulérunt poſt biénnium ; & incénſum, & lucérnas, & panes propoſitiónis poſuérunt. Quibus geſtis, rogábant Dóminum proſtráti in terram, ne ampliùs tálibus malis incíderent : ſed & ſi quando peccáſſent, ut ab ipſo mítiùs corriperéntur, & non bárbaris ac blaſphémis homínibus traderéntur. Quâ die autem templum ab alienígenis pollútum fúerat, contígit eâdem die purificatiónem fíeri, vigéſimâ quintâ menſis qui fuit Caſleu. Et cum lætítia diébus octo egérunt in modum tabernáculórum, recordántes quòd ante módicum témporis, diem ſolémnem tabernaculórum in móntibus & in ſpelúncis more beſtiárum égerant.

℟. *j.* Appáruit, *p.* 316.

Lectio II. *v.* 7. *ad* 12.

PRopter quòd thyrſos, & ramos vírides, & palmas præferébant ei qui proſperávit mundári locum

ſuum. Et decrevérunt commúni præcépto & decréto, univérſæ genti Judæórum, ómnibus annis ágere dies iſtos. Et Antíochi quidem, qui appellátus eſt Nóbilis, vitæ excéſſus ità ſe hábuit. Nunc autem de Eupatóre Antíochi ímpii filio, quæ geſta ſunt narrábimus, breviántes mala quæ in bellis geſta ſunt. Hic enim ſuſcépto regno, conſtítuit ſuper negótia regni Lýſiam quemdam, Phœ́nicis & Sýriæ milítiæ príncipem. Nam Ptolemǽus, qui dicebátur Macer, juſti tenax erga Judǽos eſſe conſtítuit, & præcípuè propter iniquitátem quæ facta erat in eos, & pacíficè ágere cum eis.

℞. ij. Alii, p. 316.

LECTIO III. c. 11. v. 7. ad 15.

ET ipſe primus Machabǽus, ſumptis armis, cǽteros adhortátus eſt ſimul, ſecum perículum ſubíre, & ferre auxílium frátribus ſuis. Cúmque páriter prompto ánimo procéderent, Jeroſólymis appáruit præcédens eos eques in veſte cándida, armis áureis, haſtam vibrans. Tunc omnes ſimul benedixérunt miſericórdem Dóminum, & convaluérunt ánimis, non ſolùm hómines, ſed & béſtias ferocíſſimas, & muros férreos paráti penetráre. Ibant ígitur prompti, de cœlo habéntes adjutórem & miſerántem ſuper eos Dóminum. Leónum autem more, ímpetu irruéntes in hoſtes, proſtravérunt ex eis úndecim míllia péditum, & équitum mille ſexcéntos: univérſos autem in fugam vertérunt: plures autem ex eis vulneráti nudi evasérunt. Sed & ipſe Lýſias túrpiter fúgiens evâſit. Et quia non inſensátus erat, ſecum ipſe réputans factam erga ſe diminutiónem, & intélligens invíctos eſſe Hebrǽos omnipoténtis Dei auxílio inniténtes, miſit ad eos: promiſítque ſe conſensúrum ómnibus quæ juſta ſunt, & Regem compulsúrum amícum fieri. Annuit autem Machabǽus précibus Lýſiæ, in ómnibus utilitáti cónſulens: & quæcúmque Machabǽus ſcripſit Lýſiæ de Judǽis, ea Rex concéſſit.

℞. iij. Repedábat, p. 317.

FERIA SEXTA.

De Libro ſecúndo Machabæórum.

LECTIO I. c. 13. v. 1. ad 8.

ANno centéſimo quadragéſimo nono, cognóvit Judas Antíochum Eupatórem venire cum multitúdine advérsùs Judǽam, & cum eo Lýſiam procuratórem & præpóſitum negotiórum, ſecum habéntem péditum centum decem míllia, & équitum quinque míllia, & elephántos vigínti duos, currus cum fálcibus trecéntos. Commíſcuit autem ſe illis & Menélaüs: & cum multa fallácia deprecabátur Antíochum, non

pro pátriæ ſalúte, ſed ſperans ſe conſtitui in principátum. Rex regum ſuſcitávit ánimos Antiochi in peccatórem : & ſuggerénte Lýſiâ hunc eſſe cauſam ómnium malórum, juſſit, (ut eis eſt conſuetúdo,) apprehénſum in eódem loco necári. Erat autem in eódem loco turris quinquaginta cubitórum, aggéſtum úndique habens cíneris : hæc proſpéctum habébat in præceps. Inde in cínerem déjici juſſit ſacrílegum, ómnibus eum propelléntibus ad intéritum. Et tali lege prævaricatórem legis cóntigit mori, nec terræ dari Menélaüm. Et quidem ſatìs juſtè : nam quia multa erga aram Dei delícta commíſit, cujus ignis & cinis erat ſanctus, ipſe in cíneris morte damnátus eſt.

℞. *j.* Eleázarus, *p.* 317.

LECTIO II. *v.* 9. *ad* 12.

SEd Rex mente effrænátus veniébat, nequiórem ſe patre ſuo Judæis oſtensúrus. Quibus Judas cógnitis, præcépit pópulo ut die ac nocte Dóminum invocárent, quò, ſicut ſemper, & nunc adjuváret eos, quippe qui lege, & pátriâ, ſanctóque templo privári vereréntur : ac pópulum qui nuper paúlulùm reſpiráſſet, ne síneret blaſphémis rursùs natiónibus ſubdi. Omnibus ítaque ſimul id faciéntibus, & peténtibus à Dómino miſericórdiam, cum fletu & jejúniis, per tríduum continuum proſtrátis, hortátus eſt eos Judas, ut ſe præparárent.

℞. *ij.* Hi qui, *p.* 318.

LECTIO III. *c.* 15. *v.* 1. *ad* 6.

NIcánor autem, ut cómperit Judam eſſe in locis Samaríæ, cogitávit cum omni ímpetu die Sábbati commíttere bellum. Judæis verò qui illum per neceſſitátem ſequebántur, dicéntibus : Ne ità feróciter & bárbarè féceris, ſed honórem tríbue diéi ſanctificatiónis, & honóra eum qui univérſa cónſpicit : ille infélix interrogávit, ſi eſt Potens in cœlo qui imperávit agi diem Sabbatórum. Et reſpondéntibus illis : Eſt Dóminus vivus ipſe in cœlo potens, qui juſſit agi ſéptimam diem. At ille ait : Et ego potens ſum ſuper terram, qui impero ſumi arma, & negótia Regis impléri. Tamen non obtínuit ut consílium perfíceret. Et Nicánor quidem cum ſumma ſupérbia eréctus, cogitáverat commúne trophæum ſtatúere de Juda.

℞. *iij.* Eleázarus vitâ, *p.* 318.

SABBATO.

De Libro ſecúndo Machabæórum.

LECTIO I. *c.* 15. *v.* 17. *ad* 21.

EXhortáti ítaque Judæ ſermónibus bonis valde, de quibus extólli poſſet ímpetus, & ánimi júvenum confortári, ſtatuérunt

dimicáre & conflígere fórtiter, ut virtus de negótiis judicáret, eò quòd cívitas ſancta & templum periclitaréntur. Erat enim pro uxóribus, & filiis, itémque pro frátribus & cognátis, minor ſollicitúdo: máximus verò & primus pro ſanctitáte timor erat templi. Sed & eos qui in civitáte erant, non mínima ſollicitúdo habébat, pro his qui congreſsúri erant. Et cùm jam omnes ſperárent judícium futúrum, hoſtéſque adéſſent, atque exércitus eſſet ordinátus, béſtiæ equitéſque opportúno in loco compóſiti, consíderans Machabǽus advéntum multitúdinis, & apparátum várium armórum, & ferocitátem beſtiárum, exténdens manus in cœlum, prodígia faciéntem Dóminum invocávit, qui non ſecúndùm armórum poténtiam, ſed próut ipſi placet, dat dignis victóriam.

Si fiat de Sabbato, duo priora ℟℟. è III. Nocturno Dom. præced.

Lectio II. *v.* 22. *ad* 29.

DIxit autem invocans, hoc modo: Tu, Dómine, qui miſíſti Angelum tuum ſub Ezechía rege Juda, & interfecíſti de caſtris Sennácherib centum octogínta quinque míllia: & nunc, Dominátor cœlórum, mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timóre & tremóre magnitúdinis *bráchii tui, ut* métuant qui cum blaſphémia véniunt advérsùs ſanctum pópulum tuum. Et hic quidem ità perorávit. Nicánor autem & qui cum ipſo erant, cum tubis & cánticis admovébant. Judas verò & qui cum eo erant, invocáto Deo, per oratiónes congréſſi ſunt: manu quidem pugnántes, ſed Dóminum córdibus orántes, proſtravérunt non minùs trigínta quinque míllia, præséntiâ Dei magníficè delectáti. Cúmque ceſsáſſent, & cum gáudio redírent, cognovérunt Nicánorem ruíſſe cum armis ſuis. Facto ítaque clamóre, & perturbatióne excitátâ, pátriâ voce omnipoténtem Dóminum benedicébant.

Lectio III. *v.* 30. *ad* 36.

PRæcépit autem Judas qui per ómnia córpore & ánimo mori pro cívibus parátus erat, caput Nicánoris, & manum cum húmero abſciſſam, Jeroſólymam perférri. Quò cùm perveniſſet, convocátis contribúlibus & Sacerdótibus ad altáre, accérſiit & eos qui in arce erant. Et oſténſo cápite Nicánoris, & manu nefáriâ, quam exténdens contra domum ſanctam omnipoténtis Dei, magníficè gloriátus eſt, linguam étiam ímpii Nicánoris præcíſam juſſit particulátim ávibus dari: manum autem deméntis contra templum ſuſpéndi. Omnes ígitur cœli benedixérunt Dóminum, dicén-

tes : Benedíctus qui locum ſuum incontaminátum ſervávit. Suſpéndit autem Nicánoris caput in ſumma arce, ut évidens eſſet & maniféſtum ſignum auxílii Dei. Itaque omnes commúni consílio decrevérunt, nullo modo diem iſtum abſque celebritáte præterire.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. a. Ezéchiel vidit conſpéctum glóriæ, quam oſténdit illi in curru Chérubim. *Eccli.* 49. 10.

Oratio de Laudibus Dominicæ ſequentis.

DOMINICA XXVI. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Liber Ezechiélis Prophétæ.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 4.

Et factum eſt in trigéſimo anno, in quarto, in quinta menſis, cùm eſſem in médio captivórum, juxta flúvium Chobar, apérti ſunt cœli, & vidi viſiónes Dei. In quinta menſis, ipſe eſt annus quintus tranſmigratiónis regis Jóachin, factum eſt verbum Dómini ad Ezechiélem filium Buzi Sacerdótem, in terra Chaldæórum ſecùs flumen Chobar: & facta eſt ſuper eum ibi manus Dómini. Et vidi, & ecce ventus túrbinis veniébat ab Aquilóne, & nubes magna, & ignis invólvens, & ſplendor in circúitu ejus: & de médio ejus quaſi ſpécies eléctri, id eſt de médio ignis.

℟. *j.* Audívi loquéntem ad me, & dicéntem: Fili hóminis, mitto ego te ad fílios Iſraël, ad gentes apoſtatríces quæ receſſérunt à me: * Ipſi & patres eórum prævaricáti ſunt pactum meum. *Ezech.* 2. 2. 3. ℣. Quemádmodum Jannes & Mambres reſtitérunt Móyſi, ità & hi reſíſtunt veritáti. 2. *Tim.* 3. 8. * Ipſi.

LECTIO II. *v.* 5. *ad* 12.

Et in médio ejus ſimilitúdo quátuor animálium: & hic aſpéctus eórum, ſimilitúdo hóminis in eis. Quátuor fácies uni, & quátuor pennæ uni. Pedes eórum pedes recti, & planta pedis eórum quaſi planta pedis vítuli, & ſcintíllæ quaſi aſpéctus æris candéntis. Et manus hóminis ſub pennis eórum in quátuor pártibus: & fácies & pennas per quátuor partes habébant. Junctǽque erant pennæ eórum altérius ad álterum: non revertebántur cùm incéderent; ſed unumquódque ante fáciem ſuam gradiebátur. Similitúdo autem vultûs eórum, fácies hóminis, & fácies leónis à dextris ipsórum quátuor; fácies autem bovis à ſiníſtris ipsórum quátuor; & fácies áquilæ déſuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, & pennæ eórum exténtæ déſuper: duæ pennæ ſingulórum jungebántur, & duæ tegébant córpora eórum: & unum-

que eórum coram fácie ambulábat. Ubi erat tus ſpíritûs, illuc gra- ântur; nec revertebán- tùm ambulárent.

℟. ij. Dixit Dóminus ad : Fili hóminis, quodcúm- invéneris, cómede: có- de volúmen iſtud, & va- ns lóquere ad fílios Iſraël. Et apérui os meum, & bávit me volúmine illo. *Ezech.* 3. 1. 2. ℣. Dixit mihi Angelus: Accipe librum & dévora illum. *Apoc.* 10. 9. * Et apérui.

Lectio III. *v. 24. ad finem, & c. 2. v. 1.*

Et audiébam ſonum alárum, quaſi ſonum aquárum multárum, quaſi ſonum ſublímis Dei. Cùm ambulárent, quaſi ſonus erat multitúdinis, ut ſonus caſtrórum: cùmque ſtarent, demittebántur pennæ eórum. Nam cùm fíeret vox ſuper firmaméntum quod erat ſuper caput eórum, ſtabant, & ſubmittébant alas ſuas. Et ſuper firmaméntum quod erat ímminens cápiti eórum, quaſi aſpéctus lápidis ſapphíri ſimilitúdo throni: & ſuper ſimilitúdinem throni, ſimilitúdo quaſi aſpéctus hóminis déſuper. Et vidi quaſi ſpéciem eléctri, velut aſpéctum ignis, intrínſecùs ejus per circúitum: à lumbis ejus & déſuper, & à lumbis ejus uſque deórsùm, vidi quaſi ſpéciem ignis ſplendéntis in circúitu, velut aſpéctum arcûs, cùm fúerit in nube, in die plúviæ: Hic erat aſpéctus ſplendóris per gyrum. Hæc víſio ſimilitúdinis glóriæ Dómini: & vidi, & cécidi in fáciē meam.

℟. iij. Interfícite uſque ad interneciónem; * Omnem autem ſuper quem vidéritis Thau, ne occidátis. *Ezech.* 9. 6. ℣. Si quis adoráverit béſtiam & imáginem ejus, & accéperit caractérem in fronte ſua, aut in manu ſua, & hic bibet de vino iræ Dei. *Apoc.* 14. 9. 10. * Omnem. Glória. * Omnem.

IN II. NOCTURNO.

De Epíſtola prima beati Petri Apóſtoli.

Lectio IV. *c. 3. v. 8.*

Omnes unánimes, compatiéntes, fraternitátis amatóres, miſericórdes, modéſti, húmiles, non reddéntes malum pro malo, nec maledíctum pro maledícto, ſed è contrário, benedicéntes: quia in hoc vocáti eſtis, ut benedictiónem hæreditáte poſſideátis. Qui enim vult vitam dilígere, & dies vidére bonos, coérceat linguam ſuam à malo, & lábia ejus ne loquántur dolum. Declínet à malo, & fáciat bonum: inquírat pacem, & ſequátur eam: quia óculi Dómini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eórum: vultus autem Dómini ſuper faciéntes mala.

℟. iv. Ecce omnes ánimæ meæ ſunt: ut ánima

patris, ità & ánima filii : * Anima quæ peccáverit, ipſa moriétur. *Ezech.* 18. 4. ℣. Qui injúriam facit, recípiet id quod iníquè geſſit. *Coloſſ.* 3. 25. * Anima.

Lectio V. *v.* 13. *ad* 16.

ET quis eſt qui vobis nóceat, ſi boni æmulatóres fuéritis? Sed & ſi quid patímini propter juſtítiam, beáti. Timórem autem eórum ne timuéritis, & non conturbémini. Dóminum autem Chriſtum ſanctificáte in córdibus veſtris, paráti ſemper ad ſatisfactiónem omni poſcénti vos ratiónem de ea quæ in vobis eſt ſpe. Sed cum modéſtia & timóre, conſciéntiam habéntes bonam : ut in eo quod détrahunt vobis, confundántur qui calumniántur veſtram bonam in Chriſto converſatiónem.

℟. *v.* Diſplicébitis vobis in conſpéctu veſtro, in ómnibus malítiis veſtris quas fecíſtis : * Et ſciétis quia ego Dóminus, cùm benefécero vobis. *Ezech.* 20. 43. 44. ℣. Exhibéte membra veſtra ſervíre juſtítiæ, in ſanctificatiónem. *Rom.* 6. 19. * Et ſciétis.

Lectio VI. *v.* 17. *ad* 20.

MElius eſt enim benefaciéntes, ſi volúntas Dei velit, pati, quàm malefaciéntes. Quia & Chriſtus ſemel pro peccátis noſtris mórtuus eſt, juſtus pro injúſtis, ut nos offérret Deo; mortificátus quidem carne, vivificátus autem Spíritu. In quo & his qui in cárcere erant ſpirítibus, véniens prædicávit : qui incréduli fúerant aliquándo, quando expectábant Dei patiéntiam in diébus Noë, cùm fabricarétur arca, in qua pauci, id eſt, octo ánimæ ſalvæ factæ ſunt per aquam.

℟. *vj.* Paſcam oves meas in móntibus Iſraël, in rivis, & in cunctis sédibus terræ. * In páſcuis ubérrimis paſcam eas. *Ezech.* 34. 13. 14. ℣. Ego veni, ut vitam hábeant, & abundántiùs hábeant : ego ſum Paſtor bonus. *Joan.* 10. 10. 11. * In. Glória. * In.

IN III. NOCTURNO.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lib. 18. *De Civit. Dei.* *Cap.* 34. n. 2.

Lectio VII.

EZéchiel more prophético, per David Chriſtum ſigníficans, quia carnem de David sémine aſſúmpſit; propter quam formam ſervi, quâ factus eſt homo, étiam ſervus Dei dícitur idem Dei Fílius, ſic eùm prophetándo prænúntiat ex persóna Dei Patris : Et ſuſcitábo, inquit, ſuper pécora mea Paſtórem unum qui paſcat ea, ſervum meum David : & ipſe paſcet ea, & ipſe erit eis in Paſtórem. Ego autem Dóminus ero eis in Deum, & ſervus meus David Prin-

ceps in médio eórum : ego Dóminus locútus ſum.

℟. *vij.* Suſcitábo ſuper oves meas Paſtórem unum qui paſcat eas, ſervum meũ David : * Ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in Paſtórem. *Ezech.* 34. 23. ℣. Cùm appáruerit Princeps paſtórum, percipiétis immarceſcíbilem glóriæ corónam. 1. *Petr.* 5. 4. * Ipſe.

LECTIO VIII.

ET álio loco : Et Rex, inquit, unus erit ómnibus ímperans : & non erunt ultrà duæ gentes, nec dividéntur ámpliùs in duo regna : neque polluéntur ultrà in idólis ſuis, & abominatiónibus ſuis, & in cunctis iniquitátibus ſuis. Et ſalvos eos fáciam de univérſis sédibus ſuis in quibus peccavérunt : & mundábo eos, & erunt mihi pópulus, & ego ero eis Deus, & ſervus meus David Rex ſuper eos : & Paſtor unus erit ómnium eórũ.

℟. *viij.* Ego ero eis Deus : & ſervus meus David Rex ſuper eos : * Et Paſtor unus erit ómnium eórum. *Ezech.* 37. 23, 24. ℣. Fiet unum ovíle & unus Paſtor. *Joan.* 10. 16. * Et paſtor.

Cætera omnia, excepto Canone, ut habentur ſuprà, p. 319.

FERIA SECUNDA.

De Ezechiéle Prophéta.

LECTIO I. *c.* 8. *v.* 3. *ad* 10.

EMiſſa ſimilitúdo manûs appehéndit me in cincinno rcápitis mei : & elevávit me Spíritus inter terram & cœlum : & addúxit me in Jeruſalem in viſióne Dei, juxta óſtium intérius quod reſpiciébat ad Aquilónem, ubi erat ſtatútum idólum zeli ad provocándam æmulatiónem. Et ecce ibi glória Dei Iſraël, ſecúndùm viſiónem quam víderam in campo. Et dixit ad me : Fili hóminis, leva óculos tuos ad viam Aquilónis. Et levávi óculos meos ad viam Aquilónis : & ecce ab Aquilóne portæ altáris, idólum zeli in ipſo introítu. Et dixit ad me : Fili hóminis, putáſne, vides tu quid iſti fáciunt, abominatiónes magnas quas domus Iſraël facit hîc, ut procul recédam à Sanctuário meo? Et adhuc convérſus vidébis abominatiónes majóres. Et introdúxit me ad óſtium átrii : & vidi, & ecce forámen unum in paríete. Et dixit ad me : Fili hóminis, fode paríetem. Et cùm fodiſſem paríetem, appáruit óſtium unum. Et dixit ad me : Ingrédere, & vide abominatiónes péſſimas quas iſti fáciunt hîc. Et ingréſſus vidi, & ecce omnis ſimilitúdo reptílium & animálium, abominátio, & univérſa idóla domûs Iſraël depícta erant in paríete, in circúitu per totum.

℟. *j.* Audivi, *p.* 327.

LECTIO II. *v.* 12. *ad* 16.

ET dixit ad me : Certè vides, fili hóminis, quæ ſenióres domûs Iſraël fá-

ciunt in ténebris, unuſquiſque in abſcóndito cubiculi ſui. Dicunt enim: Non videt Dóminus nos, derelíquit Dóminus terram. Et dixit ad me: Adhuc convérſus vidébis abominatiónes majóres quas iſti fáciunt. Et introdúxit me per óſtium portæ domûs Dómini, quod reſpiciébat ad Aquilónem: & ecce ibi mulíeres ſedébant plangéntes Adónidem. Et dixit ad me: Certè vidíſti, fili hóminis: adhuc convérſus vidébis abominatiónes majóres his. Et introdúxit me in átrium domûs Dómini intérius: & ecce in óſtio templi Dómini, inter veſtíbulum & altáre, quaſi vigínti quinque viri, dorſa habéntes contra templum Dómini, & fácies ad Oriéntem: & adorábant ad ortum Solis.

℟. *ij.* Dixit, *p.* 328.

Lectio III. *c.* 9. *v.* 2. *ad* 6.

ET ecce ſex viri veniébant de via portæ ſuperióris quæ réſpicit ad Aquilónem: & uniuſcujúſque vas intéritûs in manu ejus: vir quoque unus in médio eórum veſtítus erat líneis, & atramentárium ſcriptóris ad renes ejus. Et ingréſſi ſunt, & ſtetérunt juxta altáre æreum: & glória Dómini Iſraël aſſúmpta eſt de Cherub, quæ erat ſuper eum ad limen domûs: & vocávit virum qui indútus erat líneis, & atramentárium ſcriptóris habébat in lumbis ſuis. Et dixit Dóminus ad eum: Tranſi per médiam civitátem in médio Jerúſalem: & ſigna Thau ſuper frontes virórum geméntium & doléntium ſuper cunctis abominatiónibus quæ fiunt in médio ejus. Et illis dixit, audiénte me: Transíte per civitátem ſequéntes eum, & percútite: non parcat óculus veſter, neque miſereámini. Senem, adoleſcéntulum, & vírginem, párvulum, & mulíeres interfícite uſque ad internecciónem: omnem autem ſuper quem vidéritis Thau, ne occidátis, & à Sanctuário meo incípite. Cœpérunt ergo à viris ſenióribus qui erant ante fáciem domûs.

℟. *iij.* Interfícite, *p.* 328.

FERIA TERTIA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio I. *c.* 13. *v.* 3. *ad* 7.

HÆc dicit Dóminus Deus: Væ prophétis inſipiéntibus, qui ſequúntur ſpíritum ſuum, & nihil vident. Quaſi vulpes in desértis, prophétæ tui, Iſraël, erant. Non accendíſtis ex advérſo, neque oppoſuíſtis murum pro domo Iſraël, ut ſtarétis in prælio, in die Dómini. Vident vana, & divínant mendácium, dicéntes: Ait Dóminus, cùm Dóminus non míſerit eos: & perſeveravérunt confirmáre ſermónem. Nunquid non viſiónem caſſam vidíſtis, & divinatiónem mendácem locúti eſtis? Et dícitis: Ait

Dóminus, cùm ego non ſim locútus.

℟. j. Ecce, p. 328.

Lectio II. v. 8. ad 11.

PRoptéreà hæc dicit Dóminus Deus: Quia locúti eſtis vana, & vidíſtis mendácium, ideò Ecce ego ad vos, dicit Dóminus Deus. Et erit manus mea ſuper prophétas qui vident vana, & divínant mendácium. In concílio pópuli mei non erunt, & in ſcriptúra domûs Iſraël non ſcribéntur, nec in terram Iſraël ingrediéntur: & ſciétis quia ego Dóminus Deus. Eò quòd decéperint pópulum meum, dicéntes: Pax, & non eſt pax: & ipſe ædificábat paríetem, illi autem liniébant eum luto abſque páleis. Dic ad eos qui líniunt abſque temperatúra, quòd casúrus ſit: erit enim imber inúndans, & dabo lápides prægrándes déſuper irruéntes, & ventũ procéllæ diſſipántem.

℟. ij. Diſplicébitis, p. 329.

Lectio III. v. 18. ad 21.

HÆc dicit Dóminus Deus: Væ quæ cónſuunt pulvíllos ſub omni cúbito manûs: & fáciunt cervicália ſub cápite univérſæ ætátis, ad capiéndas ánimas: & cùm cáperent ánimas pópuli mei, vivificábant ánimas eórum: & violábant me ad pópulum meum, propter pugíllum hórdei & fragmen panis, ut interfícerent ánimas quæ non moriúntur, & vivificárent ánimas quæ non vivunt, mentiéntes pópulo meo credénti mendáciis. Propter hoc, hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ad pulvíllos veſtros, quibus vos cápitis ánimas volántes: & dirúmpam eos de bráchiis veſtris: & dimíttam ánimas quas vos cápitis, ánimas ad volándum. Et dirúmpam cervicália veſtra, & liberábo pópulum meum de manu veſtra; neque erunt ultrà in mánibus veſtris ad prædándum: & ſciétis quia ego Dóminus.

℟. iij. Paſcam, p. 330.

FERIA QUARTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio I. c. 14. v. 4. ad 6.

HÆc dicit Dóminus Deus: Homo homo de domo Iſraël, qui posúerit immundítias ſuas in corde ſuo, & ſcándalum iniquitátis ſuæ ſtatúerit contra fáciem ſuam, & vénerit ad prophétam interrogans per eum me, ego Dóminus reſpondébo ei in multitúdine immunditiárum ſuárum: ut capiátur domus Iſraël in corde ſuo quo recesſérunt à me in cunctis idólis ſuis. Proptéreà dic ad domum Iſraël: Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini, & recédite ab idólis veſtris, & ab univérſis contaminatiónibus veſtris avértite fácies veſtras.

℟. j. Suſcitábo, p. 330.

Lectio II. v. 7. ad 9.

QUia homo homo de domo Iſraël, & de proſélytis quicúmque ádvena

fúerit in Iſraël, ſi alienátus fúerit à me, & posúerit idóla ſua in corde ſuo, & ſcándalum iniquitátis ſuæ ſtatúerit contra fáciem ſuam, & vénerit ad prophétam ut intérroget per eum me, ego Dóminus reſpondébo ei per me. Et ponam fáciem meam ſuper hóminem illum, & fáciam eum in exémplum & in provérbium, & diſpérdam eum de médio pópuli mei: & ſciétis quia ego Dóminus. Et prophéta, cùm erráverit, & locútus fúerit verbum, ego Dóminus decépi prophétam illum: & exténdam manum meam ſuper illum, & delébo eum de médio pópuli mei Iſraël.

℟. *ij.* Ego ero, *p.* 330.

LECTIO III. *c.* 18. *v.* 20. *ad* 24.

ANima quæ peccáverit, ipſa moriétur: fílius non portábit iniquitátem patris, & pater non portábit iniquitátem filii. Juſtítia juſti ſuper eum erit: & impíetas ímpii erit ſuper eum. Si autem ímpius égerit pœniténtiam ab ómnibus peccátis ſuis quæ operátus eſt, & cuſtodíerit ómnia præcépta mea, & fécerit judícium & juſtítiam, vitâ vivet, & non moriétur. Omnium iniquitátum ejus quas operátus eſt, non recordábor: in juſtítia ſua quam operátus eſt, vivet. Nunquid voluntátis meæ eſt mors ímpii, dicit Dóminus Deus, & non ut convertátur à viis ſuis, & vivat? Si autem avérterit ſe juſtus à juſtítia ſua, & fécerit iniquitátem, ſecúndùm omnes abominatiónes quas operári ſolet ímpius, nunquid vivet? Omnes juſtítiæ ejus quas fécerat, non recordabúntur: in prævaricatióne quâ prævaricátus eſt, & in peccáto ſuo quod peccávit, in ipſis moriétur.

℟. *iij.* Ipſi erunt mihi pópulus: & * Scient gentes quia ego Dóminus ſanctificátor Iſraël, cùm fúerit ſanctificátio mea in médio eórum in perpétuum. *Ezech.* 37. 27. 28. ℣. Ego lux in mundum veni; ut omnis qui credit in me, in ténebris non máneat. *Joan.* 12. 46. * Scient gentes. Glória. * Scient gentes.

FERIA QUINTA.

De Ezechiéle Prophéta.

LECTIO I. *c.* 33. *v.* 1. *ad* 6.

ET factum eſt verbum Dómini ad me, dicens: Fili hóminis, lóquere ad fílios pópuli tui, & dices ad eos: Terra cùm indúxero ſuper eam gládium, & túlerit pópulus terræ virum unum de noviſſimis ſuis, & conſtitúerit eum ſuper ſe ſpeculatórem, & ille víderit gládium veniéntem ſuper terram, & cecínerit búccinâ, & annuntiáverit pópulo: áudiens autem, quiſquis ille eſt, ſónitum búccinæ, & non ſe obſerváverit, veneritque gládius, & túlerit eum: ſanguis ipſius ſuper caput ejus erit. Sonum búc-

audívit, & non ſe ob-
ávit, ſanguis ejus in ipſo
: ſi autem ſe cuſtodíerit,
mam ſuam ſalvábit.
ód ſi ſpeculátor víderit
dium veniéntem, & non
ſonúerit búccinâ, & pó-
lus ſe non cuſtodíerit,
enerítque gládius, & túlerit
e eis ánimam, ille quidem
n iniquitáte ſua captus eſt,
ſánguinem autem ejus de
manu ſpeculatóris requíram.

℟. j. Audívi, *p.* 327.

Lectio II. *v.* 7. *ad* 12.

ET tu, fili hóminis, ſpeculatórem dedi te dómui Iſraël: aúdiens ergo ex ore meo ſermónem, annuntiábis eis ex me. Si me dicénte ad ímpium: Impie, morte moriéris, non fúeris locútus, ut ſe cuſtódiat ímpius à via ſua, ipſe ímpius in iniquitáte ſua, moriétur: ſánguinem autem ejus de manu tua requíram. Si autem annuntiánte te ad ímpium, ut à viis ſuis convertátur, non fúerit convérſus à via ſua, ipſe in iniquitáte ſua moriétur: porrò tu ánimam tuam liberáſti. Tu ergo, fili hóminis, dic ad domum Iſraël: Sic locúti eſtis, dicéntes: Iniquitátes noſtræ & peccáta noſtra ſuper nos ſunt, & in ipſis nos tabéſcimus: quómodo ergo vívere potérimus? Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dóminus Deus, nolo mortem ímpii, ſed ut convertátur ímpius à via ſua, & vivat. Convertímini, convertímini à viis veſtris péſſimis: & quare moriémini, domus Iſraël? Tu ítaque, fili hóminis, dic ad fílios pópuli tui: Juſtítia juſti non liberábit eum, in quacúmque die peccáverit: & impíetas ímpii non nocébit ei, in quacúmque die convérſus fúerit ab impietáte ſua: & juſtus non póterit vívere in juſtítia ſua, in quacúmque die peccáverit.

℟. ij. Dixit, *p.* 328.

Lectio III. *v.* 13. *ad* 19.

ETiam ſi dixero juſto quòd vitâ vivat, & confíſus in juſtítia ſua fécerit iniquitátem, omnes juſtítiæ ejus oblivióni tradéntur, & in iniquitáte ſua quam operátus eſt, in ipſa moriétur. Si autem díxero ímpio: Morte moriéris: & égerit pœniténtiam à peccáto ſuo, fecerítque judícium & juſtítiam, & pignus reſtitúerit ille ímpius, rapinámque reddíderit, in mandátis vitæ ambuláverit, nec fécerit quidquam injúſtum, vitâ vivet, & non moriétur. Omnia peccáta ejus quæ peccávit, non imputabúntur ei: judícium & juſtítiam fecit, vitâ vivet. Et dixérunt fílii pópuli tui: Non eſt æqui pónderis via Dómini: & ipſórum via injúſta eſt. Cùm enim recéſſerit juſtus à ju
ſtítia ſua, fecerítque iniqu
itátes, moriétur in eis. E
cùm recéſſerit ímpius ab i
pietáte ſua, fecerítque ju

cium & juſtítiam, vivet in eis.

℟. *iij.* Interficite, *p.* 228.

FERIA SEXTA.

De Ezechiéle Prophéta.

LECTIO I. *c.* 33. *v.* 30. *ad fin.*

ET tu, fili hóminis: fílii pópuli tui, qui loquúntur de te juxta muros, & in óſtiis domórum, & dicunt unus ad álterum, vir ad próximum ſuum loquéntes: Veníte, & audiámus quis ſit ſermo egrédiens à Dómino. Et véniunt ad te, quaſi ſi ingrediátur pópulus, & ſedent coram te, pópulus meus: & aúdiunt ſermónes tuos, & non fáciunt eos: quia in cánticum oris ſui vertunt illos, & avarítiam ſuam ſéquitur cor eórum. Et es eis quaſi carmen múſicum quod ſuávi dulcíque ſono cánitur: & aúdiunt verba tua, & non fáciunt ea. Et cùm vénerit quod prædíctum eſt, (ecce enim venit,) tunc ſcient quòd Prophétes fúerit inter eos.

℟. *j.* Ecce, *p.* 328.

LECTIO II. *c.* 34. *v.* 8. *ad* 10.

VIvo ego, dicit Dóminus Deus: quia pro eò quòd facti ſunt greges mei in rapínam, & oves meæ in devoratiónem ómnium beſtiárum agri, eò quòd non eſſet paſtor: neque enim quæſiérunt paſtóres mei gregem meum, ſed paſcébant paſtóres ſemetípſos, & greges meos non paſcébant: proptéreà, paſtóres, audíte verbum Dómini. Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipſe ſuper paſtóres requíram gregem meum de manu eórum, & ceſſáre fáciam eos, ut ultrà non paſcant gregem, nec paſcant ámpliùs paſtóres ſemetípſos. Et liberábo gregem meum de ore eórum, & non erit ultrà eis in eſcam.

℟. *ij.* Diſplicébitis, *p.* 329.

LECTIO III. *v.* 18. *ad* 22.

NOnne ſatis vobis erat páſcua bona depáſci? Inſuper & relíquias paſcuárum veſtrárum conculcáſtis pédibus veſtris: & cùm puriſſimam aquam biberétis, réliquam pédibus veſtris turbabátis. Et oves meæ his quæ conculcáta pédibus veſtris fúerant, paſcebántur: & quæ pedes veſtri turbáverant, hæc bibébant. Proptéreà hæc dicit Dóminus Deus ad vos: Ecce ego ipſe júdico inter pecus pingue & maciléntum: pro eò quòd latéribus & húmeris impingebátis, & córnibus veſtris ventilabátis ómnia infírma pécora, donec diſpergeréntur foràs: ſalvábo gregem meum, & non erit ultrà in rapínam, & judicábo inter pecus & pecus.

℟. *iij.* Paſcam, *p.* 329.

SABBATO.

De Ezechiéle Prophéta.

LECTIO I. *c.* 36. *v.* 21. *ad* 27.

PEpérci nómini ſancto meo quod pollúerat domus Iſraël in géntibus ad

s ingréſſi ſunt. Idcircò
s dómui Iſraël : Hæc
t Dóminus Deus : Non
pter vos ego fáciam,
mus Iſraël, ſed propter
men ſanctum meum quod
lluíſtis in géntibus ad quas
tráſtis. Et ſanctificábo no-
ien meum magnum, quod
ollútum eſt inter gentes,
uod polluíſtis in médio eá-
um : ut ſciant gentes quia
ego Dóminus, ait Dóminus
exercítuum, cùm ſanctificátus
fúero in vobis corã
eis. Tollam quippe vos de
Géntibus, & congregábo
vos de univérſis terris, &
addúcam vos in terram veſtram.
Et effúndam ſuper
vos aquam mundam, &
mundabímini ab ómnibus
inquinaméntis veſtris : &
ab univérſis idólis veſtris
mundábo vos. Et dabo vobis
cor novum, & ſpíritum
novum ponam in médio veſtrî :
& aúferam cor lapídeum
de carne veſtra, &
dabo vobis cor cárneum.
Et Spíritum meum ponam
in médio veſtrî : & fáciam
ut in præcéptis meis ambulétis,
& judícia mea cuſtodiátis
& operémini.

Si fiat de Sabbato, duo priora ℟℟. *è III. Noctur. Dom. præced.*

LECTIO II. *c.* 37. *v.* 1. *ad* 6.

FActa eſt ſuper me manus Dómini, & edúxit me in Spíritu Dómini, & dimíſit me in médio campi qui erat plenus óſſibus : & circumdúxit me per ea in gyro : erant autem multa valde ſuper fáciem campi, ſiccaque veheménter. Et dixit ad me : Fili hóminis, putáſne vivent oſſa iſta? Et dixi : Dómine Deus, tu noſti. Et dixit ad me : Vaticináre de óſſibus iſtis, & dices eis : Oſſa árida, audíte verbum Dómini. Hæc dicit Dóminus Deus óſſibus his : Ecce ego intromíttam in vos ſpíritum, & vivétis. Et dabo ſuper vos nervos, & ſuccréſcere fáciam ſuper vos carnes, & ſuperexténdam in vobis cutem, & dabo vobis ſpíritum, & vivétis, & ſciétis quia ego Dóminus.

LECTIO III. *v.* 7. *ad* 12.

ET prophetávi ſicut præcéperat mihi. Factus eſt autem ſónitus, prophetánte me, & ecce commótio : & acceſſérunt oſſa ad oſſa, unumquódque ad junctúram ſuam. Et vidi, & ecce ſuper ea nervi & carnes aſcendérunt : & exténta eſt in eis cutis déſuper, & ſpíritum non habébant. Et dixit ad me : Vaticináre ad ſpíritum : vaticináre, fili hóminis, & dices ad ſpíritum : Hæc dicit Dóminus Deus : A quátuor ventis veni, ſpíritus, & inſúffla ſuper interféctos iſtos, & revivíſcant. Et prophetávi ſicut præcéperat mihi : & ingréſſus eſt in ea ſpíritus, & vixérunt : ſteterúntque ſuper pedes ſuos exércitus grandis nimis valde. Et dixit

ad

ad me: Fili hóminis, oſſa hæc univérſa, domus Iſraël eſt. Ipſi dicunt: Aruérunt oſſa noſtra, & périit ſpes noſtra, & abſcíſſi ſumus. Proptéreà vaticináre, & dices ad eos: Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego apériam túmulos veſtros, & edúcam vos de ſepúlcris veſtris, pópulus meus: & indúcam vos in terram Iſraël.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Duódecim Prophetárum oſſa pullulent de loco ſuo; nam corroboravérunt Jacob, & redemérunt ſe in fide virtútis. *Eccli.* 49. 12.

Oratio de Laudibus Dominicæ ſequentis.

DOMINICA XXVII. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Oſée Prophéta.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 5.

VErbum Dómini, quod factum eſt ad Oſée fílium Béeri, in diébus Ozíæ, Jóathan, Achaz, Ezechíæ, regum Juda, & in diébus Jeróboam filii Joas regis Iſraël. Princípium loquéndi Dómino in Oſée: & dixit Dóminus ad Oſée: Vade, ſume tibi uxórem fornicatiónum, & fac tibi fílios fornicatiónum: quia fórnicans fornicábitur terra à Dómino. Et ábiit, & accépit Gomer fíliam Debélaïm, & concépit, & péperit ei fílium. Et dixit Dóminus ad eum: Voca nomen ejus Jézrahel: quóniam adhuc módicùm, & viſitábo ſánguinem Jézrahel ſuper domum Jehu, & quiéſcere fáciam regnum domûs Iſraël. Et in illa die cónteram arcum Iſraël in valle Jézrahel.

℟. *j.* Dies multos ſedébunt filii Iſraël, ſinè rege, & ſinè príncipe, & ſinè ſacrifício, & ſinè altári, & ſinè ephod, & ſinè théraphim; * Et poſt hæc reverténtur filii Iſraël, & quærent Dóminum Deum ſuum. *Oſee.* 3. 4. 5. ℣. Cǽcitas ex parte cóntigit in Iſraël, donec plenitúdo Géntium intráret. *Rom.* 11. 25. * Et poſt.

LECTIO II. *v.* 6. *ad fin.*

ET concépit adhuc, & péperit fíliam. Et dixit ei: Voca nomen ejus, Abſque miſericórdia: quia non addam ultrà miſeréri dómui Iſraël, ſed oblivióne oblivíſcar eórum. Et dómui Juda miſerébor, & ſalvábo eos in Dómino Deo ſuo: & non ſalvábo eos in arcu, & gládio, & in bello, & in equis, & in equítibus. Et ablactávit eam quæ erat Abſque miſericórdia. Et concépit, & péperit fílium. Et dixit: Voca nomen ejus, Non pópulus meus: quia vos non pópulus meus, & ego non ero veſter. Et erit númerus filiórum Iſraël quaſi aréna maris, quæ ſinè menſúra eſt, & non numerábitur. Et erit in loco ubi dicétur eis: Non pópulus meus vos, dicétur eis: Fílii Dei vivéntis. Et

congregabúntur filii Juda, & filii Iſraël páriter: & ponent ſibimet caput unum, & aſcéndent de terra: quia magnus dies Jézrahel.

℟. *ij.* Tóllite vobíſcum verba, & * Convertímini ad Dóminum, & dícite ei: Omnem aufer iniquitátem. *Oſee.* 14. 3. ℣. Vobis eſt repromíſſio, & filiis veſtris. *Act.* 2. 39. * Convertímini.

Lectio III. *c.* 4. *v.* 1. *ad* 9.

Audíte verbum Dómini, filii Iſraël, quia judícium Dómino cum habitatóribus terræ: non eſt enim véritas, & non eſt miſericórdia, & non eſt ſciéntia Dei in terra. Maledíctum, & mendácium, & homicídium, & furtum, & adultérium inundavérunt, & ſanguis sánguinem tétigit. Propter hoc lugébit terra, & infirmábitur omnis qui hábitat in ea, in béſtia agri, & in vólucre cœli: ſed & piſces maris congregabúntur. Verúmtamen unuſquíſque non júdicet; & non arguátur vir: pópulus enim tuus, ſicut hi qui contradícunt ſacerdóti. Et córrues hódie, & córruet étiam prophéta tecum. Nocte tacére feci matrem tuam: contícuit pópulus meus, eò quòd non habúerit ſciéntiam. Quia tu ſciéntiam repuliſti, repéllam te, ne Sacerdótio fungáris mihi: & oblíta es legis Dei tui, oblivíſcar filiórum tuórum & ego. Secúndum multitúdinem eórum, ſic peccavérunt mihi: glóriam eórum in ignomíniam commutábo. Peccáta pópuli mei cómedent, & ad iniquitátem eórum ſublevábunt ánimas eórum. Et erit ſicut pópulus ſic Sacérdos: & viſitábo ſuper eum vias ejus, & cogitatiónes ejus reddam ei.

℟. *iij.* In médio Iſraël ego ſum; & ego Dóminus Deus veſter, & non eſt ámplius: * Et non confundétur pópulus meus in ætérnum. *Joël.* 2. 27. ℣. Scriptum eſt: Véniet ex Sion, qui erípiat & avértat impietátem à Jacob. *Rom.* 11. 26. * Et non. Glória. * Et non.

IN II. NOCTURNO.

De Libro Proverbiórum.

Lectio IV. *c.* 12. *v.* 1. *ad* 11.

Qui díligit diſciplínam, díligit ſciéntiam: qui autem odit increpatiónes, inſípiens eſt. Qui bonus eſt, háuriet grátiam à Dómino: qui autem confídit in cogitatiónibus ſuis, ímpiè agit. Non roborábitur homo ex impietáte: & radix juſtórum non commovébitur. Múlier díligens, coróna eſt viro ſuo: & putrédo in óſſibus ejus quæ confuſióne res dignas gerit. Cogitatiónes juſtórum judícia: & consília impiórum fraudulénta. Verba impiórum inſidiántur sánguini: os juſtórum liberábit eos. Verte ímpios, & non erunt: domus autem juſtórum per-

manébit. Doctrínâ ſuâ noſcétur vir: qui autem vanus & excors eſt, patébit contémptui. Mélior eſt pauper & ſufficiens ſibi, quàm glorióſus & índigens pane. Novit juſtus jumentórum ſuórum ánimas: víſcera autem impiórum crudélia. Qui operátur terram ſuam, ſatiábitur pánibus: qui autem ſectátur ótium, ſtultíſſimus eſt. Qui ſuávis eſt in vini demoratiónibus, in ſuis munitiónibus relínquit contuméliâ.

℟. *iv.* Ecce formans montes, & creans ventum, & annúntians hómini elóquium ſuum, fáciens matutínam nébulam, & grádiens ſuper excélſa terræ; * Dóminus Deus exercítuum nomen ejus. *Amos.* 4. 13. ℣. Ipſe ſalvum fáciet pópulum ſuum à peccátis eórum. *Matt.* 1. 21. * Dóminus.

Lectio V. *v.* 12. *ad* 19.

Deſidérium ímpii muniméntum eſt peſſimórum: radix autem juſtórum profíciet. Propter peccáta labiórum, ruína próximat malo: effúgiet autem juſtus de angúſtia. De fructu oris ſui unuſquíſque replébitur bonis, & juxta ópera mánuum ſuárum retribuétur ei. Via ſtulti recta in óculis ejus: qui autem ſápiens eſt, audit consília. Fátuus ſtatim índicat iram ſuam: qui autem diſſímulat injúriam, cállidus eſt. Qui quod novit, lóquitur, index juſtítiæ eſt: qui autem mentítur, teſtis eſt frauduléntus. Eſt qui promíttit, & quaſi gládio púngitur conſciéntiæ: lingua autem ſapiéntium ſánitas eſt. Lábium veritátis firmum erit in perpétuum: qui autem teſtis eſt repentínus, concínnat linguam mendácii.

℟. *v.* Ecce dies véniunt, dicit Dóminus; & * Mittam famem in terram, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiéndi verbum Dómini. *Amos.* 8. 11. ℣. Quóniam abundávit iníquitas, refrigéſcet cáritas multórum. *Matt.* 24. 12. * Mittam.

Lectio VI. *v.* 20. *ad fin.*

Dolus in corde cogitántium mala: qui autem pacis íneunt consília, ſéquitur eos gaúdium. Non contriſtábit juſtum quidquid ei accíderit: ímpii autem replebúntur malo. Abominátio eſt Dómino lábia mendácia: qui autem fidéliter agunt, placent ei. Homo versútus celat ſciéntiam: & cor inſipiéntium próvocat ſtultítiam. Manus fórtium dominábitur: quæ autem remíſſa eſt, tribútis ſérviet. Mœror in corde viri humiliábit illum, & ſermóne bono lætificábitur. Qui négligit damnum propter amícum, juſtus eſt: iter autem impiórum decípiet eos. Non invéniet frauduléntus lucrum: & ſubſtántia hóminis erit auri prétiũ. In ſémita juſtítiæ, vita: iter

autem dévium ducit ad mortem.

℟. vij. Aſcéndent ſalvatóres in montem Sion, judicáre montem Eſaü : * Et erit Dómino regnū. *Abd.* 21. ℣. Quàm ſpecióſi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! *Rom.* 10. 15. * Et erit. Glória. * Et erit.

IN III. NOCTURNO.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi

Lib. 18. De Civit. Dei. Cap. 27.

LECTIO VII.

IN cápite Libri Osée Prophétæ, qui primus in duódecim pónitur, ità ſcriptum eſt : Verbum Dómini quod factum eſt ad Osée in diébus Ozíæ, & Jóathan, & Achaz, & Ezechíæ, Regum Juda. Amos quoque diébus regis Ozíæ prophetáſſe ſe ſcribit. Michæas étiam eádē ſuæ prophetíæ commémorat témpora, poſt dies Ozíæ. Nam tres qui ſequúntur Reges, nóminat, quos & Osée nominávit, Jóathan, & Achaz, & Ezechíam. His adjúngitur Jonas, eódem Oziâ rege regnánte, & Joël cùm jam regnáret Jóathan qui ſucceſſit Ozíæ. Ac per hoc, per ea témpora iſti velut fontes prophetíæ páriter erupérunt, quando regnum defécit Aſſýrium, cœpítque Románum; ut ſcílicet quemádmodum regni Aſſyriórum primo témpore éxtitit Abraham, cui promiſſiónes apertiſſimè fíerent in ejus Sémine benedictiónis ómnium géntium, ità Occidentális Babylónis exórdio, quâ fúerat Chriſtus imperánte ventúrus, in quo implerentur illa promíſſa, oracula Prophetárum, non ſolùm loquéntium, verùm étiam ſcribéntium, in tantæ rei futúræ teſtimónium, ſolveréntur.

℟. vij. Vidit Deus ópera Ninivitárum, quia convérſi ſunt de via ſua mala; & * Misértus eſt Deus ſuper malítiam quam locútus fúerat ut fáceret eis, & non fecit. *Jon.* 3. 10. ℣. Nolens áliquos períre, ſed omnes ad pœniténtiam revérti. 2. *Petr.* 3. 9. * Misértus eſt.

LECTIO VIII.

Cap. 28. *30.* & *31.*

OSée igitur Prophéta, quantò profúndiùs quidem lóquitur, tantò operóſiùs penetrátur. Joël ómnia quæ prophétat, multis verbis compéllit expóni, ut quæ pértinent ad Chriſtum & Eccléſiam, dilucéſcant. Amos quoque de rebus tálibus ſic prophétat: Prǽpara, inquit, te, ut ínvoces Deum tuum, Iſraël; quia ecce ego firmans tonítruum, & creans ſpíritum, & annúntians in homínibus Chriſtum ſuum. Abdías, quantùm ad ſcriptúram ejus áttinet, ómnium breviſſimus Prophetárum, advérsùs Idumǽam lóquitur, gentem ſcílicet

Eſaü. Porrò ſi Idumæam, modo locutiónis quo intelligitur à parte totum, accipiámus póſitam eſſe pro Géntibus, de Chriſto agnóſcere póſſumus quod ait inter cœtera: In monte autem Sion erit Salus, & erit Sanctum. Jonas autem Prophéta, non tam ſermóne Chriſtum, quàm ſuâ quâdam paſſióne prophetávit: profécto apértiùs, quàm ſi ejus mortem & reſurrectiónem voce clamáret. Michǽas Prophéta Chriſtum in figúra ponens cujúſdam magni montis, hæc lóquitur: Erit in noviſſimis diébus maniféſtus Mons Dómini, parátus ſuper vértices móntium: & exaltábitur ſuper colles. Prædícens iſte Prophéta & locum in quo natus eſt Chriſtus: Et tu, inquit, Béthlehem domus Ephráta, mínima es, ut ſis in míllibus Juda: ex te mihi pródiet, ut ſit in Príncipem Iſraël: & egréſſus ejus ab inítio, & ex diébus æternitátis.

℟. *viij.* Indicábo tibi, ô homo! quid ſit bonum, & quid Dóminus requírat à te; * Utique fácere judícium, & dilígere miſericórdiam. *Mich.* 6. 8. ℣. Qui vult dies vidére bonos, declínet à malo, & fáciat bonum. 1. *Petr.* 3. 10. 11. * Utique.

Cætera omnia, excepto Canone, ut habentur ſuprà, p. 319.

FERIA SECUNDA.

De Oſée Prophéta.

Lectio I. *c.* 6. *v.* 1. *ad fin.*

IN tribulatióne ſua manè consúrgent ad me. Veníte & revertámur ad Dóminum: quia ipſe cepit, & ſanábit nos: percútiet, & curábit nos. Vivificábit nos poſt duos dies: in die tértia ſuſcitábit nos, & vivémus in conſpéctu ejus. Sciémus, ſequemúrque ut cognoſcámus Dóminum. Quaſi dilúculum præparátus eſt egréſſus ejus, & véniet quaſi imber nobis temporáneus & ſerótinus terræ. Quid fáciam tibi, Ephraïm? Quid fáciam tibi, Juda? Miſericórdia veſtra quaſi nubes matutína, & quaſi ros manè pertránſiens. Propter hoc dolávi in prophétis, occídi eos in verbis oris mei: & judícia tua quaſi lux egrediéntur. Quia miſericórdiam vólui, & non ſacrificium, & ſciéntiam Dei, plus quàm holocaúſta. Ipſi autem ſicut Adam tranſgréſſi ſunt pactū, ibi prævaricáti ſunt in me. Gálaad cívitas operántium idólū, ſupplantáta ſánguine. Et quaſi fauces virórum latrónum, párticeps ſacerdótum in via interficiéntium pergéntes de Sichem: quia ſcelus operáti ſunt. In domo Iſraël vidi horréndum: ibi fornicatiónes Ephraïm: contaminátus eſt Iſraël. Sed &, Juda, pone meſſem tibi, cùm convértero captivitátem pópuli mei.

℟. *j.* Dies, *p.* 337.

Lectio II. *c.* 11. *v.* 1. *ad* 7.

SIcut manè tranſit, pertranſiit Rex Iſraël. Quia puer Iſraël, & diléxi eum : & ex Ægypto vocávi filium meum. Vocavérunt eos, ſic abiérunt à fácie eórum : Baálim immolábant, & ſimulácris ſacrificábant. Et ego quaſi nutrítius Ephraïm, portábam eos in bráchiis meis, & neſciérunt quòd curárem eos. In funículis Adam traham eos, in vínculis caritátis : & ero eis quaſi exáltans jugum ſuper maxíllas eórum : & declinávi ad eum ut veſcerétur. Non revertétur in terram Ægýpti, & Aſſur ipſe rex ejus : quóniam noluérunt convérti. Cœpit gládius in civitátibus ejus, & conſúmet eléctos ejus, & cómedet cápita eórum. Et pópulus meus pendébit ad réditum meum : jugum autem imponétur eis ſimul, quod non auferétur.

℟. *ij.* Tóllite, *p.* 338.

Lectio III. *c.* 13. *v.* 9. *ad fin.*

PErdítio tua, Iſraël, tantúmmodò in me auxílium tuum. Ubi eſt Rex tuus? máximè nunc ſalvet te in ómnibus úrbibus tuis : & Júdices tui de quibus dixíſti : Da mihi Regem & Príncipes. Dabo tibi Regem in furóre meo, & áuferam in indignatióne mea. Colligáta eſt iníquitas Ephraïm, abſcónditum peccátum ejus. *Dolóres parturiéntis* vénient ei : ipſe fílius non ſápiens : nunc enim non ſtabit in contritióne filiórum. De manu mortis liberábo eos, de morte rédimam eos : ero mors tua, ô mors! morſus tuus ero, inférne : conſolátio abſcóndita eſt óculis meis. Quia ipſe inter fratres dividet : addúcet uréntem ventum Dóminus de deſérto aſcendéntem : & ſiccábit venas ejus, & deſolábit fontem ejus, & ipſe dirípiet theſaúrum omnis vaſis deſiderábilis.

℟. *iij.* In médio, *p.* 338.

FERIA TERTIA.

Incipit Joël Prophéta.

Lectio I. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 7.

VErbum Dómini, quod factum eſt ad Joël fílium Phátuel. Audíte hoc, ſenes, & auríbus percípite, omnes habitatóres terræ : ſi factum eſt iſtud in diébus veſtris, aut in diébus patrum veſtrórum? Super hoc fíliis veſtris narráte, & fílii veſtri fíliis ſuis, & fílii eórum generatióni álteræ. Reſíduum erúcæ comédit locúſta, & reſíduum locúſtæ comédit bruchus, & reſíduum bruchi comédit rubígo. Expergiſcímini, ébrii, & flete, & ululáte, omnes qui bíbitis vinum in dulcédine : quóniam périit ab ore veſtro. Gens enim aſcéndit ſuper terram meam, fortis & innumerábilis : dentes ejus ut dentes leónis : & moláres ejus ut cátuli leónis. Póſuit

vineam meam in deſértum, & ficum meam decorticávit: nudans ſpoliávit eam, & projécit: albi facti ſunt rami ejus. Plange quaſi virgo accíncta ſacco ſuper virum pubertátis ſuæ. Périit ſacrifícium & libátio de domo Dómini: luxérunt ſacerdótes miníſtri Dómini.

℟. *j.* Ecce formans, *p.* 339.

LECTIO II. *v.* 13. *ad finem.*

ACcíngite vos, & plángite, Sacerdótes, ululáte, Miníſtri altáris: ingredímini, cubáte in ſacco, Miníſtri Dei mei: quóniam intériit de domo Dei veſtri ſacrifícium & libátio. Sanctificáte jejúnium, vocáte cœtum, congregáte ſenes, omnes habitatóres terræ, in domum Dei veſtri. Et clamáte ad Dóminum: A, a, a, diéi: quia propè eſt dies Dómini: & quaſi váſtitas à poténte véniet. Nunquid non coram óculis veſtris aliménta periérunt de domo Dei noſtri, lætítia & exultátio? Computruérunt juménta in ſtércore ſuo, demolíta ſunt hórrea, diſſipátæ ſunt apothécæ: quóniam confúſum eſt tríticum. Quid ingémuit ánimal, mugiérunt greges arménti? Quia non eſt páſcua eis: ſed & greges pécorum diſperiérunt. Ad te, Dómine, clamábo; quia ignis comédit ſpecióſa deſérti, & flamma ſuccéndit ómnia ligna regiónis. Sed & béſtiæ agri, quaſi área ſítiens imbrem, ſuſpexérunt ad te: quóniã exſiccáti ſunt fontes aquárum, & ignis devorávit ſpecióſa deſérti.

℟. *ij.* Ecce dies, *p.* 339.

LECTIO III. *c.* 3. *v.* 12. *ad* 18.

COnſúrgant, & aſcéndant Gentes in vallem Jóſaphat: quia ibi ſedébo, ut júdicem omnes gentes in circúitu. Míttite falces, quóniam maturávit meſſis: veníte, & deſcéndite, quia plenum eſt tórcular. Exúberant torculária, quia multiplicáta eſt malítia eórum. Pópuli, pópuli in valle conciſiónis: quia juxtà eſt dies Dómini in valle conciſiónis. Sol & luna obtenebráti ſunt, & ſtellæ retraxérunt ſplendórem ſuum. Et Dóminus de Sion rúgiet, & de Jerúſalem dabit vocem ſuam: & movebúntur cœli & terra: & Dóminus ſpes pópuli ſui, & fortitúdo filiórum Iſraël. Et ſciétis quia ego Dóminus Deus veſter, hábitans in Sion monte ſancto meo: & erit Jerúſalem ſancta, & aliéni non tranſíbunt per eam ámpliùs. Et erit in die illa: Stillábunt montes dulcédinem, & colles fluent lacte: & per omnes rivos Juda ibunt aquæ: & fons de domo Dómini egrediétur, & irrigábit torréntem ſpinárum.

℟. *iij.* Aſcéndent, *p.* 340.

FERIA QUARTA.

Incipit Amos Prophéta.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 5.

VErba Amos, qui fuit in paſtóribus de Thécue, quæ vidit ſuper Iſraël,

in diébus Oзíæ regis Juda, & in diébus Jeróboam filii Joas regis Iſraël, ante duos annos terræ motûs. Et dixit: Dóminus de Sion rúgiet, & de Jerúſalem dabit vocem ſuam: & luxérunt ſpecióſa paſtórum, & exſiccátus eſt vertex Carméli. Hæc dicit Dóminus: Super tribus ſcéléribus Damáſci, & ſuper quátuor non convértam eũ: eò quòd trituráverint in plauſtris férreis Gálaad. Et mittam ignem in domum Azaël, & devorábit domos Bénadad. Et cónteram vectem Damáſci: & diſpérdam habitatórem de campo idóli, & tenéntem ſceptrum de domo voluptátis: & transferétur pópulus Syriæ Cyrénen, dicit Dóminus.

℟. *j.* Vidit, *p.* 340.

LECTIO II. *c.* 5. *v.* 10. *ad* 16.

ODio habuérunt corripiéntem in porta: & loquéntem perféctè abominári ſunt. Idcírcò, pro eò quòd diripiebátis paúperem, & prædam eléctam tollebátis ab eo, domos quadro lápide ædificábitis, & non habitábitis in eis: víneas plantábitis amántiſſimas, & non bibétis vinum eárum. Quia cognóvi multa ſcélera veſtra, & fórtia peccáta veſtra: hoſtes juſti accipiéntes munus, & paúperes depriméntes in porta: ídeò prudens in témpore illo tacébit, quia tempus malum eſt. *Quærite bonum*, & non malum, ut vivátis: & erit Dóminus Deus exercítuum vobíſcum, ſicut dixíſtis. Odíte malum, & dilígite bonum, & conſtitúite in porta judícium: ſi fortè miſereátur Dóminus Deus exercítuum relíquiis Joſeph. Proptéreà hæc dicit Dóminus Deus exercítuum Dominátor: In ómnibus platéis planctus. Et in cunctis quæ foris ſunt, dicétur: Væ, væ: & vocábunt agrícolam ad luctum, & ad planctum eos qui ſciunt plángere.

℟. *ij.* Indicábo, *p.* 341.

LECTIO III. *c.* 6. *v.* 1. *ad* 7.

VÆ, qui opuléntí eſtis in Sion, & confíditis in monte Samaríæ, optimátes, cápita populórum, ingrediéntes pompáticè domum Iſraël. Transíte in Chálane, & vidéte, & ite inde in Emath magnam: & deſcéndite in Geth Palæſtinórum, & ad óptima quæque regna horum: ſi látior términus eórum término veſtro eſt. Qui ſeparáti eſtis in diem malum: & appropinquátis ſólio iniquitátis. Qui dormítis in lectis ebúrneis, & laſcivítis in ſtratis veſtris: qui comédítis agnum de grege, & vítulos de médio arménti. Qui cánitis ad vocem pſaltérii, ſicut David, putavérunt ſe habére vaſa cántici. Bibéntes vinum in phíalis, & óptimo unguénto delibúti: & nihil patiebántur ſuper con-

tritióne Joſeph. Quaprópter nunc migrábunt in cápite tranſmigrántium : & auferétur factio laſciviéntium.

℟. *iij*. In die illa, dicit Dóminus, congregábo claudicántem; & * Eam quam ejéceram, cólligam, & quam afflíxeram. *Mich.* 4. 6. ℣. Omnis qui credit in eum, non confundétur. *Rom.* 9. 33. * Eam. Glória. * Eam.

FERIA QUINTA.

Incipit Abdias Prophéta.

LECTIO I. *v.* 1. *ad* 4.

Viſio Abdiæ. Hæc dicit Dóminus Deus ad Edom: Audítum audívimus à Dómino, & legátum ad gentes miſit : Súrgite, & conſurgámus advérsùs eum in prælium. Ecce párvulum dedi te in Géntibus : contemptíbilis tu es valde. Supérbia cordis tui éxtulit te, habitántem in ſciſsúris petrárum, exaltántem sólium tuum : qui dicis in corde tuo : Quis détrahet me in terram ? Si exaltátus fúeris ut áquila, & ſi inter sídera posúeris nidum tuum, inde détraham te, dicit Dóminus.

℟. *j*. Dies, *p*. 337.

LECTIO II. *v*. 8. *ad* 11.

Numquid non in die illa, dicit Dóminus, perdam ſapiéntes de Idumǽa, & prudéntiam de monte Eſaü ? Et timébunt fortes tui à merídie, ut intéreat vir de monte Eſaü. Propter interfectiónem, & propter iniquitátem in fratrem tuum Jacob, opériet te confúſio, & peribis in ætérnum. In die cùm ſtares advérsùs eum, quando capiébant aliéni exércitum ejus, & extránei ingrediebántur portas ejus, & ſuper Jerúſalem mittébant ſortem, tu quoque eras quaſi unus ex eis.

℟. *ij*. Tóllite, *p*. 338.

LECTIO III. *v*. 17. *ad finem*.

In monte Sion erit ſalvátio, & erit ſanctus : & poſſidébit domus Jacob eos qui ſe poſséderant. Et erit domus Jacob ignis, & domus Joſeph flamma, & domus Eſaü ſtípula : & ſuccendéntur in eis, & devorábunt eos : & non erunt relíquiæ domûs Eſaü, quia Dóminus locútus eſt. Et hæreditábunt hi qui ad Auſtrum ſunt, montem Eſaü, & qui in campéſtribus Philiſthiim : & poſſidébunt regiónem Ephraïm, & regiónem Samaríæ : & Bénjamin poſſidébit Gálaad. Et tranſmigrátio exércitûs hujus filiórum Iſraël, ómnia loca Chananæórum uſque ad Saréptam : & tranſmigrátio Jerúſalem, quæ in Bóſphoro eſt, poſſidébit civitátes Auſtri. Et aſcéndent ſalvatóres in montem Sion, judicáre montem Eſaü : & erit Dómino regnum.

℟. *iij*. In médio, *p*. 338.

FERIA SEXTA.

Incipit Jonas Prophéta.

LECTIO I. *c*. 1. *v*. 1. *ad* 7.

Et factum eſt verbum Dómini ad Jonam fílium Amáthi, dicens : Sur-

ge, & vade in Níniven civitátem grandem, & prǽdica in ea: quia aſcéndit malítia ejus coram me. Et ſurréxit Jonas, ut fúgeret in Tharſis à fácie Dómini, & deſcéndit in Joppen, & invénit navem euntem in Tharſis: & dedit naulum ejus, & deſcéndit in eam ut iret cum eis in Tharſis à fácie Dómini. Dóminus autem miſit ventum magnum in mare: & facta eſt tempéſtas magna in mari, & navis periclitabátur cónteri. Et timuérunt nautæ, & clamavérunt viri ad deum ſuum: & miſérunt vaſa qui erant in navi, in mare, ut alleviarétur ab eis: & Jonas deſcéndit ad interióra navis, & dormiébat ſopóre gravi. Et accéſſit ad eum gubernátor, & dixit ei: Quid tu ſopóre deprímeris? Surge, ínvoca Deum tuum, ſi fortè recógitet Deus de nobis, & non pereámus. Et dixit vir ad collégam ſuum: Veníte, & mittámus ſortes, & ſciámus quare hoc malum ſit nobis. Et miſérunt ſortes: & cécidit ſors ſuper Jonam.

℟. *ij.* Ecce formans, *p.* 339.

LECTIO II. *v.* 12. *ad finem,* & *c.* 2. *v.* 1.

ET dixit ad eos: Tóllite me, & míttite in mare, & ceſſábit mare à vobis: ſcio enim ego quóniam *propter* me tempéſtas hæc *grandis venit ſuper* vos. Et remigábant viri ut reverteréntur ad áridam, & non valébant: quia mare ibat: & intumeſcébat ſuper eos. Et clamavérunt ad Dóminum, & dixérunt: Quǽſumus, Dómine, ne pereámus in ánima viri iſtius, & ne des ſuper nos ſánguinem innocéntem: quia tu, Dómine, ſicut voluiſti, feciſti. Et tulérunt Jonam, & miſérunt in mare: & ſtetit mare à fervóre ſuo. Et timuérunt viri timóre magno Dóminum: & immolavérunt hóſtias Dómino, & vovérunt vota. Et præparávit Dóminus piſcem grandem, ut deglutíret Jonam, & erat Jonas in ventre piſcis, tribus diébus, & tribus nóctibus.

℟. *ij.* Ecce dies, *p.* 339.

LECTIO III. *c.* 2. *v.* 11. & *c.* 3. *v.* 1. *ad finem.*

ET dixit Dóminus piſci: & evómuit Jonam in áridam. Et factum eſt verbum Dómini ad Jonam ſecúndò, dicens: Surge, & vade in Níniven civitátem magnam: & prǽdica in ea prædicatiónem quam ego loquor ad te. Et ſurréxit Jonas, & ábiit in Níniven, juxta verbum Dómini: & Nínive erat cívitas magna itínere trium diérum. Et cœpit Jonas introíre in civitátem itínere diéi uníus: & clamávit, & dixit: Adhuc quadragínta dies, & Nínive ſubvertétur. Et credidérunt viri Ninívitæ in Deum: &

prædicavérunt jejúnium, & veſtíti ſunt ſaccis à majóre uſque ad minórem. Et pervénit verbum ad Regem Nínive: & ſurréxit de sólio ſuo, & abjécit veſtiméntum ſuum à ſe, & indútus eſt ſacco; & ſedit in cínere. Et clamávit, & dixit in Nínive ex ore Regis & príncipum ejus, dicens: Hómines, & juménta, & boves, & pécora non guſtent quidquam, nec paſcántur, & aquam non bibant. Et operiántur ſaccis hómines & juménta: & clament ad Dóminum in fortitúdine, & convertátur vir à via ſua mala, & ab iniquitáte quæ eſt in mánibus eórum. Quis ſcit ſi convertátur & ignóſcat Deus, & revertátur à furóre iræ ſuæ, & non períbimus? Et vidit Deus ópera eórum, quia convérſi ſunt de via ſua mala: & misértus eſt Deus ſuper malítiam quam locútus fúerat ut fáceret eis, & non fecit.

℟. iij. Aſcéndent, *p.* 340.

SABBATO.

Incipit Michǽas Prophéta.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 6.

VErbum Dómini, quod factum eſt ad Michǽam Moraſthíten, in diébus Jóathan, Achaz, & Ezechíæ, regum Juda: quod vidit ſuper Samaríam, & Jeruſalem. Audíte, pópuli omnes, & atténdat terra & plenitúdo ejus: & ſit Dóminus Deus vobis in teſtem, Dóminus de templo ſancto ſuo. Quia ecce Dóminus egrediétur de loco ſuo: & deſcéndet, & calcábit ſuper excélſa terræ. Et conſuméntur montes ſubtùs eum: & valles ſcindéntur, ſicut cera à fácie ignis, & ſicut aquæ quæ decúrrunt in præceps. In ſcélere Jacob omne iſtud, & in peccátis domûs Iſraël. Quod ſcelus Jacob? Nónne Samaría? Et quæ excélſa Judæ? Nónne Jeruſalem? Et ponam Samaríam quaſi acérvum lápidum in agro, cùm plantátur vinea: & détraham in vallem lápides ejus, & fundaménta ejus revelábo.

Si fiat de Sabbato, duo priora ℟℟. *è III. Noctur. Dom. præced.*

LECTIO II. *c.* 4. *v.* 1. *ad* 5.

ET erit: In noviſſimo diérum, erit mons domûs Dómini præparátus in vértice móntium, & ſublímis ſuper colles: & fluent ad eum pópuli. Et properábunt gentes multæ, & dicent: Veníte, aſcendámus ad montem Dómini, & ad domum Dei Jacob: & docébit nos de viis ſuis, & íbimus in sémitis ejus: quia de Sion egrediétur lex, & verbum Dómini de Jeruſalem. Et judicábit inter pópulos multos, & corrípiet gentes fortes uſque in longínquum: & concídent gládios ſuos in vómeres, & haſtas ſuas in ligónes: Non ſumet gens advérsùs gentem gládium: & non diſcent ultrà belligerá-

re. Et ſedébit vir ſubtùs vitem ſuam, & ſubtùs ficum ſuam, & non erit qui detérreat : quia os Dómini exercítuum locútum eſt. Quia omnes pópuli ambulábunt unuſquíſque in nómine dei ſui : nos autem ambulábimus in nómine Dómini Dei noſtri, in ætérnum & ultrà.

LECTIO III. *c.* 5. *v.* 2. *ad* 5.

ET tu, Béthlehem Ephráta, párvulus es in míllibus Juda : ex te mihi egrediétur qui ſit Dominátor in Iſraël : & egréſſus ejus ab inítio, à diébus æternitátis. Propter hoc dabit eos uſque ad tempus in quo partúriens páriet : & relíquiæ fratrum ejus converténtur ad fílios Iſraël. Et ſtabit, & paſcet in fortitúdine Dómini, in ſublimitáte nóminis Dómini Dei ſui : & converténtur, quia nunc magnificábitur uſque ad términos terræ. Et erit iſte pax : cùm vénerit Aſsýrius in terram noſtram, & quando calcáverit in dómibus noſtris : & ſuſcitábimus ſuper eum ſeptem paſtóres, & octo primátes hómines.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Prophetavérunt Aggæus Prophéta, & Zacharías fílius Addo, prophetántes ad Judæos qui erant in Judæa & Jeruſalem, in nómine Dei Iſraël. 1. *Eſdr.* 5. 1.

Oratio de Laudibus Dominicæ ſequentis.

DOMINICA XXVIII. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Nahum Prophéta.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 6.

ONus Nínive : Liber viſiónis Nahum Elceſæi. Deus æmulátor : & ulciſcens Dóminus : ulciſcens Dóminus, & habens furórem : ulciſcens Dóminus in hoſtes ſuos, & iráſcens ipſe inimícis ſuis. Dóminus pátiens & magnus fortitúdine, & mundans non fáciet innocéntem. Dóminus in tempeſtáte & túrbine viæ ejus : & nébulæ pulvis pedum ejus. Increpans mare, & exſíccans illud, & ómnia flúmina ad desértum dedúcens. Infirmátus eſt Baſan & Carmélus : & flos Líbani elánguit. Montes commóti ſunt ab eo, & colles deſoláti ſunt : & contrémuit terra à fácie ejus, & orbis, & omnes habitántes in eo. Ante fáciem indignatiónis ejus quis ſtabit ? Et quis reſíſtet in ira furóris ejus ? Indignátio ejus effúſa eſt ut ignis : & petræ diſſolútæ ſunt ab eo.

℞. *j.* Dóminus in tempeſtáte & túrbine viæ ejus ; & nébulæ pulvis pedum ejus : * Increpans mare & exſíccans illud, & ómnia flúmina ad desértum dedúcens. *Nah.* 1. 3. 4. ℣. Deus qui fecit mundum, & ómnia quæ in eo ſunt. *Act.* 17. 24. * Increpans mare & exſíccans illud.

LECTIO II. *v.* 7. *ad* 11.

BOnus Dóminus, & confórtans in die tribulatiónis, & ſciens ſperántes in ſe. Et in dilúvio prætereúnte, conſummatiónem fáciet loci ejus: & inimícos ejus perſequéntur ténebræ. Quid cogitátis contra Dóminum? Conſummatiónem ipſe fáciet: non conſúrget duplex tribulátio. Quia ſicut ſpinæ ſe invicé complectúntur, ſic convívium eórum páriter potántium: conſuméntur quaſi ſtípula aridi- tàte plena. Ex te exibit cógitans contra Dóminum malítiam, mente pertráctans prævaricatiónem.

℟. *ij*. Apparébit in finem, & non mentiétur; ſi moram fécerit, expécta illum; quia * Véniens véniet, & non tardábit. *Hab.* 2. 3. ℣. Noſtra conversátio in cœlis eſt, unde étiam Salvatórem expectámus. *Philipp.* 3. 20. * Véniens.

LECTIO III. *v.* 12. *ad finem.*

HÆc dicit Dóminus: Si perfécti fúerint, & ità plures: ſic quoque attondéntur, & pertranſíbit: afflixi te, & non affligam te ultrà. Et nunc cónteram virgam ejus de dorſo tuo, & víncula tua diſrúmpam. Et præcípiet ſuper te Dóminus, non ſeminábitur ex nómine tuo ámpliùs: de domo Dei tui interfíciam ſcúlptile & conflátile, ponam ſepúlcrum tuum, quia inhonorátus es. Ecce ſuper montes pedes evangelizántis & annuntiántis pacem. Célebra, Juda, feſtivitátes tuas, & redde vota tua: quia non adjíciet ultrà ut pertránſeat in te Bélial: univérſus intériit.

℟. *iij*. Relíquiæ Iſraël non fácient iniquitátem, nec loquéntur mendácium; & * Non inveniétur in ore eórum lingua dolóſa. *Soph.* 3. 13. ℣. Hoc illis à me teſtaméntum, cùm abſtúlero peccáta eórum. *Rom.* 11. 27. * Non inveniétur. Glória. * Non inveniétur.

IN II. NOCTURNO.

De Libro Proverbiórum.

LECTIO IV. *c.* 24. *v.* 1. *ad* 11.

NE æmuléris viros malos, nec deſíderes eſſe cum eis: quia rapínas meditátur mens eórum, & fraudes lábia eórum loquúntur. Sapiéntiâ ædificábitur domus, & prudéntiâ roborábitur. In doctrína replebúntur cellária, univérſa ſubſtántia pretióſa & pulchérrima. Vir ſápiens, fortis eſt: & vir doctus, robúſtus & válidus. Quia cum diſpoſitióne initur bellum: & erit ſalus ubi multa conſília ſunt. Excélſa ſtulto ſapiéntia, in porta non apériet os ſuum. Qui cógitat mala fácere, ſtultus vocábitur. Cogitátio ſtulti peccátum eſt: & abominátio hóminum detráctor. Si deſperáveris laſſus in die anguſtiæ, imminuétur fortitúdo tua. Erue eos qui ducúntur ad

mortem: & qui trahúntur ad intéritum, liberáre ne ceſſes.

℟. iv. Confortámini, omnis pópulus terræ, dicit Dóminus exercítuum; * Et fácite, quóniam ego vobíſcum ſum, dicit Dóminus exercítuum. *Agg.* 2. 5. ℣. Fratres mei, gaudéte in Dómino. *Philipp.* 3. 1. * Et fácite.

LECTIO V. *v.* 12. *ad* 23.

SI díxeris: Vires non ſuppétunt: qui inſpéctor eſt cordis, ipſe intélligit, & Servatórem ánimæ tuæ nihil fallit, reddétque hómini juxta ópera ſua. Cómede, fili mi, mel, quia bonum eſt, & favum dulcíſſimum gútturi tuo. Sic & doctrína ſapiéntiæ ánimæ tuæ: quam cum invéneris, habébis in noviſſimis ſpem, & ſpes tua non períbit. Ne inſidiéris, & quæras impietátem in domo juſti, neque vaſtes réquiem ejus. Séptics enim cadet juſtus, & resúrget: ímpii autem córruent in malum. Cùm cecíderit inimícus tuus, ne gaúdeas, & in ruína ejus ne exúltet cor tuum: ne fortè vídeat Dóminus, & diſplíceat ei, & aúferat ab eo iram ſuam. Ne conténdas cum péſſimis, nec æmuléris ímpios: quóniam non habent futurórum ſpem mali, & lucérna impiórum extinguétur. Time Dóminum, fili mi, & Regem, & cum detractóribus non commiſceáris: quóniam repéntè consúrget perdítio eórum: & ruínam utriúſque quis novit? Hæc quoque ſapiéntibus: Cognóſcere persónam in judício non eſt bonum.

℟. v. Ego movébo cœlum páriter & terram; & * Subvértam sólium regnórum, & cónteram fortitúdinem regni Géntium. *Agg.* 2. 22. 23. ℣. State ergo ſuccíncti lumbos veſtros in veritáte. *Eph.* 6. 14. * Subvértam.

LECTIO VI. *v.* 24. *ad finem.*

QUi dicunt ímpio, Juſtus es, maledícent eis pópuli, & deteſtabúntur eos tribus. Qui árguunt eum, laudabúntur: & ſuper ipſos véniet benedíctio. Lábia deoſculábitur, qui recta verba reſpóndet. Prǽpara foris opus tuum, & diligénter exérce agrum tuum: ut póſteà ædífices domum tuam. Ne ſis teſtis fruſtrà contra próximum tuum: nec lactes quemquam lábiis tuis. Ne dicas: Quómodo fecit mihi, ſic fáciam ei: reddam unicuíque ſecúndùm opus ſuum. Per agrum hóminis pigri transívi, & per víneam viri ſtulti: & ecce totum repléverant urticæ, & operúerant ſuperficiem ejus ſpinæ, & macéria lápidum deſtrúcta erat. Quod cùm vidiſſem, póſui in corde meo, & exémplo dídici diſciplínam. Parùm, inquam, dórmies, módicùm dormitábis, pauxíllùm manus cónſeres, ut quiéſcas: & véniet

tibi quaſi curſor egéſtas, & mendícitas quaſi vir armátus.

℟. vj. Víduam, & pupíllum, & ádvenam, & paúperem nolíte calumniári; * Et malum vir fratri ſuo non cógitet in corde ſuo. *Zach.* 7. 10. ℣. Eſtóte ínvicem benígni, miſericórdes, donántes ínvicem. *Eph.* 4. 32. * Et. Glória. * Et.

IN III. NOCTURNO.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lib. 18. *De Civit. Dei. Cap.* 31. 33.

LECTIO VII.

NAhum Prophéta, imò per illum Deus, Exterminábo, inquit, ſculptília, & conflatília: ponam ſepultúram tuam; quia velóces: ecce ſuper montes pedes evangelizántis & annuntiántis pacem. Hábacuc, de quo álio, quàm de Chriſti advéntu, qui futúrus fúerat, intellígitur dícere: Et reſpóndit Dóminus ad me, & dixit: Scribe viſum apértè in buxo, ut aſſequátur qui legit ea: quia adhuc víſio ad tempus, & oriétur in fine, & non in vácuum. Si tardáverit, súſtine eum; quia véniens véniet, & non morábitur? Sophoníæ autem Prophétæ, qui cum Jeremía prophetábat, hæc prædícta de Chriſto ínterim ponam: Expécta me, dicit Dóminus, in die reſurrectiónis meæ in futúrum: quia judícium meum, ut cóngregem gentes, & cólligam regna. Et íterùm: Horríbilis, inquit, Dóminus ſuper eos, & exterminábit omnes deos terræ, & adorábit eum vir de loco ſuo, omnes ínſulæ Géntium.

℟. vij. Sicut erátis maledíctio in Géntibus, domus Juda, & domus Iſraël, ſic * Salvábo vos, & éritis benedíctio. *Zach.* 8. 13. ℣. Vos eſtis filii Prophetárum, & teſtaménti quod diſpóſuit Deus ad patres noſtros. *Act.* 3. 25. * Salvábo vos.

LECTIO VIII. *Cap.* 35.

REſtant tres minóres Prophétæ, qui prophetavérunt in fine captivitátis, Aggǽus, Zacharías, Malachías; quorum Aggǽus Chriſtum & Eccléſiam hâc apértiùs brevitáte prophétat: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Adhuc unum módicum eſt, & ego commovébo cœlum, & terram, & mare, & áridam, & movébo omnes gentes, & véniet Deſiderátus cunctis géntibus. Zacharías de Chriſto & Eccléſia: Exúlta, inquit, valde, fília Sion; Júbila, fília Jerúſalem: ecce Rex tuus véniet tibi, Juſtus & Salvátor: ipſe pauper & aſcéndens ſuper áſinam, & ſuper pullum fílium áſinæ. Malachías prophétans Eccléſiam quam per Chriſtum cérnimus propagátam, Judǽis apertíſſimè dicit ex persóna Dei: Non eſt mihi volúntas in vobis, & mu-

nus non ſuſcípiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis uſque ad occáſum, magnum eſt nomen meum in Géntibus: & in omni loco ſacrificátur & offértur nómini meo Oblátio munda: quia magnum nomen meum in Géntibus, dicit Dóminus. Hoc Sacrificium per Sacerdótium Chriſti ſecúndùm órdinem Melchiſedech, cùm in omni loco à ſolis ortu uſque ad occáſum Deo jam videámus offérri; ſacrificium autem Judæórum quibus dictum eſt: Non eſt mihi volúntas in vobis, nec accípiam de mánibus veſtris munus, ceſsáſſe negáre non poſſunt; quid adhuc expéctant álium Chriſtum? cùm hoc quod prophetátum legunt & implétum vident, impléri non potúerit, niſi per ipſum.

℟. *viij.* Filius honórat patrem, & ſervus dóminum ſuum: ſi ergo Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & * Si Dóminus ego ſum, ubi eſt timor meus? *Mal.* 1. 6. ℣. Quid vocátis me, Dómine, Dómine, & non fácitis quæ dico? *Luc.* 6. 46. * Si Dóminus.

Cætera omnia, excepto Canone, ut habentur ſuprà, p. 319.

FERIA SECUNDA.

Incipit Hábacuc Prophéta.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 5.

ONus quod vidit Hábacuc Prophéta. Uſquequò, *Dómine*, clamábo, & non exaúdies? vociferábor ad te vim pátiens, & non ſalvábis? Quare oſtendíſti mihi iniquitátem & labórem, vidére prædam & injuſtítiam contra me? & factum eſt judícium, & contradíctio poténtior. Propter hoc laceráta eſt lex, & non pervénit uſque ad finem judícium: quia impius prævalet advérsùs juſtum, proptéreà egréditur judícium pervérſum. Aſpícite in Géntibus, & vidéte: admirámini, & obſtupéſcite: quia opus factum eſt in diébus veſtris, quod nemo credet, cùm narrábitur.

℟. *j.* Dóminus, *p.* 348.

LECTIO II. *c.* 2. *v.* 1. *ad* 6.

SUper cuſtódiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitiónem: & contemplábor, ut vídeam quid dicátur mihi, & quid reſpóndeam ad arguéntem me. Et reſpóndit mihi Dóminus, & dixit: Scribe viſum, & explána eum ſuper tábulas, ut percúrrat qui légerit eum. Quia adhuc viſus procul, & apparébit in finem, & non mentiétur: ſi moram fécerit, expécta illum, quia véniens véniet, & non tardábit. Ecce qui incrédulus eſt, non erit recta ánima ejus in ſemetipſo: Juſtus autem in fide ſua vivet. Et quómodo vinum potántem décipit: ſic erit vir ſupérbus, & non decorábitur: qui dilatávit quaſi inférnus áni-

mam ſuam: & ipſe quaſi mors, & non adimplétur: & congregábit ad ſe omnes gentes, & coacervábit ad ſe omnes pópulos. Nunquid non omnes iſti ſuper eum parábolam ſument, & loquélam ænígmatum ejus? & dicétur: Væ ei qui multíplicat non ſua. Uſquequò & ággravat contra ſe denſum lutum?

℟. *ij.* Apparébit, *p.* 349.

Lectio III. *v.* 9. *ad* 14.

VÆ qui cóngregat avarítiam malam dómui ſuæ, ut ſit in excélſo nidus ejus, & liberári ſe putat de manu mali. Cogitáſti confuſiónem dómui tuæ, concidíſti pópulos multos, & peccávit ánima tua. Quia lapis de paríete clamábit, & lignum quod inter junctúras ædificiórum eſt, reſpondébit. Væ qui ædíficat civitátem in ſanguínibus, & præparat urbem in iniquitáte. Nunquid non hæc ſunt à Dómino exercítuum? Laborábunt enim pópuli in multo igne, & gentes in vácuum, & defícient. Quia replébitur terra, ut cognóſcant glóriam Dómini, quaſi aquæ operiéntes mare.

℟. *iij.* Relíquiæ Iſraël, *p.* 349.

FERIA TERTIA.

Incipit Sophonías Prophéta.

Lectio I. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 6.

VErbum Dómini, quod factum eſt ad Sophoníam filium Chuſi, filii Godolíæ, filii Amaríæ, filii Ezecíæ, in diébus Josíæ filiæ Amon regis Judæ. Cóngregans congregábo ómnia à fácie terræ, dicit Dóminus: cóngregans hóminem & pecus: cóngregans volatília cœli & piſces maris. Et ruínæ impiórum erunt: & diſpérdam hómines à fácie terræ, dicit Dóminus. Et exténdam manum meam ſuper Judam, & ſuper omnes habitántes Jerúſalem: & diſpérdam de loco hoc relíquias Baal, & nómina æedituórum cum ſacerdótibus, & eos qui adórant ſuper tecta milítiam cœli, & adórant, & jurant in Dómino, & jurant in Melchom: & qui avertúntur de poſt tergum Dómini, & qui non quæſiérunt Dóminum, nec inveſtigavérunt eum.

℟. *j.* Confortáre, *p.* 350.

Lectio II. *v.* 12. *ad finem.*

ET erit, in témpore illo: Scrutábor Jerúſalem in lucérnis: & viſitábo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis. Qui dicunt in córdibus ſuis: Non fáciet benè Dóminus, & non fáciet malè. Et erit fortitúdo eórum in direptiónem, & domus eórum in desértum. Et ædificábunt domos, & non habitábunt: & plantábunt víneas, & non bibent vinum eárum. Juxtà eſt dies Dómini magnus, juxtà eſt & velox nimis: vox diéi Dómini amára, tribulábitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tri-

bulatiónis & angúſtiæ, dies calamitátis & miſériæ, dies tenebrárum & calíginis, dies nébulæ & túrbinis, dies tubæ & clangóris ſuper civitátes munítas, & ſuper ángulos excélſos. Et tribulábo hómines, & ambulábunt ut cœci, quia Dómino peccavérunt: & effundétur ſanguis eórum ſicut humus, & córpora eórum ſicut ſtércora. Sed & argéntum eórum & aurum eórum non póterit liberáre eos, in die iræ Dómini: in igne zeli ejus devorábitur omnis terra, quia conſummatiónem cum feſtinatióne fáciet cunctis habitántibus terram.

℟. *ij*. Ego, *p*, 350.

LECTIO III. *c*. 3. *v*. 8. *ad* 13.

EXpécta me, dicit Dóminus, in die reſurrectiónis meæ, in futúrum: quia judícium meum ut cóngregem gentes, & cólligam regna, & effúndam ſuper eos indignatiónem meam, omnem iram furóris mei: in igne enim zeli mei devorábitur omnis terra. Quia tunc reddam pópulis lábium eléctum, ut invócent omnes in nómine Dómini, & sérviant ei húmero uno. Ultra flúmina Æthiópiæ, inde súpplices mei, fílii diſperſórum meórum déferent munus mihi. In die illa, non confundéris ſuper cunctis adinventiónibus tuis quibus prævaricáta es in me: quia tunc áuferam de médio tuî magníloquos ſupérbiæ tuæ, & non adjícies exaltári ámpliùs in Sancto meo. Et derelínquam in médio tuî pópulum paúperem & egénum: & ſperábunt in nómine Dómini. Relíquiæ Iſraël non fácient iniquitátem, nec loquéntur mendácium, & non inveniétur in ore eórum lingua dolóſa: quóniam ipſi paſcéntur, & accubábunt, & non erit qui extérreat.

℟. *iij*. Víduam, *p*. 351.

FERIA QUARTA.

Incipit Aggæus Prophéta.

LECTIO I. *c*. 1. *v*. 1. *ad* 6.

IN anno ſecúndo Daríi regis, in menſe ſexto, in die una menſis, factum eſt verbum Dómini in manu Aggæi Prophétæ, ad Zoróbabel fílium Saláthiel, ducem Juda, & ad Jeſum fílium Jóſedec, Sacerdótem magnum, dicens: Hæc ait Dóminus exercítuum, dicens: Pópulus iſte dicit: Nondùm venit tempus domûs Dómini ædificándæ. Et factum eſt verbum Dómini in manu Aggæi Prophétæ, dicens: Nunquid tempus vobis eſt ut habitétis in dómibus laqueátis, & domus iſta desérta? Et nunc hæc dicit Dóminus exercítuum: Pónite corda veſtra ſuper vias veſtras. Semináſtis multùm, & intulíſtis parùm: comedíſtis, & non eſtis ſatiáti: bibíſtis & non eſtis inebriáti: operuíſtis vos, & non eſtis calefácti: & qui mercédes

congregávit, miſit eas in sácculum pertúſum.

℟. *j.* Sicut, *p.* 351.

LECTIO II. *v.* 7. *ad* 11.

HÆc dicit Dóminus exercítuum: Pónite corda veſtra ſuper vias veſtras; aſcéndite in montem, portáte ligna, & ædificáte domum: & acceptábilis mihi erit, & glorificábor, dicit Dóminus. Reſpexíſtis ad ámpliùs, & ecce factum eſt minùs: & intulíſtis in domum, & exſufflávi illud. Quam ob cauſam, dicit Dóminus exercítuum? Quia domus mea desérta eſt, & vos feſtinátis unuſquíſque in domum ſuam: propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cœli, ne darent rorem: & terra prohíbita eſt, ne daret germen ſuum. Et vocávi ſiccitátem ſuper terram, & ſuper montes, & ſuper tríticum, & ſuper vinum, & ſuper óleum, & quæcúmque profert humus, & ſuper hómines, & ſuper juménta, & ſuper omnem labórem mánuum.

℟. *ij.* Filius, *p.* 352.

LECTIO III. *c.* 2. *v.* 1. *ad* 6.

IN séptimo menſe, vigéſimâ & primâ menſis, factum eſt verbum Dómini in manu Aggæi Prophétæ, dicens: Lóquere ad Zoróbabel filium Saláthiel, ducem Juda; & ad Jeſum filium Jóſedec, Sacerdótem magnum; & ad réliquos pópuli, dicens: Quis in vobis eſt derelíctus, qui vidit domum iſtam in glória ſua prima? Et quid vos vidétis hanc nunc? Nunquid non ità eſt, quaſi non ſit in óculis veſtris? Et nunc confortáre, Zoróbabel, dicit Dóminus: & confortáre, Jeſu fili Jóſedec, Sacérdos magne, & confortáre, omnis pópulus terræ, dicit Dóminus exercítuum: & fácite, quóniam ego vobíſcum ſum, dicit Dóminus exercítuum. Verbum quod pépigi vobíſcum, cùm egrederémini de terra Ægýpti: & Spíritus meus erit in médio veſtrûm, nolíte timére.

℟. *iij.* Ecce ego * Mittam vobis Halíam Prophétam, ántequàm véniat dies Dómini magnus & horríbilis. *Mal.* 4. 5. ℣. Mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna. *Matt.* 24. 31. * Mittam. Glória. * Mittam.

FERIA QUINTA.

Incipit Zacharias Prophéta.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 4.

IN menſe octávo, in anno ſecúndo Daríi regis, factum eſt verbum Dómini ad Zacharíam, filium Barachíæ, filii Addo, Prophétam, dicens: Irátus eſt Dóminus ſuper patres veſtros iracúndiâ. Et dices ad eos: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Convertímini ad me, ait Dóminus exercítuum, & convértar ad vos, dicit Dóminus exercítuum. Ne ſitis ſicut patres veſtri ad quos clamábant Prophétæ prióres, dicéntes:

Hæc dicit Dóminus exercítuum: Convertímini de viis veſtris malis, & de cogitatiónibus veſtris péſſimis: & non audiérunt, neque attendérunt ad me, dicit Dóminus.

℟. *j.* Dóminus, *p.* 348.

LECTIO II. *c.* 3. *v.* 7. *ad fin.*

HÆc dicit Dóminus exercítuum: Si in viis meis ambuláveris, & cuſtódiam meam cuſtodíeris, tu quoque judicábis domum meã, & cuſtódies átria mea, & dabo tibi ambulántes de his qui nunc hîc aſsíſtunt. Audi, Jeſu, Sacérdos magne, tu & amíci tui qui hábitant coram te, quia viri portendéntes ſunt. Ecce enim ego addúcam ſervum meum Oriéntem. Quia ecce lapis quem dedi coram Jeſu: ſuper lápidem unum ſeptem óculi ſunt. Ecce ego cælábo ſculptúram ejus, ait Dóminus exercítuum: & aúferam iniquitátem terræ illíus, in die una. In die illa, dicit Dóminus exercítuum, vocábit vir amícum ſuum ſubter vitem & ſubter ficum.

℟. *ij.* Apparébit, *p.* 349.

LECTIO III. *c.* 9. *v.* 9. *ad* 11.

EXúlta ſatis, filia Sion, júbila, filia Jerúſalem: ecce Rex tuus véniet tibi Juſtus & Salvátor: ipſe pauper, & aſcéndens ſuper áſinam, & ſuper pullum fílium áſinæ. Et diſpérdam quadrígam ex Ephraïm, & equum de Jerúſalem, & diſſipábitur arcus belli: & loquétur pacem Géntibus, & potéſtas ejus à mari uſque ad mare & à flumínibus uſque ad fines terræ. Tu quoque in sánguine teſtaménti tui emiſíſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.

℟. *iij.* Relíquiæ, *p.* 349.

FERIA SEXTA

De Zacharía Prophéta.

LECTIO I. *c.* 11. *v.* 10. *ad fin.*

TUli virgam meam quæ vocabátur Decus: & abſcídi eam, ut írritum fácerem fœdus meum quod percúſſi cum ómnibus pópulis. Et in írritum dedúctum eſt in die illa: & cognovérunt ſic paúperes gregis qui cuſtódiunt mihi, quia verbum Dómini eſt. Et dixi ad eos: Si bonum eſt in óculis veſtris, afférte mercédem meam: & ſi non, quiéſcite. Et appendérunt mercédem meam trigínta argénteos. Et dixit Dóminus ad me: Prójice illud ad ſtatuárium, decórum prétium quo appretiátus ſum ab eis. Et tuli trigínta argénteos, & projéci illos in domum Dómini ad ſtatuárium. Et præcídi virgam meam ſecúndam, quæ appellabátur Funículus, ut diſsólverem germanitátem inter Judam & Iſraël. Et dixit Dóminus ad me: Adhuc ſume tibi vaſa paſtóris ſtulti. Quia ecce ego ſuſcitábo paſtórem in terra, qui derelícta non viſitábit, diſpérſum non quæret, & contrítum non ſanábit, & id quod ſtat non enútriet, & carnes pinguium cómedet, & úngulas

eórum diſsólvet. O paſtor, & idólum, derelínquens gregem! Gládius ſuper bráchium ejus, & ſuper óculum dextrum ejus: bráchium ejus ariditáte ſiccábitur, & óculus dexter ejus tenebréſcens obſcurábitur.

℟. *j.* Confortáre, *p.* 350.

LECTIO II. *c.* 12. *v.* 8. *ad* 10.

IN die illa, próteget Dóminus habitatóres Jerúſalem, & erit qui offénderit ex eis, in die illa, quaſi David; & domus David, quaſi Dei, ſicut Angelus Dómini in conſpéctu eórum. Et erit, in die illa: Quæram contérere omnes gentes quæ véniunt contra Jerúſalem. Et effúndam ſuper domum David, & ſuper habitatóres Jerúſalem, ſpíritum grátiæ & precum: & aſpícient ad me, quem confixérunt. Et plangent eum planctu, quaſi ſuper unigénitum: & dolébunt ſuper eum, ut doléri ſolet in morte primogéniti.

℟. *ij.* Ego, *p.* 350.

LECTIO III. *c.* 13. *v.* 4. *ad* 7.

ET erit, in die illa: Confundéntur prophétæ, unuſquíſque ex viſióne ſua; cùm prophetáverit: nec operiéntur pállio sáccino, ut mentiántur. Sed dicet: Non ſum prophéta, homo agrícola ego ſum: quóniam Adam exémplum meum ab adoleſcéntia mea. Et dicétur ei: Quid ſunt plagæ iſtæ in médio mánuum tuárum? Et dicet: His plagátus ſum in domo eórum qui diligébant me. Frámea, ſuſcitáre ſuper Paſtórem meum, & ſuper virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus exercítuum: pércute Paſtórem, & diſpergéntur oves: & convértam manum meam ad párvulos.

℟. *iij.* Víduam, *p.* 351.

SABBATO.

Incipit Malachías Prophéta.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 7.

ONus verbi Dómini ad Iſraël in manu Malachíæ. Diléxi vos, dicit Dóminus, & dixíſtis: In quo dilexíſti nos? Nónne frater erat Eſaü Jacob, dicit Dóminus? & diléxi Jacob, Eſaü autem ódio hábui, & póſui montes ejus in ſolitúdinem, & hæreditátem ejus in dracónes desérti. Quòd ſi díxerit Idumæa: Deſtrúcti ſumus, ſed reverténtes ædificábimus quæ deſtrúcta ſunt: hæc dicit Dóminus exercítuum: Iſti ædificábunt, & ego déſtruam: & vocabúntur términi impietátis, & pópulus cui irátus eſt Dóminus, uſque in ætérnum. Et óculi veſtri vidébunt: & vos dicétis: Magnificétur Dóminus ſuper términum Iſraël. Fílius honórat patrem, & ſervus dóminum ſuum: ſi ergo Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi Dóminus ego ſum, ubi eſt timor meus? Dicit Dóminus exercítuum ad vos, ô ſacerdótes! qui deſpícitis nomen

meum, & dixíſtis: In quo deſpéximus nomen tuum? Offértis ſuper altáre meum panem pollútum, & dícitis: In quo pollúimus te? In eò quòd dícitis: Menſa Dómini deſpécta eſt.

Si fiat de Sabbato, duo priora ℟℟. *è III. Nocturno Dom. præced.*

Lectio II. *v.* 8. *ad* 11.

SI offerátis cœcum ad immolándum, nónne malùm eſt? Et ſi offerátis claudum & lánguidum, nónne malum eſt? Offer illud duci tuo, ſi placúerit ei, aut ſi ſuſcéperit fáciem tuã, dicit Dóminus exercítuum. Et nunc deprecámini vultum Dei ut miſereátur veſtrî, (de manu enim veſtra factum eſt hoc,) ſi quómodo ſuſcípiat fácies veſtras, dicit Dóminus exercítuum. Quis eſt in vobis, qui claudat óſtia, & incéndat altáre meum gratúitò? Non eſt mihi volúntas in vobis, dicit Dóminus exercítuum: & munus non ſuſcípiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis uſque ad occáſum, magnum eſt nomen meum in Géntibus: & in omni loco ſacrificátur & offértur nómini meo Oblátio munda: quia ma[illegible] eſt nomen meum in [illegible]tibus, dicit Dóminus [illegible]cítuum.

Lectio III. *c.* 3. *v.* 1[illegible] *finem.*

INvaluérunt ſuper m[illegible]ba veſtra, dicit D[illegible]nus. Et dixíſtis: Qui[illegible] cúti ſumus contra te [illegible]xíſtis: Vanus eſt, qu[illegible]vit Deo: & quod e[illegible]méntum, quia cuſto[illegible]mus præcépta ejus, & ambulávimus triſtes c[illegible] Dómino exercítuum? [illegible] nunc beátos dícimus [illegible]gántes: ſiquidem ædi[illegible] ſunt faciéntes impietá[illegible] & tentavérunt Deum[illegible] ſalvi facti ſunt. Tunc l[illegible] ſunt timéntes Dómin[illegible] unuſquíſque cum pró[illegible] ſuo. Et atténdit Dómi[illegible] & audívit: & ſcriptus liber monuménti cora[illegible] timéntibus Dóminum [illegible] cogitántibus nomen [illegible] Et erunt mihi, ait D[illegible]nus exercítuum, in die ego fácio, in pecúlium parcam eis, ſicut parcit fílio ſuo ſerviénti ſibi convertémini, & vidé[illegible] quid ſit inter juſtum, & pium; & inter ſervién[illegible] Deo, & non ſerviénten[illegible]

RESUMENDA
E DOMINICIS
Quæ superfuerunt post Epiphaniam.

DOMINICA III.
Quæ ſuperfuit poſt Epiphaniam.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

Lectio IX. *c.* 8. *v.* 1. *ad* 13.
Leproſus mundatus.

CUm deſcendíſſet Jeſus de monte, ſecútæ ſunt eum turbæ multæ. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbýteri.
Lib. 1. *Comm. in Matt. Cap.* 8.

DE monte Dómino deſcendénti occúrrunt turbæ: quia ad altióra aſcéndere non valuérunt. Et primus ei occúrrit lepróſus: necdùm enim póterat cum lepra tam multíplicem in monte Salvatóris audíre ſermónem. Rectè poſt prædicatiónem atque doctrínam, ſigni offértur occáſio, ut per virtútum mirácula, prætéritus apud audiéntes ſermo firmétur. Dómine, ſi vis, potes me mundáre. Qui voluntátem rogat, de virtúte non dúbitat. Et exténdens Jeſus manum, tétigit eum. Extendénte manum Dómino, ſtatim lepra fugit. Simúlque consídera, quàm húmilis, & ſinè jactántia reſpónſio. Ille dixerat: Si vis: Dóminus reſpóndit: Volo. Ille præmíſerat: Potes me mundáre: & dicit: Mundáre. Non ergo ut pleríque Latinórum putant, jungéndum eſt & legéndum: Volo mundáre: ſed ſeparátim: ut primùm dicat: Volo: deínde ímperans dicat: Mundáre.

℞. *ix.* Lavámini, mundi eſtóte, auférte malum cogitatiónum veſtrárum ab óculis meis, * Quiéſcite ágere pervérsè, diſcite benefácere. *Iſ.* 1. 16. 17. ℣. Secúndùm eum qui vocávit vos Sanctum, & ipſi in omni converſatióne ſancti ſitis. 1. *Petr.* 1. 15. * Quiéſcite. Glória. * Quiéſcite.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Si quis emundáverit ſe ab iſtis, erit vas in honórem ſanctificátum, & útile Dómino, ad omne opus bonum parátum. 2. *Tim.* 2. 21.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, infirmitátem noſtram propítius réſ-

...; atque ad ſanándum ..., déxteram tuæ majeſtá... extén de; Per Dóminum. *Ad* Magníficat, *Ant.* 1. D. ...ixit Jeſus Centurióni: Va...e, & ſicut credidíſti, fiat ...ibi: & ſanátus eſt puer in ...lla hora. *Matt.* 8. 13.

DOMINICA IV.

Quæ ſuperfuit poſt Epiphaniam.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Matthǽum.

Lectio IX. *c.* 8. *v.* 23. *ad* 27.

Tempeſtas vehemens ſedatur.

ASCendénte Jeſu in navículam, ſecúti ſunt eum Diſcípuli ejus. Et ecce motus magnus factus eſt in mari; ita ut navícula operirétur flúctibus. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epiſcopi.

Enarr. 2. *in Pſ.* 25. n. 4.

AUdíſtis in Evangélio: Periclitabátur navígium in ſtagno, & dormiébat Jeſus. Navigámus per quoddam ſtagnum, & venti & procéllæ non deſunt: tentatiónibus quotidiánis hujus ſǽculi propè opplétur noſtrum navígium. Unde autem fit, niſi quia dormit Jeſus? Si non dormíret in te Jeſus, tempeſtátes iſtas non pateréris: ſed tranquillitátem habéres intérius, convigilánte tecum Jeſu. Quid eſt autem: Dormit Jeſus? Fides tua quæ eſt de Jeſu, obdormívit. Surgunt procéllæ ſtagni hujus: vides malos floréte, bonos laboráre; tentátio eſt, fluctus eſt. Excita Jeſum, & dic: Magíſter, perímus, movent enim incérta ſtagni, perímus. Evigilábit ille, id eſt, rédiet ad te fides tua: & adjuvánte illo, conſiderábis in ánima tua, quia quæ dantur modò malis, non cum illis perſeverábunt: tibi autem quod promíttitur, manébit in ætérnum.

℞. *ix.* Adjútor Dóminus in opportunitátibus, in tribulatióne, & * Sperent in te qui novérunt nomen tuum. *Pſ.* 9. 10. 11. ℣. Jeſus imperávit ventis & mari, & facta eſt tranquíllitas magna. *Matt.* 8. 26. * Sperent. Glória. * Sperent.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Nullus ſperávit in Dómino, & confúſus eſt. Quis enim permánſit in mandátis ejus, & derelíctus eſt? *Eccli.* 2. 11. 12.

Oratio.

DEus, qui nos in tant... periculis conſtitúto... pro humána ſcis fragilit... non poſſe ſubsíſtere; da ... bis ſalútem mentis & ... poris, ut ea quæ pro ... cáris noſtris pátimur, ... juvánte, vincámus; ... Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant*... Hómines miráti ſun... céntes: Qualis eſ... quia venti & mare o... ei? *Matt.* 8. 27.

DOM...

)MINICA V.
uperfuit poſt Epipha-niam.
o ſancti Evangélii
ndùm Matthǽum.
o IX. *c.* 13. *v.* 24. *ad* 30.
nia ſuperſeminata.
ábolam propóſuit tur-
is Jeſus, dicens : Sí-
ıctum eſt regnum cœ-
hómini qui ſeminá-
num ſemen in agro
t réliqua.
io ſancti Auguſtíni
Epíſcopi.
m. 88. n. 19. 20.
c in myſtério lectiónis
ujus, cognóvimus,
, eſſe intus in Ecclé-
nos & malos, quod
icimus fruméntum &
ı. Nemo ante tempus
: áream; tóleret pá-
ı tritúra, tóleret in
quod enim tóleret in
non habébit. Véniet
tor, qui dívidet ma-
onis. Erit étiam cor-
ſeparátio, quam
ſpiritális præcédit. A
corde ſemper disjun-
, ad tempus cautè
: copulámini. Nec ta-
gligéntes ſitis in cor-
s veſtris, ad curam
veſtram quoquo mo-
inéntibus, monéndo,
o, hortándo, ter-
Duóbus modis non
ulat malus : ſi non
ias, & ſi redárguas.
in ipſa correctióne
um peccatórum, ca-
ı eſt, ne ſe extóllat
erum córripit. Ne-
ınn. Pars Autumn.

que ergo conſentiéntes ſitis malis, ut approbétis : neque negligéntes, ut non arguátis : neque ſuperbiéntes, ut inſultánter arguátis.

℟. *ix.* Deus creávit hóminem inexterminábilem, & ad imáginem ſimilitúdinis ſuæ fecit illum : * Invídiâ autem diáboli mors introívit in orbem terrárum. *Sap.* 2. 23. 24. ℣. Venit inimícus ejus, & ſuperſeminávit zizánia in médio trítici. *Matt.* 13. 25. * Invídiâ. Glória. * Invídiâ.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. f. Qui timet Dóminũ, éxcipit doctrínã ejus; & qui vigiláverint ad illum, invénient benedictiónem. *Eccli.* 32. 18.

Oratio.

DA nobis, Deus, omni cuſtódiâ ſerváre cor noſtrum; & ne præváleat humánæ ſalútis inimícus, præſta, ut fortes in fide, ipſi contínuò reſiſtámus; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Dómine, nónne bonum ſemen ſemináſti in agro tuo? Unde ergo habet zizánia? Et ait illis : Inimícus homo hoc fecit. *Matt.* 13. 27. 28.

DOMINICA VI.
Quæ ſuperfuit poſt Epiph.
Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.
Lectio IX. *c.* 13. *v.* 31. *ad* 35.
Granum ſinapis.

PArábolam propóſuit turbis Jeſus, dicens : Símile eſt regnum cœlórum

grano ſinápis, quod accípiens homo ſeminávit in agro ſuo. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. 2. *Comm. in Matt. Cap.* 13.

REgnum cœlórum, prædicátio Evangélii eſt, & notítia Scripturárum, quæ ducit ad vitam, & de qua dícitur ad Judǽos: Auferétur à vobis regnum Dei, & dábitur genti faciénti fructus ejus. Símile eſt ergo hujuſcémodi regnum grano ſinápis, quod accípiens homo ſeminávit in agro ſuo. Homo qui séminat in agro ſuo, a pleríſque Salvátor intelligitur, quòd in ánimis credéntium séminet: ab áliis ipſe homo séminans in agro ſuo, hoc eſt, in ſemetípſo & in corde ſuo. Quis eſt iſte qui séminat, niſì ſenſus noſter & ánimus; qui ſuſcípiens granum prædicatiónis, & fovens ſeméntem humóre fidei, facit in agro ſui péctoris pulluláre?

℟. *ix.* Beátus qui in iſtis verſátur bonis. * Qui ponit illa in corde ſuo, ſápiens erit ſemper. *Eccli.* 50. 30. ℣. Vobis datum eſt noſſe myſtéria regni cœlórum. *Matt.* 13. 11. * Qui ponit. Glória. * Qui ponit.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. *c.* Beáti ſumus, Iſraël, quia quæ Deo placent, maniféſta ſunt nobis. *Bar.* 4. 4.

Oratio.

DEus, qui Chriſtiáno pópulo dediſti noſſe myſtéria regni cœlórum; præſta, ut ſicut tuam cognóſcimus veritátem, ſic eam dignis móribus aſſequámur; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Hæc ómnia locútus eſt Jeſus in parábolis ad turbas, & ſinè parábolis non loquebátur eis. *Matt.* 13. 34.

PROPRIUM SANCTORUM.

PARS AUTUMNALIS.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE II.

IN FESTO SANCTI LAZARI, A Chriſto ſuſcitati, Marthæ & Mariæ, ſororum ejus.

Semiduplex.

IN I. VESPERIS.

Antiphona I. *toni* D.

DEus non eſt mortuórũ, ſed vivórum; omnes enim vivunt ei. *Luc.* 20. 38.

Ant. 2. D. Sicut Pater ſúſcitat mórtuos & vivíficat, ſic & Fílius quos vult, vivíficat. *Joan.* 5. 21.

Ant. 3. *à*. Sicut Pater habet vitam in ſemetípſo, ſic dedit & Fílio habére vitam in ſemetípſo. *Joan.* 5. 26.

Ant. 4. c. Venit hora in qua omnes qui in monuméntis ſunt, aúdient vocem Fílii Dei. *Joan.* 5. 28.

Ant. 5. a. Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt; & quod vidit & audívit, hoc teſtátur. *Joan.* 3. 31. 32.

CAPITULUM. *Eccli.* 4. 14.

QUi tenúerint Sapiéntiam, vitam hæreditábunt: & quò introíbit, benedícet Deus.

HYMNUS.

REDDITUM luci, Dómino vocánte,
Lázarum, turbæ, domitámque mortem,
Laúdibus feſtis, modulíſque ſacri
Dícite cantûs.

ILLE qui Chriſtum méruit frequénti
Hóſpitem gaudens recreáre menſâ,
Fétidus clauſo, data præda morti,
Cónditur antro.

HEU! tuâ præſens ope ſi jacénti,
Fata qui præſcis, Deus, aſtitíſſes;
Víveret, necdùm premeréntur atrâ
Lúmina nocte.

JAMQUE mors, vitæ

Dómino ſolútam,
Jubes, reddet ſpoliáta prædam:
Hinc & extínctus súperas amícus
Surget ad auras.

Ecce dilécti lácrymis honóras
Hóſpitis funus; fremitúque prodis,
Quàm pio plangas, Pater, impiórum
Corde ruínam.

Ut Patrem ſemper pia Spiritúmque
Omne plebs tecum célebret per ævum,
Chriſte, credéntes ánimas ſecúndæ
Eripe morti.
Amen.

℣. Oculi mei ad fidéles terræ; ℟. Ut sédeant mecum. *Pſ.* 100. 6.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Diligébat Jeſus Martham, & ſorórem ejus Maríam, & Lázarum. *Joan.* 11. 5.

Oratio. Deus, qui, *infrà, ad Laudes, p.* 367.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 8. G. Martha ſatagébat circa frequens miniſtérium. *Luc.* 10. 40.

Hymnus, Grates, perácto jam die, *p.* 158.

Capitulum. 2. *Joan. v.* 3.

Sit vobíſcum grátia, miſericórdia, pax à Deo Patre, & à Chriſto Jeſu Fílio Patris, in veritáte & caritáte.

℟. *breve.* In manus.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 3. *a.* María óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea. *Luc.* 10. 42.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Deum cum homínibus conversátum, * Veníte, adorémus. *Bar.* 3. 38.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu ſimplici.*

HYMNUS.

Flagrans amóre, pérditos
Dum nos Redémptor quǽreret,
Defeſſus ad Martham Deus
Seſe recepit hóſpitam.

Beata, quæ tantum ſuis
Amíca tectis hóſpitem
Fovére gaudet, & Deo
Inférre convívæ dapes!

Dum Martha paſcit, páſcitur
María felix, ac ſedens
Magnóque tuta Júdice,
Partem potítur óptimam.

Nunc, Martha, nunc ſedens Deo
Et ipſa Verbo páſceris;
Et juge ſe tuus tibi
Conviva dat convívium.

Da, Chriſte, Sanctórum quies,
Sic nos ad unum téndere
Per multa, poſthàc óptimâ
Ut parte poſsímus frui.
Amen.

Ant. 7. d. Erat quidam languens Lázarus à Bethánia, de caſtéllo Maríæ & Marthæ ſorória ejus. *Joan* 11. 1.

Ant. 1. g. Intrávit Jeſus in quoddam caſtéllum; múlier quædam Martha r

mine, excépit illum in domum ſuam. *Luc.* 10. 38.

Ant. 8. c. Marthæ erat ſoror, nómine María, quæ étiam ſedens ſecùs pedes Dómini, audiébat verbum illíus. *Luc.* 10. 39.

℣. Propè timéntes Dóminum, ℟. Salutáre ipsíus. *Pſ.* 84. 10.

Lectio I. & II. de Scriptura occurrente, duabus poſterioribus in unam junctis.

℟. *j.* Vidéte quòd ego ſim ſolus, & non ſit álius Deus, præter me: * Ego occídam, & ego vívere fáciam. *Deut.* 32. 39. ℣. Dixit Jeſus Diſcípulis: Lázarus amícus noſter dormit; ſed vado, ut à ſomno éxcitem eum. *Joan.* 11. 11. * Ego occídam.

℟. *ij.* Exaúdi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam; * Aúribus pércipe lácrymas meas. *Pſ.* 38. 13. ℣. Dixit Martha ad Jeſum: Dómine, ſi fuíſſes hîc, frater meus non fuíſſet mórtuus. *Joan.* 11. 21. * Aúribus.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 2. *in Aſſumpt. B. M. V.* n. 6. 7.

LECTIO III.

NOn ſola inveniátur in nobis exercitátio corporális, ad módicùm valens: ſed inveniátur útilis ad ómnia píetas, & exercítium ſpirituále. Múlier, Martha nómine, excépit Jeſum in domum ſuam; & huic erat ſoror, nómine María. Soróres ſunt, & debent eſſe contubernáles. Occupátur hæc circa frequens miniſtérium: illa Domínicis eſt inténta ſermónibus. Ad Martham ſpectat ornátus: ſed implétio ad Maríam. Vacat enim Dómino, ut non ſit domus vacans. Sed mundatiónem cui póſſumus attribúere? Erit enim, ſi & hoc invenérimus, domus in qua Salvátor ſuſcípitur, & munda, & ornáta, & non vacans. Demus eam Lázaro, ſi & vobis ità vidétur. Et ei síquidem fraternitátis jure cum ſoróribus eſt domus iſta commúnis. Dico autem Lázarum, quem quatriduánum jamjámque feténtem à mórtuis éxcitat vox virtútis, ut videátur ſatìs cóngruè formam gérere pœniténtis. Intret ergo domum Salvátor, & frequénter víſitet eam, quam pœ́nitens Lázarus mundat, ornat Martha, & María replet intérnæ dédita contemplatióni.

℟. *iij.* De manu mortis liberábo eos; de morte rédimam eos. * Ero mors tua, ô mors! morſus tuus ero, inférne. *Oſee.* 13. 14. ℣. Voce magnâ clamávit Jeſus: Lázare, veni foràs; & ſtatim pródiit qui fúerat mórtuus. *Joan.* 11. 43. 44. * Ero mors. Glória. * Ero mors.

Te Deum.

D LAUDES MATUTINAS.

...Sacerdotalis. Sicut ...i ancillæ in mánibus ...inæ suæ, ℟. Ità óculi ...tri ad Dóminum Deum ...ſtrum. Pſ. 122. 2.

Ant. 1. a. Tu es, Dó...ine, qui vitæ & mortis ...abes poteſtátem: & de...úcis ad portas mortis, & redúcis. *Sap.* 16. 13.

Ant. 2. D. Beáti ſunt qui te vidérunt, & in amicítia tua decoráti ſunt. *Eccli.* 48. 11.

Ant. 3. à. Beáti ſervi tui, qui aſsiſtunt coram te, omni témpore. 2. *Par.* 9. 7.

Ant. 6. F. In miſericórdiis.

CANTICUM. *Sap. c.* 8. *v.* 16. *ad* 18.

Quàm deſiderabile conſortium Sapientiæ.

NOn habet amaritúdinem conversátio Sapiéntiæ, nec tædium convíctus illíus; * ſed lætítiam & gaúdium.

Hæc cógitans apud me, & commémorans in corde meo; * quóniam immortálitas eſt in cognatióne Sapiéntiæ,

Et in amicítia illíus delectátio bona, * & in opéribus mánuum illíus honéſtas ſinè defectióne,

Et in certámine loquélæ illíus ſapiéntia, * & præclaritas in communicatióne ſermónum ipsíus,

Circuíbam quærens, * ut mihi illam aſsúmerem.

Glória Patri.

Ant. In miſericórdiis ...tuis plúrimis, non fecíſti eos in conſumptiónem. 2. *Eſdr.* 9. 31.

Ant. 7. c. Non dereliquíſti eos, quóniam Deus miſeratiónum & clemens es tu. 2. *Eſdr.* 9. 31.

CAPITULUM. *Ezech.* 37. 12.

HÆc dicit Dóminus Deus: Ecce ego apériã túmulos veſtros, & edúcam vos de ſepúlcris veſtris.

HYMNUS.

PANDITUR ſaxo túmulus remóto,
Intimos clamor pénetrat receſſus,
Et Deum ſentit dócili jubéntem
Ante cadáver.

PROH ſtupor! notas répetit medúllas
Spíritus; cœcam, pédibus revinctus,
Dum viam carpit, ſíbimet ſupérſtes
Prodit & hæres.

IPSA ſic ruptis inimíca vinclis,
Mors fugit, vinci páticns. Futúris
Summa prælúdit tua ſic triúmphis,
Chriſte, potéſtas.

UT Patrem ſemper pia Spiritúmque
Omne plebs tecum célebre per ævum,
Chriſte, credéntes ánim... ſecúndæ
Eripe morti. Amen.

℣. Eripuíſti, Dómi... ánimam meam de mo...

℟. Ut pláceam coram D... lúmine viventiũ. *Pſ.* 5...

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Abjéctus ſum à conſpéctu oculórum tuórum, Dómine; verúmtamen rursùs vidébo templum ſanctum tuum. *Jon.* 2. 5.

Oratio.

DEus, qui conversátus in terris, in beatórum Lázari, Marthæ & Maríæ domo hoſpitári dignátus es; præſta, quæſumus, ut cum Lázaro in novitáte vitæ ambulántes, te in tuis cum Martha páſcere, & à te cum María verbi tui meditatióne paſci mereámur; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

AD PRIMAM.

Ant. Tu es, Dómine.

Capitulum. *Ezech.* 37. 13.

HÆc dicit Dóminus: Sciétis quia ego Dóminus, cùm aperúero ſepúlcra veſtra, & edúxero vos de túmulis veſtris.

℟. *breve.* Chriſte.

AD TERTIAM.

Ant. Beáti ſunt.

Capitulum. *Prov.* 8. 34.

BEátus homo qui audit me, & qui vígilat ad fores meas quotídie, & obſérvat ad poſtes óſtii mei.

℟. *breve.* Perambulábam, * In innocéntia cordis mei. ℟. Perambulábam. ℣. In médio domûs meæ. * In. Glória. ℟. Perambulábam. *Pſ.* 100. 2.

℣. Beáti omnes qui timent Dóminum, ℟. Qui ámbulant in viis ejus. *Pſ.* 127. 1.

AD SEXTAM.

Ant. Beáti ſervi.

Capitulum. *Prov.* 8. 17.

EGo diligéntes me díligo; & qui manè vígilant ad me, invénient me.

℟. *breve.* Delectáre in Dómino; * Et dabit tibi petitiónes cordis tui. ℟. Delectáre. ℣. Revéla Dómino viam tuam. * Et. Glória. ℟. Delectáre. *Pſ.* 36. 4. 5.

℣. Dóminus amat judícium; ℟. Et non derelínquet ſanctos ſuos. *Pſ.* 36. 28.

AD NONAM.

Ant. Non dereliquíſti.

Capitulum. *Eccli.* 6. 14.

AMícus fidélis, protéctio fortis: qui autem ínvenit illum, ínvenit theſaúrum.

℟. *breve.* Poſuérunt me * In lacu inferióri. ℟. Poſuérunt. ℣. In tenebróſis, & in umbra mortis. * In lacu. Glória. ℟. Poſuérunt. *Pſ.* 87. 7.

℣. Æſtimátus ſum cum deſcendéntibus in lacum; ℟. Factus ſum ſicut homo ſinè adjutório. *Pſ.* 87. 5.

Vesperæ *de ſequenti.*

Commemoratio de S. Lazaro & Sororibus ejus.

Ant. Multi ex Judǽis qui vénerant ad Maríam & Martham, & víderant quæ fecit Jeſus, credidérunt in eum. *Joan.* 11. 45.

℣. Dóminus érigit eliſos; ℟. Dóminus díligit juſtos. *Pſ.* 145. 8.

Orat. Deus, qui, *ſuprà.*

Die III.

In Festo

S. GREGORII MAGNI, Papæ & Eccleſiæ Doctoris.

Duplex minus.

Omnia de Communi unius S. Doctoris, p. xxx. additis quæ ſequuntur.

Prima Lectio de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis.

Lectio II.

Ex S. Greg. Tur. Bed. & Hiſtor. Eccleſ.

Gregórius, Románus, Gordiáni & ſanctæ Sílviæ fílius, urbis Romæ præfectúram geſſit. Mórtuo patre, ſex in Sicília Monaſtéria, séptimum Romæ in ſuis ædibus extrúxit: ubi Mónachi vitam proféſſus, póſteà Abbas fuit. Evocátus inde à Pelágio ſecúndo, Diáconus ordinátur: nec multò pòſt Conſtantinópolim Apocriſiárius míttitur, Sedis Apoſtólicæ reſpónſa factúrus. Romam revérſus, Pelágio peſtiléntiâ ſubláto, ómnium votis Póntifex elígitur: & in Basílica ſancti Petri, per vim raptus, hâc die tértiâ Septémbris, conſecrátus eſt. In Epíſtola Synódica quam pro more ſcripſit ad Patriárchas, proféſſus eſt ſe, ſicut ſancti Evangélii quátuor Libros, ſic ſuſcípere quátuor Concília, Nicǽnum nempè, Conſtantinopolitánum, Ephesínum & Chalcedonénſe, quintum quoque páriter venerári. Joánni Conſtantinopolitáno fórtiter óbſtitit, qui ſibi universális Epíſcopi nomen arrogábat: quod ipſe præ modéſtia réſpuens, Servum ſervórum Dei, ſe primus ómnium epíſtolis inſcrípſit. Divíni Officii órdinem Cantûſque Eccleſiáſtici méthodum melióri formâ reſtítuit. Simóniam váriis decrétis profligávit. Donatíſtas repréſſit in Africa. Manichǽos ab erróre revocári curávit. Gentíles Sardíniæ íncolas, Felícis Epíſcopi & Cyríaci Abbátis miniſtério, Anglórum verò gentem, miſſis in Británniam Auguſtíno & áliis Mónachis ad fidem addúxit: unde Anglórum Apóſtolus à Beda vocátus eſt. Mira ſunt quæ dixit, fecit, ſcripſit. Dénique multis éditis miráculis, Pontificátûs anno décimo tértio, menſe ſexto, ad cœléſtem beatitúdinem evocátus eſt.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

Lectio III. *c.* 5. *v.* 13. *ad* 19.

Sal terræ, lux mundi.

Dixit Jeſus Diſcípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 17. *in Evang.* n. 16. 17.

Vos eſtis ſal terræ. Si cibus Dei eſt pópulus, condiméntum cibi Sacerdótes eſſe debuérunt. Penſémus ergo qui unquam

per linguam noſtram convérſi, qui de pervérſo ſuo ópere, noſtrâ increpatióne corrépti, pœniténtiam egérunt. Quis luxúriam ex noſtra eruditióne deſéruit? Quis avarítiam, quis ſupérbiam declinávit? Pensémus quod lucrum Deo fécimus nos, qui, accépto talénto, ab eo ad negótium miſſi ſumus. Etenim dicit: Negotiámini dum vénio. Ecce jam venit, ecce de noſtro negótio lucrum requírit. Quale ei animárum lucrum de noſtra negotiatióne monſtrábimus? Ponámus ante óculos noſtros illum tantæ diſtrictiónis diem, quo Judex véniet, & ratiónem cum ſervis ſuis, quibus talénta crédidit, ponet. In illo tanto exámine, electórum ómnium & reprobórum multitúdo deducétur, & unuſquíſque quid ſit operátus, oſtendétur. Cùm ígitur tot paſtóres cum grégibus ſuis ante ætérni Paſtóris óculos vénerint, nos míſeri, quid dictúri ſumus, qui ad Dóminum noſtrum poſt negótium vácui redímus? qui paſtórum nomen habúimus, & oves quas ex nutriménto noſtro debeámus oſténdere, non habémus? Hîc paſtóres vocáti ſumus, & ibi gregem non dúcimus?

Oratio.

DEus, qui beátum Gregórium Pontíficem, Príncipis Apoſtolórum non dignitátis tantùm, ſed humilitátis étiam & caritátis hærédem fecíſti; da nobis ejus méritis & exémplo, ut ſincérâ humilitáte tibi ſubjécti, quæ tua ſunt, líberâ caritáte exercére valeámus; Per Dóminum.

DIE V[illegible] 5.

IN FESTO S. CLODOALDI, Presbyteri in Territ. Pariſ.

Simplex.

Omnia de Communi unius S. Presbyteri, p. xxxvij. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex S. Greg. Turon. Lib. 3. *Hiſtor.*

CLodoáldus, Clodovéi magni Regis Francórum ex Clodomére Rege Aurelianénſium nepos, cæſo à Burgundiónibus patre, cum duóbus frátribus Theobáldo & Guntário pupíllus ſub áviæ Clotíldis tutéla relíctus eſt. Sed pátrui eórum, Childebértus Pariſiórum, & Clotárius Sueſſiónum Rex, ut regnum pupillórum inváderent, ex his duos, álterum decénnem, ſepténnem álterum, vi & fraude occídere decrevérunt: quos manu Clotárii interféctos Clotíldis magno luctu proſecúta, Paríſiis in Basílica ſancti Petri, nunc ſanctæ Genovéfæ dicta, ſepeliéndos curávit. Tértius verò, Clodoáldus, cùm ad ſímile exítium quærerétur, ope virórum fórtium, imò protegénte Deo, ſervátus eſt. Fugâ elápſus,

& mundum ſpernens, ſibi própriâ manu capíllos in ſignum contémpti regni incídit: & Clléricus factus, divíno cúltui ſe mancipávit. Tum vitam egit duram & áſperam. Ab Euſébio Epíſcopo Pariſiénſi Présbyter ordinátus, ſe recépit in locum qui dicebátur Noviéntum, quem morte, ſepultúrâ, miráculis ac nómine ſuo illúſtrem fecit.

Oratio.

Deus, qui beátum Clodoáldum propter te humiliátum in ſéculo, & Sacerdótii múnere, & virtútum ſplendóre ſublimáſti; tríbue nos ejus exémplo tibi dignè miniſtráre, & per ejus interceſſiónem grátiâ ſemper & mérito profícere; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit.

VII. S. Reginae Virg. et Mart.

Lectio – oratio: Omnipotens et
Reginam virginem [illegible] clementis cujusdam
Gentilis filiam, tempore Maximiani Imperatoris [illegible]
Olibrio [illegible] acta ejus et Martyrii
[illegible] Ex eidem [illegible] monumentis non omnia
[illegible] vulgantur [illegible]
B. Virginis [illegible] cum [illegible] audiens [illegible]
[illegible] totam [illegible]
[illegible] Cum autem [illegible]
Olibrius [illegible] Alexandriam transiret, vidissetque
virginem [illegible] eximiam, concupiscentia ejus
[illegible] illam jussit apprehendi: frustra [illegible]
[illegible] terrere virginem tentat;
[illegible] torquetur, ad sacrificium [illegible]
[illegible] in carcerem trusa, virgo [illegible] semel
atque iterum [illegible], suspensa equuleo, lampadibus
adusta, immersa aquis, Dominum jugiter orat et
benedicit, cujus benedictionibus [illegible]
[illegible] capitali sententia damnata ad [illegible]
[illegible] volavit. Illius corpus [illegible] Regin[illegible]
[illegible] urbi [illegible] illustravit.



DIE VIII.

IN NATIVITATE

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

SOLEMNE ~~MINUS~~. – Majus.

IN I. VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 7. toni d.

ORietur ſtella ex Jacob, & conſúrget virga de Iſraël. *Num.* 24. 17.

Ant. 1. g. Egrediétur virga de radíce Jeſſe, & flos de radíce ejus aſcéndet. *Iſ.* 11. 1.

Ant. 3. *a.* Partúriens páriet, & relíquiæ frátrũ ejus converténtur. *Mich.* 5. 3.

Ant. 5. a. Gérminans germinábit, & exultábit lætabúnda & laudans; glória Líbani data eſt ei. *Iſ.* 35. 2.

Ant. 8. G. In diébus illis, ſalvábitur Juda, & Iſraël habitábit confidénter. *Jer.* 23. 6.

CAPITULUM. *Jer.* 33. 20. 21.

HÆc dicit Dóminus: Si írritum poteſt fíeri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non ſit dies & nox in témpore ſuo, & pactum meum írritum eſſe póterit cum David ſervo meo, ut non ſit ex eo Fílius qui regnet in throno ejus.

℟. Benedícam ei, & ex illa dabo tibi * Fílium cui benedictúrus ſum. *Gen.* 17. 16. ℣. In útero habébit & páriet Fílium. *Matt.* 1. 23. * Fílium. Glória. *Reſumitur* ℟. Benedícam.

HYMNUS.

DEBITAM morti ſóbolem creárat
Eva peccátrix: nova deſtinátur,
Quæ ſacro partu ſcelus atque mortem
Déſtruat, Eva.

VICTA ſerpéntis fuit illa fraude;
Intimis virus récipit medúllis:
Vulnus hæc ſanat, tumidíque colla
Cónterit anguis.

QUO dolus ceſſit? Dómitâ parénte,
Totíus ſperat sóbolis ruínam:
Omnibus reddet Sóboles paréntis
Una ſalútem.

SIC lucro cedunt, Dómino volénte,
Damna, dum gratâ vice per Maríam
Delet antíquam nova vitæ mortem,
Grátia culpam.

Diceris Mater quoque noſtra, Virgo;
Te proba noſtram, pia Virgo, Matrem,
Efficax, blandis précibus, ſevérum
Fléctere Numen.

Laus ſit ætérnæ ſua Trinitáti,
Quæ laborántem miſeráta mundum,
Próximos Chriſti, præeúnte Matre,
Núntiat ortus. Amen.

℣. Jurávit Dóminus David veritátem, & non fruſtrábitur eam: ℟. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. *Pſ.* 131. 11.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. * Ait Dóminus: Ero tecum, & benedícam tibi: tibi enim & sémini tuo dabo univérſas regiónes has, complens juraméntum quod ſpopóndi Abraham patri tuo. *Gen.* 26. 3.

Oratio ℣ Deus, qui, *infrà, ad Laudes, p.* 377.

Completorium, *p.* cij. *cum Pſalmis de Feria.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Deum, cui præparátur habitátio, * Veníte, adorémus. 1. *Par.* 29. 1.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu ſolemni.*

Hymnus.

Quis ore te puro ſatis, Virgo, canat, Dei Parens?
Adéſte, puri Spíritus,
Veſtri ſit illud múneris.

Quis intret auguſtíſſima
Mentís tuæ ſacrária?
Dotes quis enárrans tuas,
Pertérritus non hæreat?

Dic, Virgo, quæ vis tráxerit
Patri coævum Fílium,
De Patris ætérni ſinu,
Mortális in Matris ſinum?

Ad hos honórum te gradus,
Non virginális te pudor,
Non éxtulit tantùm fides,
Nec igne fervens cáritas;

Sed, quæ ſibi nunquam placet,
Deo placens modéſtia:
Quâ tu tibi ſis vílior,
Hâc digna ſis Mater Dei.

Quam celſa, quæ ſe déprimens,
Altum Tonántem déprimit?
In te, ſuî jam non memor,
Deſcéndit è cœlo Deus.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Per quem ſacrâ ſe Fílius
Infúdit alvo Vírginis.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

In Pſal. 18. Cœli enárrant, *p.* 37.

Ant. 1. a. Talis eſſe debet domus Dei, ut in cunctis regiónibus nominétur. 1. *Par.* 22. 5.

In diviſ. Pſ. 18. Lex Dómini, *p.* 38.

Ant. 3. c. Opus grande eſt; neque enim hómini præparátur habitátio, ſed Deo. 1. *Par.* 29. 1.

In Pſal. 47. Magnus Dóminus, *p.* 134.

Ant. 2. D. Opéruit nubes

famulis tuis quaesumus, domine, caelestis gratiae munus impertire; ut quibus beatae virginis partus salutis exordium, nativitatis ejus

tabernáculum teſtimónii, & glória Dómini implévit illud. *Exod.* 40. 32.

℣. Beneplácitum eſt Deo habitáre in eo; ℟. Etenim Dóminus habitábit in finem. *Pſ.* 67. 17.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Veníte ad ſanctuárium Dómini, *Quod ſanctificávit in ætérnum. 2. *Par.* 30. 8. ℣. Ecce tabernáculum Dei cum homínibus. *Apoc.* 21. 3. * Quod.

℟. *ij.* Sanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus; * Deus in médio ejus, non commovébitur. *Pſ.* 45. 5. 6. ℣. Lumen ejus ſímile lápidi pretióſo. *Apoc.* 21. 11. * Deus.

℟. *iij.* Avértit Dóminus inimícos tuos: * Rex Iſraël Dóminus in médio tuî. *Soph.* 3. 15. ℣. Perficiéntur ea quæ dicta ſunt tibi à Dómino. *Luc.* 1. 45. * Rex. Glória. *Reſumitur* ℟. Avértit.

IN II. NOCTURNO.

In Pſal. 44. Eructávit cor meum, *p.* 92.

Ant. 6. F. Dóminus ab útero vocávit me, de ventre matris meæ, recordátus eſt nóminis mei. *Iſ.* 49. 1.

In diviſ. Pſ. 44. Audi, filia, *p.* 93.

Ant. 8. G. Me ſegregávit ex útero matris meæ, & vocávit per grátiam ſuam, ut reveláret Fílium ſuum in me. *Gal.* 1. 15. 16.

In Pſal. 84. Benedixíſti, Dómine, *p.* 96.

Ant. 7. G. Induit me veſtiméntis ſalútis, & induménto juſtítiæ circúmdedit me. *Iſ.* 61. 10.

℣. De ventre matris meæ, Dómine, ℟. Deus meus es tu. *Pſ.* 21. 11.

Sermo ſancti Joánnis Damaſcéni.

Serm. 2. *In Nativ. B. Mariæ.*

LECTIO IV.

ADéſte, gentes omnes, omne hóminum genus, omnes cujúſvis linguæ, ætátis ac dignitátis orbis univérſi. Lætítiæ Natálem lætis ánimis celebrémus: Dei Genitrícis Natálem complectámur, per quam mortálium genus redintegrátum eſt: per quam primigéniæ matris Evæ mœror in lætítiam mutátus eſt. Etenim illa per divínam ſenténtiam hoc audívit: In dolóre páries líberos: hæc: Ave, grátiâ plena. Illa: Ad virum convérſio tua: hæc: Dóminus tecum

℟. *iv.* Audíte, reges, aúribus percípite, príncipes; * Ego ſum, ego ſum quæ Dómino canam. *Judic.* 5. 3. ℣. Ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. *Luc.* 1. 48. * Ego ſum, ego ſum.

LECTIO V.

QUid autem quòd Virgo Mater orta ſit ex ſtérili? Quia ſcílicet oportébat, ut ad id quod ſolum ſub ſole novum futúrum erat, ac miraculórum caput, via per mirácula ſter-

nerétur, ac paulátim ab humilióribus ad ſublimióra progréſſus fieret. Quanquã ália quoque áltior ac dívínior rátio à me afférri poteſt. Etenim natúra grátiæ cedit, ſtátque ſubtrémula, nòn ſúſtinens prógredi. Quóniam ítaque futúrum erat ut Virgo ex Anna naſcerétur, natúra grátiæ fetũ antevértere non auſa eſt: ſed manſit infructuóſa, dum grátia fructum edidíſſet.

℟. v. In me ancíllâ ſuâ, adimplévit Dóminus Deus noſter miſericórdiam ſuam, quam promíſit dómui Iſraël: & * Interfécit in manu mea hoſtem pópuli ſui. *Judith.* 13. 18. ℣. Recordátus miſericórdiæ ſuæ, ſicut locútus eſt ad patres noſtros. *Luc.* 1. 54. 55. * Interfécit.

LECTIO VI.

HOdie ſtériles portæ aperiúntur, & virgínea ac divína jánua prodit, ex qua & per quam Deus qui rebus ómnibus ſupérior eſt, in orbem terrárum corporáliter introívit. Hódie de radíce Jeſſe Virga orta eſt, ex qua mundo flos divínitùs exíſtens, aſcéndit. Hódie ex terréna natúra cœlum in terra ille cóndidit, qui olim firmaméntum ex aquis finxerat, atque in altum extúlerat. Ac ſanè hoc illo longè divínius eſt. Nam qui in illo condíderat *ſolem, ex hoc* ipſe juſtítiæ *Sol ortus eſt.*

℟. vj. Exultáte in ea, omnes qui dilígitis eam: * Gaudéte cum ea gaúdio, univérſi. *Iſ.* 66. 10. ℣. Reſpéxit Deus humilitátem ancíllæ ſuæ. *Luc.* 1. 48. * Gaudéte. Glória. *Reſumitur* ℟. Exultáte.

IN III. NOCTURNO.

In Pſal. 86. Fundaménta ejus in móntibus ſanctis, *p.* 135.

Ant. 3. *a.* Dóminus fáciens & formans te, ab útero auxiliátor tuus. *Iſ.* 44. 2.

In Pſal. 96. Dóminus regnávit, exúltet terra, *p.* 45.

Ant. 4. *E.* Oriétur in ténebris lux tua, & ténebræ tuæ erunt ſicut merídies. *Iſ.* 58. 10.

In Pſal. 97. Cantáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília, *p.* 98.

Ant. 5. a. Eris quaſi hortus irríguus, & ſicut fons aquárum, cujus non defícient aquæ. *Iſ.* 58. 11.

℣. Concupíſcet Rex decórem tuum; ℟. Quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus. *Pſ.* 44. 12.

De Cántico Canticórum.

LECTIO VII. *c.* 4. *v.* 7. *ad finem.*

TOta pulchra es, amíca mea, & mácula non eſt in te. Veni de Líbano, ſponſa mea, veni de Líbano, veni: coronáberis de cápite Amana, de vértice Sanir & Hermon, de cubílibus leónum, de móntibus pardórum. Vulneráſti cor meum,

ſoror mea ſponſa, vulneráſti cor meum, in uno oculórum tuórum, & in uno crine colli tui. Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ, ſoror mea ſponſa! Pulchrióra ſunt úbera tua vino, & odor unguentórum tuórum ſuper ómnia arómata. Favus diſtíllans lábia tua, ſponſa: mel & lac ſub lingua tua: & odor veſtimentórum tuórum ſicut odor thuris. Hortus conclúſus, ſoror mea ſponſa, hortus conclúſus, fons ſignátus. Emiſſiónes tuæ paradíſus malórum punicórum cum pomórum frúctibus. Cypri cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cinnamómum cum univérſis lignis Líbani, myrrha & aloë cum ómnibus primis unguéntis. Fons hortórum: púteus aquárum vivéntium, quæ fluunt ímpetu de Líbano. Surge, Aquilo; & veni, Auſter: perfla hortū meum, & fluant arómata illius.

℟. vij. Magna eris, * Et nomen tuum nominábitur in univérſa terra. *Judith.* 11. 21. ℣. Spíritus ſanctus ſupervéniet in te. *Luc.* 1. 35. * Et nomen.

Lectio VIII. *c.* 5. *v.* 1. *ad* 2.

Veniat diléctus meus in hortum ſuum, & cómedat fructum pomórum ſuórum. Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa: méſſui myrrham meam cum aromátibus meis: comédi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comédite, amíci, & bíbite, & inebriámini, caríſſimi. Ego dórmio, & cor meum vígilat: vox dilécti mei pulſántis: Aperi mihi, ſoror mea, amíca mea, colúmba mea, immaculáta mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincínni mei guttis nóctium.

℟. viij. Manus Dómini confortávit te; * Et ídeò eris benedícta in ætérnum. *Judith.* 15. 11. ℣. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1. 42. * Et ídeò.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio IX. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 16.

Chriſti genealogia.

Liber generatiónis Jeſu Chriſti, fílii David, fílii Abraham. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. 1. *Comm. in Cap.* 1. *Matt.*

In Iſaía légimus: Generatiónem ejus quis enarrábit? Non ergo putémus Evangeliſtam Prophétæ eſſe contrárium; ut quod ille impoſſíbile dixit effátu, hic narráre incípiat: quia ibi de Generatióne Divinitátis, hic de Incarnatióne eſt dictum. A carnálibus autem cœpit, ut per hóminem Deum díſcere incipiámus. Fílii David, fílii Abraham. Ideò autem, cǽteris prætermíſſis, horum fílium nuncupávit, quia ad

℟. *breve.* Deus præcínxit me virtúte, * Allelúia, allelúia. ℟. Deus. ℣. Et póſuit immaculátam viam meam. * Allelúia. Glória. ℟. Deus. *Pſ.* 17. 33.

℣. In hoc cognóvi, Dómine, quóniam voluíſti me; ℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus ſuper me. *Pſ.* 40. 12.

AD NONAM.

Ant. Vide.

Capitulum. *Apoc.* 22. 3.

OMne maledíctum non erit ámpliùs; ſed ſedes Dei & Agni in illa erunt, & ſervi ejus ſérvient illi.

℟. *breve.* Homo natus eſt in ea, * Allelúia, allelúia. ℟. Homo. ℣. Et ipſe fundávit eam Altíſſimus. * Allelúia. Glória. ℟. Homo. *Pſ.* 86. 5.

℣. Dómine, in voluntáte tua, ℟. Præſtitíſti decóri meo virtútem. *Pſ.* 29. 8.

AD VESPERAS.

In Pſal. 109. Dixit Dóminus, *p.* 26.

Ant. 2. D. Nobíſcum eſt Deus, qui fecit virtútem in Iſraël. *Judith.* 13. 13.

In Pſal. 112. Laudáte, púeri, Dóminum, *p.* 27.

Ant. 3. a. Dóminus póſuit caſtra ſua in médio pópuli ſui, ut eríperet nos de manu ómnium inimicórum noſtrórũ. *Judith.* 16. 4.

In Pſal. 121. Lætátus ſum, *p.* 146.

Ant. 4. f. Narréntur juſtítiæ Dómini & cleméntia in fortes Iſraël. *Judic.* 5. 11.

In Pſ. 126. Niſi Dóminus ædificáverit domum, *p.* 70.

Ant. 5. a. Per manum féminæ, percúſſit inimícum Dóminus Deus noſter. *Judith.* 13. 19.

In Pſal. 147. Lauda, Jerúſalem, Dóminum, *p.* 99.

Ant. 6. F. Inter pedes ejus ruit, defécit, & mórtuus eſt. *Judic.* 5. 27.

Capitulum. *Iſ.* 66. 11.

SUgátis & repleámini ab úbere conſolatiónis ejus, ut mulgeátis, & delíciis affluátis ab omnímoda glória ejus.

Hymnus.

VAtum patent orácula
Promíſſa priſcis pátribus:
En Virgo, quæ gravis Deo,
Nobis parem parit Deum.

Toto quid orbe par fuit,
Virgo parens, homo Deus!
Quo náſcitur partu Puer,
Hoc náſcitur mundi ſalus.

Ut noſte calígántibus
Cœléſte lumen témperet,
Velo tegi vult córporis:
Hoc, Virgo, velum prǽparas.

Quod prima mater pérdidit,
Mater refórmas áltera:
Mors ipſa nobis prófuit,
Dum vita per te rédditur.

Per te Deo conjúngimur,
Cui corpus aptáſti Parens:
Per te Dei nos filii,
Per te Dei fratres ſumus.

Tu dux Olympi prǽvia,
Clauſas diu pandis fores:
Nos éxules, ſi nos amas,
Reddas patérnis ſédibus.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Per quem ſacrâ ſe Fílius
Infúdit alvo Vírginis.
Amen.

℣. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis; ℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum. *Pſ.* 44. 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. J. Ave, grátiâ plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. *Luc.* 1. 28.

Completorium, *p.* cij. *cum Pſalmis de Dominica.*

DIEBUS INTRA OCTAVAM NATIVITATIS B. M. VIRGINIS,

Quæ eſt quarti Ordinis.

Omnia ut in Die, exceptis quæ ſequuntur.

Pſalmi de Feria.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Tres Antiphonæ, ℣. & ℟℟℟. *ex Nocturno Feſti, ſecundùm Feriam.*

Invitatorium dicitur ritu ſimplici.

Duæ priores Lectiones de Scriptura occurrente, duabus poſterioribus in unam junctis. Tertia Lectio propria, ut infrà.

Nunquam reſumitur Reſponſorium poſt ℣. Glória Patri.

AD LAUDES MATUTINAS.

Ant. ſola. 5. a. Sicut lux auróræ, oriénte ſole, manè abſque núbibus rútilat. 2. *Reg.* 24. 3.

quam pulchra es et quam decora, carissima in deliciis. Cant. 7: 6.

AD VESPERAS.

Ant. ſola. 7. a. Soror noſtra es; creſcas in mille míllia; & poſsídeat ſemen tuum portas inimicórum ſuórum. *Gen.* 24. 60.

Dominica *intra Octavam aut in ipſa die Octava occurrente, totum Officium ſit de Dominica, ut in Pſalterio & Proprio de Tempore, incipiendo à primis Veſperis, quæ ſunt integræ de Sabbato ante Dominicam occurrentem. Fit Commemoratio de Octava in utriſque Veſperis & Laudibus, ſed ſine Lectione.*

Die IX. v. X.

DE OCTAVA.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

In Nativitate beatæ Mariæ Virginis. n. 6.

Lectio III. v. X.

INtuére, ô homo! consílium Dei, agnóſce consílium ſapiéntiæ, consílium pietátis. Redemptúrus humánum genus, prétium univérſum cóntulit in Maríam. Ut quid hoc? fortè ut excuſarétur Eva per fíliam, & queréla viri advérsùs féminam deínceps ſopirétur. Ne díxeris ultrà, ô Adam! Múlier quam dedíſti mihi, dedit mihi de ligno vétito: dic pótiùs: Múlier quam dedíſti mihi, me cibávit fructu benedícto. Piíſſimum ſanè consílium: ſed latet fórſitan áliud, nec totum hoc eſt. Altiùs ergo intueámini, quanto devotiónis af-

u, à nobis eam volúe-
aonorári, qui totíus bo-
plenitúdinem póſuit in
ária: ut proínde ſi quid
ei in nobis eſt, ſi quid
átiæ, ſi quid ſalútis, ab
a novérimus redundáre.

Die X.

DE OCTAVA.

Sermo ſancti Athanáſii Epíſcopi.

Epiſt. ad Epictetum.

Lectio III.

NOn peccávit Verbum quod aliórum peccáta redémit, ut mutátum in corpus, ſeípſum pro ſeípſo in ſacrifícium offérret, ac ſeípſum redímeret. Sed non ità ſe res habet: abſit. Nam ſemen Abrahæ apprehéndit, ut ait Apóſtolus: unde débuit per ómnia frátribus ſimilári, & corpus aſſúmere nobis símile. Proptéreà ígitur adeſt verè María, ut ab ea illud aſſúmat, & tanquam próprium pro nobis illud ófferat. Ad réliquos quidem ſanctos Verbum factum eſt, ut propheтárent: ex María autem Verbum, carne aſſúmptâ, homo pródiit, qui natúrâ quidem & ſubſtántiâ Verbum Dei erat.

Die XI.

DE OCTAVA.

Sermo ſancti Joánnis Damaſcéni.

Orat. 1. De Nat. B. M. V.

Lectio III.

HOdie mundi ſalus inchoátur: jubiláte Deo, *omnis terra*, cantáte, & exultáte, & psállite, quóniam nobis nata eſt Dei Mater in ſancta probática, ex qua Dei Agnus qui mundi peccáta tollit, in lucem edi vóluit. Exultáte, montes, hoc eſt, ratióne prǽditæ natúræ, quǽque ad ſpirituális contemplatiónis faſtígium aſſúrgitis: ſíquidem clariſſimus Dei mons páritur, qui collem omnem ac montem, id eſt, Angelórum & hóminum ſublimitátem exſúperat: ex quo, citra ullam mánuum óperam, corpóreo modo exſcíndi vóluit lapis anguláris Chriſtus, unâ perſónâ diſtínctas natúras cópulans, divinitátem nimírum & humanitátem: mons Dei, mons pinguis, mons in quo beneplácitum eſt Deo habitáre in eo.

Die XII.

DE OCTAVA.

Sermo ſancti Petri Chryſólogi.

Serm. 143. De Annunt. B. M. V.

Lectio III.

VIdétis quibus eſt Virgo oppignerâta munéribus. Ave, grátiâ plena, Dóminus tecum. Ave, hoc eſt, Accipe. Quid? virtútes múnerum, non pudóris. Ave, grátiâ plena. Hæc eſt grátia quæ dedit cœlis glóriam, terris Deum, fidem Géntibus, finem vítiis, vitæ órdinem, móribus diſciplínam. Hanc grátiam détulit Angelus, accépit Virgo ſa-

ſtatem ſéculis redditúra. Ave, grátiâ plena. Quia ſingulis grátia ſe eſt largita per partes, Maríæ verò ſimul ſe totam dedit grátiæ plenitúdo. Omnes, inquit Evangeliſta, de plenitúdine ejus accépimus. Unde & David dicit: Deſcéndit ſicut plúvia in vellus. Vellus cùm ſit de córpore, neſcit córporis paſſiónes: ſic virgínitas cùm ſit in carne, vítia carnis ignórat.

Ad Vesperas, *Commemoratio de S. Cornelio, Papa & Martyre.*

Ant. Bonus, ℣. Juſtus, *p.* 1. *Orátio*, Omnípotens, *p.* xiv.

Die XIII.
DE OCTAVA.

Sermo ſancti Fulgéntii Epíſcopi.

De Fide ad Petr. Cap. 2. n. 17.

Lectio III.

Deus factus eſt Fílius Vírginis Maríæ, & María Virgo facta eſt Mater Unigéniti Dei: ut quem Pater génuit ex æternitáte, ipſum Virgo concéptum proférret in témpore. Illa útique eſt Virgo, quam Deus qui de ea fúerat naſcitúrus, ità ſingulári grátiâ prævénit atque replévit, ut ipſum habéret ventris ſui fructum, quem ex inítio hábuit univérſitas Dóminum: & ipſum ſibi vidéret naſcéndi ſolemnitáte súbditum, quem in unitáte Patérnæ ſubſtántiæ, non ſolùm humána, ſed étiam Angélica creatúra cognóſcit & adórat Altíſſimum.

Ad Laudes, *Commemoratio de S. Cornelio, Papa & Martyre.*

Sermo ſancti Cypriáni Epiſcopi & Mártyris.

Epiſtola ad Antonianum.

Lectio.

Factus eſt Cornélius Epíſcopus, de Dei & Chriſti ejus judício, de Clericórum penè ómnium teſtimónio, de plebis quæ tunc áffuit ſuffrágio, & de Sacerdótum antiquórum & bonórum virórum Collégio, cùm nemo ante ſe factus eſſet; cùm Fabiáni locus, id eſt, cùm locus Petri & gradus Cáthedræ Sacerdotális vacáret: quo occupáto de Dei voluntáte, atque ómnium noſtrûm conſentióne firmáto, quiſquis jam Epíſcopus fíeri volúerit, foris fiat necéſſe eſt, nec hábeat Eccleſiáſticam ordinatiónem, qui Eccléſiæ non tenet unitátem. Quanta in ipſo ſuſcépto Epiſcopátu ſuo virtus! quantum robur ánimi! qualis firmitas fídei! Quod nos símplici corde & perſpícere pénitùs & laudáre debémus: ſediſſe intrépidum Romæ in Sacerdotáli Cáthedra, eo témpore, cùm tyránnus infeſtus Sacerdótibus Dei, fanda atque infánda comminarétur, cùm multò patiéntiùs & tolerabíliùs audíret levári advérsùs ſe æmulum príncipem, quàm conſtitui Romæ Dei Sacerdótem.

Nónne hic ſummo virtútis & fídei teſtimónio prædicándus eſt? Nónne inter glorióſos Confeſſóres & Mártyres deputándus, qui tantùm témporis ſedit, expéctans córporis ſui carníſices, & tyránni ferociéntis ultóres?

Ant. Hoc pro certo. ℣. Dóminus, *p.* xiij. *Oratio*, Omnípotens, p. xiv.

D i e XIV.

IN EXALTATIONE S. C r u c i s.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 1. *toni* f.

RAdix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populórum, ipſum gentes deprecabúntur. *Iſ.* 11. 10.

Ant. 6. F. Levábit ſignum in natiónes, & congregábit prófugos Iſraël. *Iſ.* 11. 12.

Ant. 1. D. Aſcéndet ſicut virgúltum coram eo, & ſicut radix de terra ſitiénti. *Iſ.* 53. 2.

Ant. 7. c. Erit Jerúſalem ſancta, & aliéni non tranſíbunt per eam ámpliùs. *Joël.* 3. 17.

Ant. 1. D. Dabit lignum agri fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum. *Ezech.* 34. 27.

C a p i t u l u m. *Ezech.* 17. 24.

EXaltávi lignum húmile, & ſiccávi lignum víride, & frondére feci lignum áridum. Ego Dóminus locútus ſum, & feci.

℟. *Locútus* eſt Dóminus ad Móyſen: Fac ſerpéntem æneum, & pone eum pro ſigno: * Qui percúſſus aſpéxerit eum, vivet. *Num.* 21. 8. ℣. Exeámus ad Jeſum extra caſtra, impropérium ejus portántes. *Hebr.* 13. 13. * Qui percúſſus. Glória. * Qui percúſſus.

H y m n u s.

CRux alma, ſalve, Crux venerábilis,
Torrénte Chriſti ſánguinis ébria;
Teſtis dolórum, tu ſupréma
Verba Dei moriéntis audis.

Tu celſa ſedes, unde ſuos docet;
Vitális, in quo nos péperit, thorus;
Currus triumphántis; tribúnal
Júdicis; atque litántis ara.

Non rapta cæſis hóſtibus ímpia
Hìc arma fulgent, nec dómiti duces
Graves caténis hìc trahúntur;
Nobílior Crucis eſt triúmphus.

Orbis redémpti quália pígnora!
Crux tincta Chriſti ſánguine adhuc madet:
Speráte, mortáles: ſalútem
Plena necis monuménta præſtant.

Crux certa cœli sémita, quæ Patris
Thronum peténti pandis iter Deo:

Nunc álterâ nobis nefas eſt
Ire viâ malè delicátos.
LAUS ſumma Patri, qui creat ómnia:
Natóque, mundum qui réparat Cruce:
Qui cuncta replet, ſumma ſancto
Spirítui: tribus una ſemper. Amen.

℣. De torrénte in via bibet: ℟. Proptéreà exaltábit caput. *Pſ.* 109. 7.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. * Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce levábo ad gentes manum meam, & ad pópulos exaltábo Signum meum. *Iſ.* 49. 22.

Oratio, Dómine Deus, *infrà, ad Laudes*, *p.* 389.

Commemoratio de Octava Nativitatis B. M. V.

Ant. Ave. ℣. Diffúſa, *p.* 379. *Oratio*, Deus, qui, *p.* 377.

COMPLETORIUM *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Jeſum qui crucifíxus eſt, * Veníte, adorémus. *Matt.* 28. 5.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

HYMNUS.

UNCTA Crux Dei cruóre,
Quàm potens & éfficax!
Hujus attráctu jacéntes
Erigunt ſe mórtui.
Chriſtus olim quâ pepéndit,
Tanta vis fuit Crucis!

PUBLICI fontes ſalútis,
Sacra Chriſti vúlnera;
Vulnerátos illa ſanant
Inſtar anguis ǽnei:
Quiſquis æger, ſperet; & ſpe
Non ſuâ fraudábitur.

CRUX tribúnal quo ſedébit
Juſtus ultor críminum:
Spontè ſed nos judicémus,
Cedet ira Júdicis;
Nóſque primi puniámus,
Ne ſecúndus púniat.

TOTIUS fons ſanctitátis,
Sancta quo ſunt ómnia,
Qui tuo quodcúmque crimen
Expiáſti ſánguine,
Labe puros, Chriſte, ſerves
Chriſtiános móribus.

SEMPITERNA laus Paréntì
Qui creávit ómnia;
Filióque qui redémit
Morte nos volens ſuâ;
Flaminíque cujus almo
Recreámur hálitu. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. g. Cùm perírent ſupérbi gigántes, ſpes orbis terrárum ad ratem confúgiens, remíſit ſéculo ſemen nativitátis. *Sap.* 14. 6.

Ant. 2. D. Cùm aqua deléret terram, ſanávit iterùm ſapiéntia per contemptíbile lignum juſtum gubérnans. *Sap.* 10. 4.

Ant. 5. *a.* A ligno indulcáta eſt aqua amára. *Eccli.* 38. 5.

℣. Deus noſter ante ſécula, ℟. Operátus eſt ſalútem in médio terræ. *Pſ.* 73. 12.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* In loco quem oſténderat ei Deus, * Abraham ædificávit altáre, & déſuper ligna compóſuit: cúmque aligáſſet Iſaac filium ſuum, póſuit eum in altáre, ſuper ſtruem lignórum. *Gen.* 22. 9. ℣. Jeſus bájulans ſibi Crucem, exívit in eum qui dícitur Calváriæ locum, Hebráicè autem Gólgotha, ubi crucifixérunt eum. *Joan.* 19. 17. 18. * Abraham.

℟. *ij.* Immolábit Agnum univérſa multitúdo filiórum Iſraël ad véſperam; * Et ſument de ſánguine ejus, ac ponent ſuper utrúmque poſtem. *Exod.* 12. 6. 7. ℣. In ipſo complácuit omnem plenitúdinem inhabitáre, & per eum reconciliáre ómnia in ipſum. *Coloſſ.* 1. 19. 20. * Et ſument.

℟. *iij.* Dixit Dóminus ad Móyſen: * Offerat Póntifex hircum vivéntem, & póſitâ utrâque manu ſuper caput ejus, confiteátur omnes iniquitátes filiórum Iſraël. *Levit.* 16. 20. 21. ℣. Deus eum qui non nóverat peccátum, pro nobis peccátum fecit. 2. *Cor.* 5. 21. * Offerat. Glória. * Offerat.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Dóminus oſténdit Móyſi lignum, quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcédinē verſæ ſunt. *Exod.* 15. 25.

Ant. 4. a. Cùm leváret Móyſes manus, vincébat Iſraël; ſin autem paúlulùm remiſiſſet, ſuperábat Amalec. *Exod.* 17. 11.

Ant. 7. *d.* David aſcendébat clivum olivárum ſcandens & flens, nudis pédibus incédens, & opérto cápite. 2. *Reg.* 15. 30.

℣. Miſit Deus Verbum ſuum, & ſanávit eos, ℟. Et erípuit eos de interitiónibus eórum. *Pſ.* 106. 20.

Lectio IV.
Ex Theoph. & Paulo, Diacono.

Chóſroës Persárum rex, extrémis Phocæ impérii tempóribus, Ægypto & Africâ occupátis, ac Jeroſólymâ captâ, multíſque ibi Chriſtianórum míllibus, partim cæſis, partim in captivitátem cum Zacharía Patriárcha addúctis, Crucem étiam Dómini, quā Heléna in monte Calváriæ collocárat, in Pérſidem aſportávit, anno Chriſti ſexcentéſimo décimo quarto. Heráclius, qui jam ab annis quátuor Phocæ ſuccéſſerat, étiam per ſequéntes annos multis belli incómmodis, & calamitátibus afféctus, pacem bis à Chóſroa pétiit: ſed hanc ille pertinácitet utrâque vice denegávit, niſi Crucifixo abnegáto, ſol adorarétur à Románis. Quam impietátem deteſtátus Heráclius, imploráto Dei auxílio, bellum quaſi ſacrum ſuſcépit: militéſque ad Martýrium hortátus, ſigna cum hoſte cóntulit. Poſt diutúrnum bellum, anno demùm ſexcentéſimo

ſexcentéſimo vigéſimo séptimo exeúnte, Perſas ingénti prælio ſuperávit.

℟. *iv.* Dixit Dóminus: Signa Thau ſuper frontes virórum * Geméntium & doléntium ſuper cunctis abominatiónibus quæ fiunt in médio Jerúſalem. *Ezech.* 9. 4. ℣. Nolíte nocére terræ & mari, neque arbóribus, quoadúſque ſignémus ſervos Dei noſtri, in fróntibus eórum. *Apoc.* 7. 3. * Geméntium.

Lectio V.

VIctus igitur Chóſroës, in fuga quâ trajícere Tigrim parábat, Medárſen filium, ſócium regni desígnat. Quam contuméliam, cùm Siroës Chóſroæ major natu fílius ægrè ferret, patre ſimul & fratre interémptis, regno Perſárum potítus eſt, pacémque cum Herácelio fecit, quibúſdam accéptis conditiónibus, quarum ea prima fuit, ut Crucem Dómini reſtitúeret. Captívos itaque, imprímis Zacharíam Patriárcham, dimíſit cum ſacris Crucis lignis, quorum thecam argénteam íntegram, illæſáque ſigilla ipſe Patriárcha agnóvit. Igitur Crux ſancta quatuórdecim poſt annos quàm vénerat in Perſárum poteſtátem, recépta eſt: & deláta primùm Conſtantinópolim, & anno ſequénti Jeroſólymam, in locum príſtinum reſtitúta eſt: actǽque Deo de victóriis grátiæ. Exínde Exaltatiónis ſanctæ Crucis Feſtívitas, quæ hâc die quotánnis agebátur, celébrior habéri cœpit.

℟. *v.* Senem, adoleſcéntulum, & vírginem, párvulum, & mulíeres, * Interfícite, uſque ad interneciónem; omnem autem ſuper quem idéritis Thau, ne occidátis. *Ezech.* 9. 6. ℣. Deus unxit nos, & ſignávit nos; & dedit pignus Spíritûs in córdibus noſtris. 2. *Cor.* 1. 21. 22. * Interfícite.

Lectio VI.

HAc eâdem die, ſanctus Ludovícus Francórum rex, anno milléſimo ducentéſimo quadragéſimo primo, partem Domínicæ Crucis, quæ in Sýria título pígnoris apud Templários mílites remánſerat, à Balduíno Oriéntis Imperatóre accéptam, cum ália non módica portióne, ex qua Imperatóres Eccléſiis & amícis partículas dare conſuéverant, itèm ália multa Domínicæ Paſſiónis inſtruménta, Paríſios, præcedénte Clero, ſolémniter tránſtulit. Tunc Rex piíſſimus magnũ exhíbuit Chriſtiánæ pietátis arguméntum, cùm, abjéctis véſtibus régiis, & pedes nudátus, in urbem íntulit inſtruméntum quo mundi prétium perſolútum eſt. Demùm conſtrúctâ in régio Palátio magnífícâ Capéllâ, ſacroſáncta redemptiónis noſtræ inſígnia religióſè in ea aſſervári vóluit.

℟. *vj.* Portábam eos in bráchiis meis, & neſciérunt quòd curárem eos. * In funículis Adam traham eos, in vínculis caritátis. *Oſee.* 11. 3. 4. ℣. Ego, ſi exaltátus fúero à terra, ómnia traham ad meípſum. *Joan.* 12. 32. * In funículis. Glória. * In funículis.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 3. c. Ecce vicit Leo de tribu Juda, Radix David. *Apoc.* 5. 5.

Ant. 6. F. Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit útraque unum. *Eph.* 2. 14.

Ant. 1. a. Cùm maledicerétur, non maledicébat; cùm paterétur, non comminabátur. 1. *Petr.* 2. 23.

℣. Dedíſti, Dómine, metuéntibus te ſignificatiónem; ℟. Ut fúgiant à fácie arcûs. *Pſ.* 59. 5.

De Epiſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio VII. *c.* 1. *v.* 18. *ad* 25.

Verbum Crucis, pereúntibus quidem ſtultítia eſt: iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt, nobis, Dei virtus eſt. Scriptum eſt enim: Perdam ſapiéntiam ſapiéntium, & prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi ſápiens? ubi ſcriba? ubi conquiſítor hujus ſéculi? Nónne ſtultam fecit Deus ſapiéntiam hujus mundi? Nam quia in Dei ſapiéntia non cognóvit mundus per ſapiéntiam Deum, plácuit Deo, per ſtultítiam *prædicatiónis* ſalvos fácere credéntes. Quóniam & Judǽi ſigna petunt, & Græci ſapiéntiam quærunt: nos autem prædicámus Chriſtum crucifixum, Judǽis quidem ſcándalum, Géntibus autem ſtultítiam: ipſis autem vocátis Judǽis atque Græcis, Chriſtum Dei Virtútem, & Dei Sapiéntiam. Quia quod ſtultum eſt Dei, ſapiéntius eſt homínibus: & quod infirmum eſt Dei, fórtius eſt homínibus.

℟. *vij.* Benedíctum eſt lignum per quod fit juſtítia: * Per manus autem quod fit idólum, maledíctum eſt, & ipſum, & qui fecit illud. *Sap.* 14. 7. 8. ℣. Mihi abſit gloriári, niſi in Cruce Dómini noſtri Jeſu Chriſti. *Gal.* 6. 14. * Per manus.

Lectio VIII. *v.* 26. *ad finem, & c.* 2. *v.* 1. *ad* 2.

Vidéte enim vocatiónem veſtram, fratres, quia non multi ſapiéntes ſecúndùm carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elégit Deus, ut confúndat ſapiéntes: & infirma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia: & ignobília mundi, & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt, deſtrúeret: ut non gloriétur omnis caro in conſpéctu ejus. Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapiéntia à Deo, & juſtítia, & ſanctificátio, & redémptio; ut quemádmodum ſcrip-

tum eſt: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Et ego, cùm veníſſem ad vos, fratres, veni non in ſublimitáte ſermónis aut ſapiéntiæ, annúntians vobis teſtimónium Chriſti. Non enim judicávi me ſcire áliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.

℟. *viij.* Ego in Dómino gaudébo, & exultábo in Deo Jeſu meo: * Deus Dóminus, fortitúdo mea. *Habac.* 3. 18. 19. ℣. Chriſto confixus ſum Cruci; vivo autem, jam non ego. *Gal.* 2. 19. 20. * Deus.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio IX. *c.* 12. *v.* 31. *ad* 36.

Chriſtus in Cruce exaltatus.

DIxit Jeſus turbis Judæórum: Nunc judícium eſt mundi; nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs. Et réliqua.

Homília ſancti Leónis Papæ.

Serm. 8. *De Paſſ. Domini. Cap.* 6.

EXaltáto, dilectíſſimi, per Crucem Chriſto, noſter intelléctus quem Spíritus veritátis illúminat, glóriam Crucis cœlo terrâque radiántem puro ac líbero corde ſuſpíciat: & interióre ácie vídeat, quale ſit quod Dóminus, cùm de Paſſiónis ſuæ loquerétur inſtántia, dixit: Nunc judícium mundi eſt; nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs: & ego, ſi exaltátus fúero à terra, ómnia traham ad me. O admirábilis poténtia Crucis! ô ineffábilis glória Paſſiónis, in qua & tribúnal Dómini, & judícium mundi, & poteſtas eſt Crucifixi! Traxiſti enim, Dómine, ómnia ad te: & cùm expandiſſes totâ die manus tuas ad pópulum non credéntem & contradicéntem tibi, confiténdæ Majeſtátis tuæ ſenſum totus mundus accépit. Traxíſti, Dómine, ómnia ad te; cùm, in execratiónem Judáici ſcéleris, unam protulérunt ómnia eleménta ſenténtiam: cùm obſcurátis luminaribus cœli, & convérſo in noctem die, terra quoque mótibus nutáret inſólitis, univérſaque creatúra impiórum úſui ſe negáret. Traxíſti, Dómine, ómnia ad te: Quóniam, ſciſſo Templi velo, Sancta ſanctórũ ab indignis Pontificibus receſſérunt: ut figúra in veritátem, prophetía in manifeſtatiónem, & Lex in Evangélium verterétur.

℟. *ix.* Commoveátur à fácie Dómini univérſa terra: * Dícite in Géntibus, quia Dóminus regnávit. *Pſ.* 95. 9. 10. ℣. Humiliávit ſemetípſum, factus obédiens uſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quòd & Deus exaltávit illum. *Philipp.* 2. 8. 9. * Dícite. Glória. * Dícite.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Exaltáre, Dómine, in virtúte tua; ℟. Cantábimus & pſallémus virtútes tuas. *Pſ.* 20. 14.

Ant. 4. f. Ut non eſſent vácua, Dómine, ſapiéntiæ tuæ ópera, propter hoc étiam & exíguo ligno credunt hómines ánimas ſuas. *Sap.* 14. 5.

Ant. 3. a. Ad correptiónem in brevi turbáti ſunt, ſignum habéntes ſalútis, ad commemoratiónem mandáti legis tuæ. *Sap.* 16. 6.

Ant. 1. a. Qui convérſus eſt, non per hoc quod vidébat, ſanabátur, ſed per te ómnium Salvatórem. *Sap.* 16. 7.

Ant. 8. G. Fílios.

CANTICUM. *Iſaïæ. c.* 49. *v.* 22. *ad finem.*

Evangelii Crucis gloria & fructus.

Ecce levábo ad gentes manum meam, * & ad pópulos exaltábo Signum meum.

Et ápferent fílios tuos in ulnis, * & fílias tuas ſuper húmeros portábunt.

Et erunt reges nutrítii tui, * & regínæ nutríces tuæ.

Vultu in terram demíſſo, adorábunt te, * & púlverem pedum tuórum lingent.

Et ſcies quia ego Dóminus, * ſuper quo non confundéntur qui expéctant eum.

Nunquid tollétur à forti præda? * aut quod captum fúerit à robúſto, ſalvum eſſe póterit?

Quia hæc dicit Dóminus: Equidem & captívitas à forti tollétur: * & quod ablátum fúerit à robúſto, ſalvábitur.

Eos veró, qui judicavérunt te, ego judicábo; * & fílios tuos ego ſalvábo.

Et cibábo hoſtes tuos cárnibus ſuis, * & quaſi muſto, ſánguine ſuo inebriabúntur.

Et ſciet omnis caro quia ego Dóminus ſalvans te, * Redémptor tuus, Fortis Jacob.

Glória Patri.

Ant. Fílios tuos, nec dracónum venenatórum vicérunt dentes: miſericórdia enim tua advéniens ſanábat illos. *Sap.* 16. 10.

Ant. 5. a. In hoc oſtendíſti inimícis noſtris, quia tu es qui líberas ab omni malo. *Sap.* 16. 8.

CAPITUL. 1. *Cor.* 1. 23. 24.

Prædicámus Chriſtum crucifíxum, Judǽis quidem ſcándalum, Géntibus autem ſtultítiam, ipſis autem vocátis, Judǽis atque Græcis, Chriſtum, Dei Virtútem, & Dei Sapiéntiam.

HYMNUS.

Lignum Crucis mirábile
Totum per orbem próminet,
In qua pepéndit ínnocens
Chriſtus, Redémptor ómnium.

Hanc nulla cedrus árborem

Adǽquat alto vértice;
Quæ poma neſcit nóxia,
Sed ferre vitæ prǽmia.

Tu, Chriſte, Rex piíſſime,
Hujus Crucis ſignáculo,
Diébus, horis ómnibus,
Muníre nos non ábnuas:

Ut lingua cordi cónſona,
Coméſque cordis púritas,
Laudis tibi perénniter
Munus rependat débitum.

Qui per Crucem nos líberas,
Fili, tibi laus máxima;
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula. Amen.

℣. Notam fecíſti, Dómine, in pópulis virtútem tuam; ℟. Redemíſti in bráchio tuo pópulum tuum. *Pſ.* 76. 15. 16.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. d. Tu, Deus noſter, liberáſti nos de iniquitáte noſtra, & dedíſti nobis ſalútem. 1. *Eſdr.* 9. 13.

Oratio.

DOmine Deus, qui diſcípulis tuis mortem tuam ſignificans, ómnia tractúrum ad te ipſum prænuntiáſti; da nobis, quǽſumus, tibi crucifixo configurári, & non niſi in ipſa Cruce gloriári; Qui vivis & regnas cum.

Commem. de Octava.

Ant. Erit, ℣. Semel, *Oratio*, Deus, qui, *p.* 377.

Ad Horas *Doxologia.*

Qui per Crucem nos líberas,
Fili, tibi laus máxima;
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula. Amen.

AD PRIMAM.

Ant. Ut non.

Capitulum. *Hebr.* 12. 1. 2.

CUrrámus ad propóſitum nobis certámen, aſpiciéntes in Autórem fidei, & Conſummatórem Jeſum, qui propóſito ſibi gaúdio, ſuſtinuit Crucem.

In ℟. *brevi.* ℣. Qui per Crucem nos líberas.

AD TERTIAM.

Ant. Ad correptiónem.

Capitul. *Philipp.* 3. 18. 19.

MUlti ámbulant, quos ſæpè dicébam vobis, nunc autem & flens dico, inimícos Crucis Chriſti, quorum finis intéritus.

℟. *breve.* Apud Dóminum * Miſericórdia. ℟. Apud. ℣. Et copióſa apud eum redémptio. * Miſericórdia. Glória. ℟. Apud. *Pſ.* 129. 7.

℣. Redemptiónem miſit Dóminus, ℟. Pópulo ſuo. *Pſ.* 110. 9.

AD SEXTAM.

Ant. Qui convérſus eſt.

Capitulum. *Act.* 5. 31.

HUnc Príncipem & Salvatórem Deus exaltávit déxterâ ſuâ, ad dandam pœniténtiam Iſraéli, & remiſſiónem peccatórum.

℟. *breve.* Dóminus * Redémit nos ab inimícis noſtris. ℟. Dóminus. ℣. Quóniam in ætérnum miſericórdia ejus. * Redémit. Glória. ℟. Dóminus. *Pſ.* 135. 24.

℣. Deus noſter, Deus ſalvos faciéndi; ℟. Et Dómini Dómini éxitus mortis. *Pſ.* 67. 21.

AD NONAM.

Ant. In hoc.

Capitulum. *Coloſſ.* 1. 19. 20.

IN ipſo complácuit omnem plenitúdinem inhabitáre, & per eum reconciliáre ómnia, in ipſum, pacíficans per sánguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt.

℟. *breve.* Remiſíſti, Dómine, * Iniquitátem plebis tuæ. ℟. Remiſíſti. ℣. Operuíſti ómnia peccáta eórum. * Iniquitátem. Glória. ℟. Remiſíſti. *Pſ.* 84. 3.

℣. Mitigáſti omnem iram tuam; ℟. Avertíſti ab ira indignatiónis tuæ. *Pſ.* 84. 4.

AD VESPERAS.

Ant. 3. *a.* Chriſtus mórtuus eſt pro peccátis noſtris, ſecúndùm Scriptúras. 1. *Cor.* 15. 3.

Ant. 1. f. Peccáta noſtra ipſe pértulit in córpore ſuo ſuper lignum, ut peccátis mórtui, juſtítiæ vivámus. 1. *Petr.* 2. 24.

Ant. 8. c. Chirógraphum decréti quod erat contráriū nobis, tulit de médio, affígens illud Cruci. *Col.* 2. 14.

Ant. 2. D. Nos redémit de maledícto Legis, factus pro nobis maledíctum; quia ſcriptum eſt: Maledíctus omnis qui pendet in ligno. *Gal.* 3. 13.

Ant. 7. d. Verbum Crucis pereúntibus quidem ſtultítia eſt; iis autem qui ſalvi fiunt, *id* eſt, nobis, Dei *virtus eſt.* 1. *Cor.* 1. 18.

Capitulum. 1. *Cor.* 2. 1. 2.

EGo, cùm veníſſem ad vos, fratres, veni, non in ſublimitáte ſermónis aut ſapiéntiæ, annúntians vobis teſtimónium Chriſti: non enim judicávi me ſcire áliquid inter vos, nisi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.

Hymnus, Crux alma, ſalve, *ſuprà, in I. Veſperis, p.* 382.

℣. Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid vólui ſuper terram? ℟. Deus cordis mei & pars mea, Deus in ætérnum. *Pſ.* 72. 25. 26.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Jeſus dixit Diſcípulis ſuis: Si quis vult poſt me veníre, ábneget ſemetípſum, & tollat crucem ſuam, & ſequátur me. *Matt.* 16. 24.

Commemoratio de die Octava Nativit. B. M. V.

Ant. Ait Dóminus, ℣. Jurávit, *p.* 372. *Oratio* Deus, qui, *p.* 377. (b).

AD COMPLETORIUM.

Ant. 4. a. Nónne hæc opórtuit pati Chriſtum, & ita intráre in glóriam ſuam? *Luc.* 24. 26.

Hymnus, Virgo Dei Génitrix, *p.* cij.

Capitulum. *Apoc.* 5. 6.

VIdi; & ecce in médio throni & quátuor animálium, & in médio ſeniórum, Agnum ſtantem, tanquam occíſum.

℟. *breve.* In manus.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 5. a. Parébit Signum Filii

Benedicam tibi et magnificabo nomen tuum. 14: 2. ℣. Omnis terra psallat tibi ℟. psalmum nomini tuo. Ps. 65: 4 ... concede, quæsumus

[illegible]

hóminis in cœlo : & tunc plangent omnes tribus terræ, & vidébunt Fílium hóminis veniéntem in núbibus cœli. *Matt.* 24. 30.

Oratio, Deus, qui in caſto ſinu, *p.* ciij.

QUATUOR TEMPORA *Septembris celebrantur, Feriâ IV. Feriâ VI. & Sabbato poſt Feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis. Si occurrat Feſtum Semiduplex aut ſuprà, Officium fit de Feſto, cum Commemoratione de Feria, ad Laudes, per Homiliam in Evangelium, Ant. ℣. & Orationem. Si non occurrat, Officium fit de Feria, additis quæ ſequuntur.*

FERIA QUARTA. QUATUOR TEMPORUM.

Lectio I. & II. de Scriptura occurrente, duabus poſterioribus in unam junctis.

Duo priora ℟℟. *è III. Nocturno Dominicæ præcedent.*

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

LECTIO III. *c.* 9. *v.* 16. *ad* 28.

Dæmonia ejiciuntur in oratione & jejunio.

RESpóndens Jeſu unus de turba, dixit : Magíſter, áttuli fílium meum ad te. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Hom. 57. *in Matt.* n. 4.

NEc mihi raro exémplo dicas, quoſdam ſinè jejúnio dæmones ejecíſſe. Nam ſi unus aut alter increpándo ſic expulíſſe narrétur, fieri nequit, ut ſi is qui id pátitur, in delíciis vivat, ab hoc unquam furóre liberétur : jejúnio enim & oratióne máximè opus eſt ei qui hoc morbo labórat. Sed ſi fide opus eſt, ínquies, cur opus eſt & jejúnio ? Quia cum fide jejúnium non parvam addit fortitúdinem : philosóphiam quippe magnam indit, & ángelum ex hómine éfficit. Verùm non súfficit illud, ſed addi debet orátio, quæ étiam prǽeat opórtet. Vide ergo quanta bona ex utróque gignántur.

℟. *iij.* Scitóte quóniam * Exaúdiet Dóminus preces veſtras, ſi manéntes permanſéritis in jejúniis & oratiónibus, in conſpéctu Dómini. *Judith.* 4. 12. ℣. Sinè intermiſſióne oráte ; in ómnibus grátias ágite. 1. *Theſſ.* 5. 17. 18. * Exaúdiet. Glória. * Exaúdiet.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. D. Dixit Diſcípulis Jeſus : Hoc genus in nullo poteſt exíre, niſì in oratióne & jejúnio. *Marc.* 9. 23.

Preces, flexis genibus, p. 151.

Oratio.

PRæſta, quǽſumus, Dómine, famíliæ tuæ ſupplicánti ; ut dum à cibis corporálibus ábſtinet, à vítiis quoque mente jejúnet ; Per.

AD HORAS, *Preces, flexis genibus, p.* 153. *& ſequent. cum Oratione,* Præſta, *ſuprà.*

[illegible]

VESPERÆ *Duplices de S. Matthæo, Apoſtolo & Evangeliſta, cujus Feſtum ſemper celebratur Feriâ quintâ ſequenti. Si Feſtum ſancti Joannis Chryſoſtomi in ea occurrat, transfertur Feſtum S. Joannis Chryſoſtomi in Feriam II. Hebd. ſequentis.*

FERIA QUINTA
Intra Hebdomadam Quatuor Temporum.

IN FESTO SANCTI MATTHÆI, Apoſtoli & Evangeliſtæ.

Duplex majus.

Omnia de Communi Apoſtolorum, p. j. *additis quæ ſequuntur.*

IN I. VESPERIS.

Ad Magníficat, *Ant. 6.* F. Dixit Jeſus: Non veni vocáre juſtos, ſed peccatóres. *Matt. 9. 13.*

Oratio, Deus, qui, *infrà, ad Laudes, p. 394.*

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. De Script. Eccl. Cap. 3.

LECTIO IV.

MAtthæus, qui & Levi, ex Publicáno Apóſtolus, primus in Judæa, propter eos qui ex Circumciſióne credíderant, Evangéliũ Chriſti Hebráicis lítteris verbíſque compóſuit: quod quis póſteà in Græcum tranſtúlerit, non ſatis certum *eſt. Porrò* ipſum Hebrái*cum habétur* uſque hódie in Cæſariénſi bibliothéca, quam Pámphilus Martyr ſtudioſíſſimè confécit. Mihi quoque à Nazaræis qui in Berœa urbe Syriæ hoc volúmine utúntur, deſcribéndi facúltas fuit. In quo animadverténdum quòd ubicúmque Evangeliſta, ſive ex persóna ſua, ſive ex persóna Dómini Salvatóris, véteris Scriptúræ teſtimóniis útitur, non ſequátur, Septuagínta autoritátem, ſed Hebráicam; è quibus illa duo ſunt: Ex Ægýpto vocávi Filium meum; &, Quóniam Nazaræus vocábitur.

Sermo ſancti Epiphánii Epíſcopi.

Lib. adv. Hæreſ. Hæreſ. 51.

LECTIO V.

MAtthæus, primus Evangélium ſcríbere aggréſſus eſt: ei quippe inítio prædicándi Evangélii munus eſt commíſſum; ídque méritò: oportébat enim ut ille qui ad ſalútem humáni géneris advénerat, quíſque díxerat: Non veni vocáre juſtos, ſed peccatóres, ad pœniténtiam, ad exémplum eórum qui ſalvándi erant, ei hómini potíſſimùm, prædicándæ ſalútis munus injúngeret, qui à peccátis convérſus, & à telónio ſuſcitátus fúerat: ut ab illo, quanta ſibi eſſet advéntu Chriſti benígnitas colláta, hómines díſcerent. Nam poſt remiſſiónem peccatórum, & largítus eſt étiam ipſi ſuſcitatiónem mortuórum, &

ıtiónem lepræ, & vir-
ſanatiónum, & fuga-
n dæmonum: ut non
verbo perſuadéret au-
ɔus, ſed facto étiam
élia pérditis hómini-
rædicáret: quòd ſci-
poſſent per pœniténtecuperári.

:mo ſancti Joánnis
Chryſóſtomi.
l. 1. *in Cap.* 1. *Matt.*

ECTIO VI.

óſtoli univérſos orbis
ópulos attraxérunt,
ar eórum linguam ac-
tis alloquénte. Quo
étiam Matthǽus Spí-
replétus Evangélium
it: Matthǽus, inquam,
ublicánus. Non enim
eum ab arte ſua nun-
e, neque illum, neque
Hoc enim máximè &
ſis grátiam, & illórum
tem commendat. Opus
i ſuum jure Evangé-
inſcripſit: ſiquidem ſu-
m ultiónem, peccató-
véniam, juſtítiam,
ificatiónem, redemp-
m, adoptiónem, cœ-
n hæreditátem, & cog-
nem cum Fílio Dei,
ibus annuntiáre ve-
inimícis, ímprobis,
ntibus in ténebris.

III. NOCTURNO.

Epíſtola beáti Jacóbi
Apóſtoli.

:TIO VII. *c.* 1. *v.* 17.
l 21.

Mne datum óptimum,
& omne donum per-
ım, desúrsùm eſt, deſcéndens à Patre lúminum, apud quem non eſt transmutátio, nec viciſſitúdinis obumbrátio. Voluntáriè enim génuit nos verbo veritátis, ut ſimus inítium áliquod creatúræ ejus. Scitis, fratres méi dilectíſſimi. Sit autem omnis homo velox ad audiéndum, tardus autem ad loquéndum, & tardus ad iram. Ira enim viri juſtítiam Dei non operátur. Propter quòd abjiciéntes omnem immundítiam & abundántiam malítiæ, in manſuetúdine ſuſcípite inſitum verbum, quod poteſt ſalváre ánimas veſtras.

Lectio VIII. *v.* 22. *ad fin.*

Estóte autem factóres verbi, & non auditóres tantùm, falléntes voſmetípſos. Quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor, hic comparábitur viro conſideránti vultum nativitátis ſuæ in ſpéculo: conſiderávit enim ſe, & ábiit, & ſtatim oblítus eſt qualis fúerit. Qui autem perſpéxerit in legem perféctam libertátis, & permánſerit in ea, non audítor obliviósus factus, ſed factor óperis, hic beátus in facto ſuo erit. Si quis autem putat ſe religióſum eſſe, non refrǽnans linguam ſuam, ſed sedúcens cor ſuum, hujus vana eſt relígio. Relígio munda & immaculáta apud Deum & Patrem hæc eſt: Viſitáre pupíllos & víduas in

R 5

Vespera *Duplices de S. Matthæo, Apoſtolo & Evangeliſta, cujus Feſtum ſemper celebratur Feriâ quintâ ſequenti. Si Feſtum ſancti Joannis Chryſoſtomi in ea occurrat, transfertur Feſtum S. Joannis Chryſoſtomi in Feriam II. Hebd. ſequentis.*

FERIA QUINTA Intra Hebdomadam Quatuor Temporum.

21 IN FESTO SANCTI MATTHÆI, Apoſtoli & Evangeliſtæ.

Duplex majus.

Omnia de Communi Apoſtolorum, p. j. additis quæ ſequuntur.

IN I. VESPERIS.

Ad Magníficat, *Ant. 6. F.* Dixit Jeſus: Non veni vocáre juſtos, ſed peccatóres. *Matt. 9. 13.*

Oratio, Deus, qui, *infrà, ad Laudes, p. 394.*

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. De Script. Eccl. Cap. 3.

LECTIO IV.

Matthǽus, qui & Levi, ex Publicáno Apóſtolus, primus in Judǽa, propter eos qui ex Circumciſióne crediderant, Evangéliũ Chriſti Hebráicis lìtteris verbíſque compóſuit: quod quis póſteà in Græcum tranſtúlerit, non ſatis certum eſt. Porrò ipſum Hebráicum habétur uſque hódie in Cæſariénſi bibliothécâ, quam Pámphilus Martyr ſtudioſíſſimè confécit. Mihi quoque à Nazarǽis qui in Berǽa urbe Sýriæ hoc volúmine utúntur, deſcribéndi facúltas fuit. In quo animadverténdum quòd ubicúmque Evangeliſta, ſive ex persóna ſua, ſive ex persóna Dómini Salvatóris, véteris Scriptúræ teſtimóniis útitur, non ſequátur, Septuagínta autoritátem, ſed Hebráicam; è quibus illa duo ſunt: Ex Ægýpto vocávi Fílium meum; &, Quóniam Nazaréus vocábitur.

Sermo ſancti Epiphánii Epíſcopi.

Lib. adv. Hæreſ. Hæreſ. 51.

LECTIO V.

Matthǽus, primus Evangélium ſcríbere aggréſſus eſt: ei quippe inítio prædicándi Evangélii munus eſt commíſſum; ídque méritò: oportébat enim ut ille qui ad ſalútem humáni géneris advénerat, quíque díxerat: Non veni vocáre juſtos, ſed peccatóres, ad pœniténtiam, ad exémplum eórum qui ſalvándi erant, ei hómini potíſſimùm, prædicándæ ſalútis munus injúngeret, qui à peccátis convérſus, & à telónio ſuſcitátus fúerat: ut ab illo, quanta ſibi eſſet advéntu Chriſti benígnitas colláta, hómines díſcerent. Nam poſt remiſſiónem peccatórum, & largítus eſt étiam ipſi ſuſcitatiónem mortuórum, &

mundatiónem lepræ, & virtútes ſanatiónum, & fugatiónem dæmonum: ut non ſolùm verbo perſuadéret auditóribus, ſed facto étiam Evangélia pérditis homínibus prædicáret: quòd ſcílicet poſſent per pœniténtiam recuperári.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Hom. 1. *in Cap.* 1. *Matt.*

LECTIO VI.

APóſtoli univérſos orbis pópulos attraxérunt, Deo per eórum linguam accedénte alloquénte. Quo duce étiam Matthæus Spíritu replétus Evangélium ſcripſit: Matthæus, inquam, ille Publicánus. Non enim pudet eum ab arte ſua nuncupáre, neque illum, neque álios. Hoc enim máximè & Spíritûs grátiam, & illórum virtútem comméndat. Opus autem ſuum jure Evangélium inſcrípſit: síquidem ſublátam ultiónem, peccatórum véniam, juſtítiam, ſanctificatiónem, redemptiónem, adoptiónem, cœlórum hæreditátem, & cognatiónem cum Fílio Dei, ómnibus annuntiáre venit, inimícis, ímprobis, ſedéntibus in ténebris.

IN III. NOCTURNO.

De Epíſtola beáti Jacóbi Apóſtoli.

LECTIO VII. *c.* 1. *v.* 17. *ad* 21.

OMne datum óptimum, & omne donum perféctum, desúrsùm eſt, deſcéndens à Patre lúminum, apud quem non eſt tranſmutátio, nec viciſſitúdinis obumbrátio. Voluntáriè enim génuit nos verbo veritátis, ut ſimus inítium áliquod creatúræ ejus. Scitis, fratres mei dilectíſſimi. Sit autem omnis homo velox ad audiéndum, tardus autem ad loquéndum, & tardus ad iram. Ira enim viri juſtítiam Dei non operátur. Propter quòd abjiciéntes omnem immundítiam & abundántiam malítiæ, in manſuetúdine ſuſcípite ínſitum verbum, quod poteſt ſalváre ánimas veſtras.

LECTIO VIII. *v.* 22. *ad fin.*

EStóte autem factóres verbi, & non auditóres tantùm, falléntes voſmetípſos. Quia ſi quis audítor eſt verbi, & non factor, hic comparábitur viro conſideránti vultum nativitátis ſuæ in ſpéculo: conſiderávit enim ſe, & ábiit, & ſtatim oblítus eſt qualis fúerit. Qui autem perſpéxerit in legem perféctam libertátis, & permánſerit in ea, non audítor obliviósſus factus, ſed factor óperis, hic beátus in facto ſuo erit. Si quis autem putat ſe religióſum eſſe, non refrǽnans linguam ſuam, ſed ſedúcens cor ſuum, hujus vana eſt relígio. Relígio munda & immaculáta apud Deum & Patrem hæc eſt: Viſitáre pupíllos & víduas in

tribulatióne eórum, & immaculátum ſe cuſtodíre ab hoc ſéculo.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

Lectio IX. *c. 9. v. 9. ad 13.*

Matthæi vocatio.

VIdit Jeſus hóminem ſedéntem in telónio, Matthǽum nómine; & ait illi: Séquere me. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. 1. Commem. in Matt. Cap. 9.

CŒteri Evangeliſtæ, propter verecúndiam & honórem Matthǽi, noluérunt eum nómine appelláre vulgáto; ſed dixérunt Levi, dúplici quippe vocábulo fuit. Ipſe autem Matthǽus, (ſecúndùm illud quod à Salomóne præcípitur, Juſtus accuſátor eſt ſuî, in princípio ſermónis: & in álio loco, Dic tu peccáta tua, ut juſtificéris;) Matthǽum ſe & Publicánum nóminat: ut oſténdat legéntibus, nullum debére ſalútem deſperáre, ſi ad melióra convérſus ſit: cùm ipſe de Publicáno in Apóſtolum ſit repéntè mutátus. Arguit in hoc loco Porphýrius & Juliánus Augúſtus, vel imperítiam hiſtórici mentiéntis, vel ſtultítiam eórum qui ſtatim ſecúti ſunt Salvatórem, quaſi irrationabíliter quémlibet vocántem hóminem ſint ſecúti, cùm tantæ virtútes tántaque ſigna præceſſerint, quæ Apóſtolos ántequàm créderent, vidíſſe non dúbium eſt. Certè fulgor ipſe, & majéſtas Divinitátis occúltæ, quæ étiam in humána fácie relucébat, ex primo ad ſe vidéntes tráhere póterat aſpéctu.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. D. Exiit Jeſus, & vidit Publicánum, nómine Levi, ſedéntem ad telónium; & ait illi: Séquere me. *Luc.* 5. 27.

Oratio.

DEus, qui ineffábili miſericórdiâ, beátum Matthǽum, ex Publicáno Apóſtolum elígere dignátus es; da nobis, ejus exémplo & interceſſióne, ut poſt te, relíctis ómnibus, ambulántes, tibi firmiter adhærére valeámus; Qui vivis & regnas, cum Deo Patre.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. g. Relíctis ómnibus, Levi ſurgens ſecútus eſt Jeſum, & fecit ei convívium magnum. *Luc.* 5. 28. 29.

FERIA SEXTA Quatuor Temporum.

Lectio I. & II. de Scriptura occurrente, duabus poſterioribus in unam junctis. Duo priora ℟℟. *è II. Noct. Dom. præced.*

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio III. *c. 7. v. 36. ad finem.*

Chriſtus apud Phariſæum manducans.

ROgábat Jeſum quidam de Phariſǽis, ut manducáret cum illo. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Hom. 33. in Evang. Hab. in Baſil. S. Clem. Fer. VI. Quat. Temp. Sept. n. 5.

SI recta ópera ágimus, quibus opiniónis bonæ odóre Eccléſiam reſpergámus, quid in Dómini córpore, niſi unguéntum fúndimus? Sed ſecùs pedes Jeſu múlier ſtetit. Contra pedes enim Dómini ſtétimus, cùm in peccátis póſiti, ejus itinéribus renitebámur. Sed ſi ad veram pœniténtiam poſt peccáta convértimur, jam retrò ſecùs pedes ſtamus: quia ejus veſtígia séquimur, quem impugnabámus. Lácrymis múlier pedes ejus rigat: quod nos quoque veráciter ágimus, ſi quibúſlibet últimis membris Dómini, per compaſſiónis afféctum inclinámur, ſi ſanctis ejus in tribulatióne compátimur, ſi eórũ triſtítiam noſtram putámus.

℟. *iij.* Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus; * Cor contrítum & humiliátum, Deus, non deſpícies. *Pſ.* 50. 19. ℣. Múlier peccátrix ſtans retrò ſecùs pedes Jeſu, lácrymis cœpit rigáre pedes ejus. *Luc.* 7. 38. * Cor contrítum. Glória. * Cor contrítum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 5. a. Dixit Jeſus ad mulíerem peccatrícem: Remittúntur tibi peccáta tua. *Luc.* 7. 48.

Preces, flexis genibus, p. 151.

Oratio.

DEus, qui multùm diligéntibus multa peccáta remíttis; infúnde córdibus noſtris tui amóris afféctum; ut à multis quibus onerámur peccátis, pro tua benignitáte liberémur; Per Dóminum.

AD HORAS, *Preces, flexis genibus, p.* 153. *& ſequent. cum Orat.* Deus, qui, *ſuprà.*

AD VESPERAS, *Si ſint de Feria, non dicuntur Preces, & dicitur Oratio Dominica precedentis.*

SABBATO QUATUOR TEMPORUM.

Lectio I. & II. de Scriptura occurr. duabus poſterioribus in unam junctis.

Duo priora ℟℟. è III. Noct. Dom. præced.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

LECTIO III. *c.* 13. *v.* 6. *ad* 17.

DIcébat Jeſus hanc ſimilitúdinem: Arborem fici habébat quidam plantátam in vínea ſua. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Hom. 31. in Evang. Hab. ad Popul. Sab. Quat. Temp. Sept. n. 2. 3.

TErtiò Dóminus víneæ ad ficúlneam venit: quia natúram géneris humáni ante Legem, ſub Lege, ſub Grátia, expectándo, admonéndo, viſitándo, requiſívit. Dixit autem ad cultórem víneæ: Ecce anni tres ſunt, ex quo vénio

fructum quærens in ficúlnea hac, & non invénio. Venit ante Legem, quia per naturálem intelléctum quid unuſquíſque exémplo ſuî quáliter erga próximum ágere debuíſſet, innótuit. Venit in Lege, quia præcipiéndo dócuit. Venit poſt Legem per grátiam, quia pietátis ſuæ præséntiam exhibéndo monſtrávit. Sed tamen in tribus annis fructum ſe non inveniſſe conquéritur: quia quorúmdam pravórum mentes, nec inſpiráta lex naturális córrigit, nec præcépta erúdiunt, nec Incarnatiónis ejus mirácula convértunt.

℞. *iij.* Vigil & Sanctus de cœlo deſcéndit, clamávit fórtiter, * Et ſic ait: Succídite árborem, & præcídite ramos ejus. *Dan.* 4. 10. 11. ℣. Arborem fici habébat quidam plantátam in vínea ſua; & venit quærens fructum in illa, & non invénit. *Luc.* 13. 6. * Et ſic. Glória. * Et ſic.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. *à.* Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidétur, & in ignem mittétur. *Matt.* 3. 10.

Preces, flexis genibus, p. 151.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut ſalutáribus jejúniis caſtigáti & mundáti, mereámur bonórum óperum frúctibus abundáre; Per Dóminum.

AD HORAS, *Preces, flexis genibus, p.* 153. *& ſequent. cum Orat.* Præſta, *ſuprà.*

DIE XV.

OCTAVA NATIVITATIS B. M. VIRGINIS.

Semiduplex.

Omnia ut in Feſto, exceptis quæ ſequuntur. Tres Ant. & tria ℞℞. *ex Noct. Diei ſecundùm Feriam.*

Lectio I. de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis.

De Libro Eccleſiáſtici.

LECTIO II. *c.* 24. *v.* 22. *ad* 28.

EGo quaſi terebínthus exténdi ramos meos: & rami mei honóris & grátiæ. Ego quaſi vitis fructificávi ſuavitátem odóris: & flores mei fructus honóris & honeſtátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, & timóris, & agnitiónis, & ſanctæ ſpei. In me grátia omnis viæ & veritátis, in me omnis ſpes vitæ & virtútis. Transíte ad me, omnes qui concupíſcitis me, & à generatiónibus meis impléмini. Spíritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæréditas mea ſuper mel & favum: memória mea in generatiónes ſeculórum.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Hom. 2. *ſuper* Miſſus eſt. n. 17.

LECTIO III.

MAría aptíſſimè síderi comparátur: quia ſicut ſinè ſuî corruptióne ſi-

x officium proprium ... ad ...

ıum emíttit rádium,
ſque ſuî læſióne Vir-
rturit Fílium. Nec sí-
rádius ſuam mínuit
ıtem, nec Vírgini Fí-
ıam integritátem. Ipſa
ıtur nóbilis illa ſtella
:ob orta, cujus rádius
rſum orbem illúmi-
cujus ſplendor & præ-
: in supérnis, & ínferos
rat: terras étiam per-
ns & calefáciens magis
s quàm córpora, fo-
rtútes, éxcoquit vítia.
inquam, eſt præclára
mia ſtella, ſuper hoc
nagnum & ſpatióſum
ário ſublevata, mi-
ıéritis, illúſtrans exém-
) quiſquis te intélligis
ıjus séculi proflúvio
ınter procéllas & tem-
es fluctuáre, quàm per
ı ambuláre! ne avér-
ulos à fulgóre hujus
;, ſi non vis óbrui pro-
Si inſúrgant venti ten-
um, ſi incúrras ſcópu-
ibulatiónum, réſpice
a, voca Maríam. Si
is ſupérbiæ undis, ſi
iónis, ſi detractió-
ſi æmulatiónis, réſpi-
llam, voca Maríam.
ſcundia, aut avarítia,
arnis illécebra naví-
concúſſerit mentis,
: ad Maríam: & ut
res ejus oratiónis ſuf-
m, non déſeras con-
iónis exémplum.
·peræ *de Sequenti*,
Commemoratione de
·*a*.

Die XVI. [v. XVII]

In Festo [S. Cypri...]
Sancti Joannis Chrysostomi, [XVII]
Conſtantinopolitani Epiſcópi, & Eccleſiæ Doctoris. [19]

Duplex minus.

Omnia de Communi unius S. Doctoris, p. xxx. additis quæ ſequuntur. [oratio ſa.]

Lectio II.

Ex Pallad. Greg. Alexand. & aliis.

JOánnes, Antiochíæ natus, per annos áliquot in ſolitúdine vitam egit. Présbyter Antiochénæ Eccléſiæ à Flaviáno creátus, homílias hábuit ad pópulum, tanta cum eloquéntia, ut inde Chryſóſtomus ſit appellátus. Exáctis eo in múnere annis duódecim, in Sede Conſtantinopolitána, mórtuo Nectário invítus ſufficitur. Ibi forma gregis factus, reſécuit ſumptus inútiles Eccléſiæ ac famíliæ Epiſcopális: & quod inde ſupérerat, in paúperum cómmodum convértit. Cùm autem multórum, imprímis Eudóxiæ Augúſtæ, ſubiiſſet invídiam, hábita eſt apud Quercum Chalcédonis ſubúrbium, Epiſcopórum áliquot tumultuária Sýnodus, in qua depóſitus, ejéctus eſt in exílium: ſed paulò pòſt ab exílio revocátus eſt. Iterùm in Epiſcopórum conventículo damnátus, quòd in Sedem abſque novæ Sýnodi judício rediiſſet, Imperatóris juſſu, Cucúſum in Armé-

niam amandátus eſt. Ad exílii locum, difficultátibus innúmeris ſuperátis, tandem pervénit invíctus Antíſtes: ibíque híemis inclementiâ penè enéctus, Arméniæ paúperes fruménto & cœléſti verbo páſcere non déſtitit. Hinc propter crebras Iſaurórum incurſiónes, Arabíſſum munítius óppidum, deínde Pytiúntem tranſlátus eſt. Cománam cùm adventáret, pernoctávit in Eccléſia ſancti Baſilíci, ubi beátus Martyr ſic eum in ſomnis affátus eſt: Confíde, frater Joánnes, cras enim ſimul érimus. Sumptis poſtrídie cœléſtibus Sacraméntis, ánimam Deo réddidit, quartâ décimâ die Septémbris, anno quadringentéſimo séptimo.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio III. *c.* 5. *v.* 13. *ad* 16.

Sal terræ: lux mundi.

Dixit Jeſus Diſcípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

In Matt. 15.

Non illos Paleſtínæ Doctóres eſſe dicit, ſed totíus terræ: nec ſimplíciter Doctóres, ſed ſevéros quoſquam atque terríbiles. Hoc eſt enim omnínò mirábile, quia non adulántes, neque palpántes, ſed ſalis inſtar aſtringéntes, ferè ómnibus *ſe tam* deſiderábiles reddidérunt. Nolíte ergo, inquit, mirári, ſi álios omíttens, vos dóceo: non vos tantúmmodò volo eſſe ſapiéntes, ſed tales fácere & cǽteros. Hujúſmodi autem magíſtros máximâ decet pollére prudéntiâ: tantáſque illis virtútum adéſſe divítias, ut áliis quoque utilitátem impértiant. Deinde ad áliud eos ſublímius ducit exémplum. Vos eſtis lux mundi. Iterùm mundi, non uníus gentis, nec vigínti úrbium, ſed totíus orbis; & lux intelligíbilis ipsóque rádio præſtántior, ſicut étiam ſal ſpirituále. Priùs autem ſal, deínde lux: ut diſcas, quantum ſit verbórum aſtringéntium lucrum; quantúmque cómmodum honéſtæ doctrínæ. Hæc síquidem ſtringit ánimos, nec difflúere permíttit, facítque ad virtútem aſpícere, ad quam velut apprehénſâ manu addúcit.

Oratio, Deus, qui pópulo tuo, *p.* xxxiv.

Ad Vesperas, *Commemoratio de S. Cypriano.*

Ant. Bonus, ℣. Juſtus, *p.* x. *Oratio*, ~~Omnípotens~~, + *p.* xiv.

Die XVI (a 17)

In Festo

SANCTI CYPRIANI, Carthaginenſis Epiſcopi, Eccleſiæ Doctoris, & Martyris.

Semiduplex.

Omnia de communi unius Martyris, p. ix. *additis quæ ſequuntur.*

(17) S. Lambertini, martyris, oratio: omnipoten... Lectio — semiduplex

Lectio III.

Ex S. Hieron. Ruinart. & Hiſt. Eccleſ.

CYpriánus, Afer, primùm cum laude Rhetóricam dócuit, exínde, ſuadénte Presbýtero Cæcílio, Chriſtiánus factus, omnem ſubſtántiam ſuam paupéribus erogávit, ac deínceps Préſbyter, tum dénique Epíſcopus Carthaginénſis conſtitútus eſt. Témpore Valeriáni & Galliéni, oblátus eſt Galério Máximo, Procónſuli, qui Cypriánum intúitus, ait: Tu es Cypriánus qui te Papam ſacrílegæ mentis homínibus præbuíſti? Juſsérunt te ſacratíſſimi Imperatóres ſacrificáre. Cónſule tibi, ne péreas. Sanctus Martyr reſpóndit: Ego ſum Cypriánus, Chriſtiánus ſum, & diis ſacrificáre non pótero. Tunc irátus Procónſul dixit: Diu ſacrílegâ mente vixíſti, & inimícum te diis Románis conſtituíſti: ſánguine tuo ſanciétur diſciplína. Et his dictis, decrétum ex tabélla recitávit: Cypriánum gládio animadvérti placet. Cypriánus Epíſcopus dixit: Deo grátias. Et cùm ducerétur, pópulus fratrum plangens & éjulans, dicébat: Et nos cum ipſo decollémur. Perdúctus autem in agrum Sexti, cùm ibi ſe lacérnâ, birro, & dalmáticâ expoliáſſet, ſtans in línea ſpiculatórem expectábat: qui cùm veníſſet, juſſit ſuis, ut ei vigínti quinque áureos darent. Póſteà verò manu ſuâ óculos ſibi texit, & ſic gládio percúſſus occúbuit.

Orat. ~~Omnípotens~~, *p.* xiv.

Die XXII.

In Festo

SS. MAURICII, et Sociorum ejus, Martyrum.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, p. xvj. *additis quæ ſequuntur.*

Lectio III.

Ex Act. apud Ruinart.

SUb Maximiáno, qui Románæ Reipúblicæ cum Diocletiáno impérium ténuit, erat in exércitu légio mílitum qui Thebǽi appellabántur. Hi in auxílium Maximiáno ab Oriéntis pártibus acciti vénerant, viri in rebus béllicis ſtrénui, nóbiles virtúte, ſed nobilióres fide, Evangélici præcépti étiam ſub armis non immémores. Maximiánus ſacrificatúrus idólis, Octodórum convenire exércitum juſſit, atróci propóſitâ juſſióne, ut per aras dæmónibus conſecrátas jurárent. Soli id Thebǽi detrectáti ſunt: eóque cógnito, Maximiánus Agaúnum mittit, ubi octávo ab Octodóro milliári conſéderant, & décimum quemque gládio feríri jubet, cœ́teros parére mandátis. Ubi ad Thebǽos denuntiátio iteráta pervénit, vociferátio paſſim in

Beati Cypriani, quaesumus, Domine, [illegible] grata commendet oratio, qui semel [illegible] [illegible] gloriosae passionis triumpho [illegible]

b] promptam s[...] adeptionem exhibeat. per x.

caſtris exóritur affirmántium ſe idolórum profána ſemper deteſtatúros, & extréma experíri sátiùs eſſe, quàm advérsùs Chriſtiánam fidem veníre. His compértis, Maximiánus ímperat ut íterùm décimus eórum morti detur, & cǽteri nihilóminùs ad ea quæ ſpréverant, compellántur. Percúſſus eſt ítaque qui décimus ſorte obvénerat. Flagrábat in illis Martýrii glorióſus ardor, ſuadénte imprimìs ſancto Mauricio pro ſacraménto Chriſti moriéndum, ſequendóſque contubernáles, qui jam in cœlū præcéſſerant. Itaque Maximiáno hæc mandáta mittunt, ſicut pia, ità & fórtia: Mílites ſumus, Imperátor, tui: ſed tamen ſervi, quod líberè confitémur, Dei. Tibi milítiam debémus, Illi innocéntiam. Tenémus ecce arma, non resíſtimus: ſi quid in nos ultrà ſtatúeris, ungues, torménta, ferrum ſubíre paràti ſumus: Chriſtiános nos fatémur. Maximiánus deſpérans glorióſam eórum conſtántiam poſſe revocáre, unâ ſenténtiâ interfici omnes, & rem cónfici circumfúſis agmínibus jubet. Cædebántur ítaque paſſim gládiis, non reclamántes ſaltèm aut repugnántes, ſed depóſitis armis, cervíces perſecutóribus præbéntes, & júgulum percuſſóribus, vel intéctum corpus offeréntes. Non vel ipsâ ſuórum multitúdine eláti ſunt, ut ferro conaréntur aſſérere juſtítiæ cauſam: ſed hoc ſolùm reminiſcéntes, ſe illum confitéri, qui nec reclamándo ad occiſiónem ductus eſt, & tanquam agnus non apéruit os ſuum, ipſi quoque tanquam grex Domínicus óvium laniári ſe tanquam ab irruéntibus lupis paſſi ſunt.

Oratio. ✝

DEus, fortitúdo certántium & palma Mártyrum, qui beátum Mauríciū, Sociósque ejus, ad tui nóminis confeſſiónem mirâ virtúte roboráſti; quǽſumus; ut ſicut nos eórum triúmpho lætíficas, ità ſemper protectióne deféndas; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum.

VESPERÆ *à Capitulo de Sequenti, cum Commem. de SS. Mauricio & Sociis.*

DIE XXIII.

IN FESTO SANCTÆ THECLÆ, Virginis & Proto-Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius S. Virginis Martyris, p. lvij. *additis quæ ſequuntur.*

Sermo ſancti Ambróſii Epiſcopi.

Lib. 2. *De Virg. Cap.* 3.

LECTIO III.

THecla, cópulam fúgiens nuptiálem, & ſponſi furóre damnáta, natúram étiam beſtiárum virginitátis veneratióne mutávit. Namque paráta ad feras, cùm aſpéctus quo-

x Deus pro te certantium fortitudo, et corona pariter incitamentum, da nobis quaesumus, ut qui in Beatorum Mauritii et sociorum passione virtutem [...] salutis hostem [...]

que declináret virórum, ac vitália ipſa ſævo offérret leóni, fecit ut qui impudícos detúlerant óculos, pudícos reférrent. Cérnere erat lingéntem pedes béſtiam, cubitáre humi, muto teſtificántem ſono, quòd ſacrum Vírginis corpus violáre non poſſet. Ergo adorábat prædam ſuam béſtia: & própriæ oblíta natúræ, natúram indúerat quam hómines amíſerant. Vidéres quâdam natúræ transfuſióne, hómines ferítátem indútos, ſævítiam imperáre béſtiæ: béſtiam exoſculántem pedes Vírginis, docére quid hómines debérent. Tantùm habet virgínitas admiratiónis, ut eam étiam leónes miréntur. Non impáſtos cibus flexit, non citátos ímpetus rápuit, non ſtimulátos ira exaſperávit, non uſus decépit aſſuétos, non feros natúra poſsédit. Docuérunt Religiónem, dum adórant Mártyrem.

℣ *Orat.* Omnípotens, *p.* lxij.

DIE XXVII.

IN FESTO SS. COSMÆ ET DAMIANI, Martyrum.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, p. xvj, *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex S. Greg. Turon.

DUo gémini fratres Coſmas & Damiánus, Arabes, arte médici, Mártyres celebérrimi, antiquíſſimo ritu colúntur, tam in Occidentáli, quàm in Orientáli Eccléſia. In urbe Cyro, in quam primùm eórum córpora credúntur fuíſſe tranſláta, ſub eórum nómine eréctam fuíſſe Basílicam, teſtís eſt ſéculo quinto Theodorétus ejúſdem urbis Epíſcopus. Juſtiniánus Imperátor áliam Basílicam Conſtantinópoli, ſub eórum nómine, & quidē magnificentíſſimam conſtrúxit, deſtrúctâ véteri, quæ jam à tempóribus Theodóſii Junióris fúerat ſub eórum invocatióne Deo dicáta. In séptima Sýnodo Œcuménica, referúntur mirácula quædam, ſanctórum Coſmæ & Damiáni patrocínio à Deo impetráta: traditúrque coli ſolére depíctas in Basílicis & privátis in ædibus horum Mártyrum imágines; eorúmque ope, ſalútem ægris étiam deſperátis plerúmque fuíſſe reſtitútam. Romæ autem eórum cultum non minùs ſolémnem fuíſſe teſtátur, non ſolùm dicáta Deo ſub eórum nómine in foro Románo Eccléſia; ſed étiam insértum jam ánteà Cánoni miſſæ ſanctórum Mártyrum nomen. Horum Relíquias Joánnes de Bellomónte Eques aſportávit in Gálliam, & apud Lusárcam in Basílica ſancti Ætérni Ebroïcénſis Epíſcopi, ſub cuſtódia Canonicórum depóſuit, præter portiúncu-

lam quâ Ecclésiam Pariſiénſem donávit.

Oratio.

MAgníficet te, Dómine, ſanctórum tuórum Coſmæ & Damiáni veneránda Solémnitas, quâ & illis glóriam ſempitérnam, & opem nobis, ineffábili providéntiâ, contuliſti; Per Dóminum noſtrum.

DIE XXIX.

IN FESTO SANCTI MICHAELIS, Archangeli, & omnium SS. Angelorum.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 1. *toni f.*

VIdi Dóminum ſedéntem ſuper ſólium excélſum & elevátum; & ea quæ ſub ipſo erant, replébant templum. *Iſ.* 6. 1.

Ant. 2. *D.* Séraphim clamábant alter ad álterum, & dicébant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus exercítuum. *Iſ.* 6. 3.

Ant. 6. F. Thronus ejus flammæ ignis: rotæ ejus ignis accénſus. *Dan.* 7. 9.

Ant. 7. *c.* Eleváta eſt glória Dómini déſuper Cherub. *Ezech.* 10. 4.

Ant. 8. G. Sónitus alárum Chérubim audiebátur, uſque ad átrium extérius, quaſi vox Dei omnipoténtis loquéntis. *Ezech.* 10. 5.

CAPITULUM. *Ezech.* 10. 7.

EXténdit Cherub manum de médio Chérubim, *ad ignem qui* erat inter Chérubim: *& ſumpſit*, & dedit in manus ejus qui indútus erat líneis.

℞. Flúvius ígneus rapidúſque egrediebátur à fácie Antíqui diérum. * Míllia míllium miniſtrábant ei, & décies míllies centéna míllia aſſiſtébant ei. *Dan.* 7. 10. ℣. Audívi vocem Angelórum multórum in circúitu throni. *Apoc.* 5. 11. * Míllia. Glória. * Míllia.

HYMNUS.

CHRISTE, qui ſedes Olýmpo,
Par Deo Patri Deus,
Quem tremíſcunt intuéndo
Purióres Spíritus,
Da choris junctos ſupérnis
Ore puro psállere.

QUOTQUOT aſtant, ſempitérnum
Qui tribúnal ámbiunt,
Hi tot ardent imperánti
Ferre juſſa præpetes,
Ire terris & redíre,
Sacra per commércia.

INTER omnes fulguránti
Enſe victor émicat,
Qui dracónis inſoléntem
Cóntudit feróciam:
De polo truſit rebéllem
In profúnda tártara.

DUM ſupérbum ſternis hoſtem,
Intonas: Quis ut Deus?
Obſtináta turba præceps
Clade commúni ruit:
Te triumphántem corónat,
Qui tibi dat víncere.

TU decóre vincis omnes,
Alitûm pulchérrime;
Aſſides Deo propínquus;
Cónſilî tu párticeps:
Aſtra claudis & reclúdis,

Nóſque ſiſtis Júdici.
Te treméndo poſcat æger,
Mortis in luctámine,
advolántis efficácem
Séntiet præséntiam:
Córporis vinclis ſolútum
Mox ad aſtra tránsferes.
Sit ſupréma laus Paréntî
Qui creávit ómnia;
Filióque qui redémit
Morte nos volens ſuâ;
Par & illi cujus almo
Recreámur hálitu.
Amen.

℣. Qui ſedes ſuper Chérubim, ℟. Manifeſtáre. *Pſ.* 79. 2. 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. * Quis demíſit lápidem anguláreṃ terræ, cùm me laudárent ſimul aſtra matutína, & jubilárent omnes filii Dei? *Job.* 38. 6. 7.

Oratio, Deus, qui, *infrà*, *ad Laudes*, *p.* 408.

Completorium *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Caput omnis Principátûs & Poteſtátis, * Veníte, adorémus. *Coloſſ.* 2. 10.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

Hymnus.

Mille quem ſtipant ſólio ſedéntem
Córporis puræ ſinè mole mentes,
Chriſte, quos fuſo tibi conſecráſti
Sánguine, ſerva.
Quas tenent celſas ſuper aſtra ſedes
Spíritus, nobis quoque præparáſti:
Ut viam monſtrent, ſócios fidéles
Próvidus addis.
Qui Dei nunquam temeránda jura
Víndicat ſacris animóſus armis,
Prompta perdéndos Míchaël in hoſtes
Arma miniſtret.
Nuntius felix melióris ævi,
Fauſta qui mundo, Gábriel, tuliſti,
Creber è cœlo vénias, amíca
Núntia portans.
Corporis morbos, tenebráſque mentis
Pelle, divínas médicus per artes,
Qui ſeni cœco, Ráphaël, dedíſti
Cérnere ſolem.
Gratias Regi Súperûm canámus,
Fonte de cujus, bona cuncta manant;
Quem fides veri ſtudióſa, trinum
Credit & unû. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. D. Conſúrget Míchaël Princeps magnus, qui ſtat pro filiis pópuli Iſraël. *Dan.* 12. 1.

Ant. 2. D. Loquénte me in oratióne, ecce vir Gábriel quem víderam in viſióne à princípio, citò volans tétigit me. *Dan.* 9. 21.

Ant. 3. *à.* Miſſus eſt Angelus Dómini ſanctus Rá-

phaël, ut curáret Tobíam. *Tob.* 3. 25.

℣. Quis in núbibus æquábitur Dómino? ℟. Símilis erit Deo in fíliis Dei? *Pſ.* 88. 7.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. j. Quómodo cecidíſti de cœlo, Lúcifer, qui manè oriebáris? * Corruíſti in terram, qui vulnerábas gentes? *Iſ.* 14. 12. ℣. Factum eſt prælium magnum in cœlo; Michaël & Angeli ejus præliabántur cum dracóne. *Apoc.* 12. 7. * Corruíſti.

℟. ij. Dócuit me Gábriel, & locútus eſt mihi, dixítque: Dániel, * Nunc egréſſus ſum, ut docérem te, & intellígeres. *Dan.* 9. 22. ℣. Jerúſalem calcábitur à Géntibus, donec impleántur témpora natiónum. *Luc.* 21. 24. * Nunc.

℟. iij. Dixit Ráphaël ad Tobíam: * Quando mórtuos abſcondébas per diem in domo tua, & nocte ſepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. *Tob.* 12. 12. ℣. Oratiónes tuæ & eleemóſynæ tuæ aſcendérunt in memóriam, in conſpéctu Dei. *Act.* 10. 4. * Quando. Glória. * Quando.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. g. Ecce Míchaël, unus de princípibus primis, venit in adjutórium meum. *Dan.* 10. 13.

Ant. 6. F. Venit Gábriel, & ſtetit juxta ubi ego ſtabam; cúmque veníſſet, pavens córrui in fáciem meam. *Dan.* 8. 17.

Ant. 7. d. Dixit Tobíæ Ráphaël Angelus: Ego ſanum ducam, & ſanum tibi redúcam fílium tuum. *Tob.* 5. 20.

℣. Benedícite Dómino, omnes Virtútes ejus. ℟. Miníſtri ejus, qui fácitis voluntátem ejus. *Pſ.* 102. 21.

Sermo ſancti Gregórii Papæ.

Hom. 34. *in Evang.* n. 7.

LECTIO IV.

NOvem Angelórum Ordines eſſe, teſtánte ſacro Elóquio, ſcimus: Angelos, Archángelos, Virtútes, Poteſtátes, Principátus, Dominatiónes, Thronos, Chérubim, atque Séraphim. Eſſe namque Angelos & Archángelos penè omnes ſacri Elóquii páginæ teſtántur. Chérubim verò atque Séraphim ſæpè, ut notum eſt, Libri Prophetárum loquúntur. Quátuor quoque Ordinum nómina Paulus Apóſtolus ad Ephéſios enúmerat, dicens: Supra omnem Principátum, & Poteſtátem, & Virtútem, & Dominatiónem. Qui rursùs ad Coloſſénſes ſcribens, ait: Sive Throni, ſive Poteſtátes, ſive Principátus, ſive Dominatiónes. Dum ergo illis quátuor quæ ad Ephéſios dixit, conjungúntur Throni, quinque ſunt Ordines qui ſpeciáliter exprimúntur: qui-

bus dum Angeli & Archángeli, Chérubim atque Séraphim adjúncta ſunt, procul dúbio novem eſſe Angelórum Ordines inveniúntur.

℟. *iv.* Dixit Dóminus ad Satan: Increpet Dóminus in te, Satan; * Et íncrepet Dóminus in te, qui elégit Jeruſalem. *Zach.* 3. 2. ℣. Míchaël Archángelus cum diábolo díſputans, dixit: Imperet tibi Dóminus. *Jud.* 9. * Et íncrepet.

LECTIO V. n. 8. 9.

SCiéndum quoque quòd Angelórum vocábulum nomen eſt Officii, non natúræ. Nam ſancti illi cœléſtis pátriæ Spíritus, ſemper quidem ſunt Spíritus, ſed ſemper vocári Angeli nequáquàm poſſunt: quia tunc ſolùm ſunt Angeli, cùm per eos áliqua nuntiántur. Unde & per Pſalmíſtam dícitur: Qui facit Angelos ſuos Spíritus. Ac ſi patenter dicat: Qui eos, quos ſemper habet Spíritus, étiam cùm volúerit, Angelos facit. Hi autem qui mínima núntiant, Angeli: qui verò ſumma annúntiant, Archángeli vocántur. Hinc eſt enim quòd ad Maríam Vírginem, non quílibet Angelus, ſed Gábriel Archángelus míttitur. Ad hoc quippe miniſtérium, ſummum Angelum veníre dignum fúerat, qui ſummum ómnium nuntiábat. Qui idcírcò étiam privátis nomínibus censéntur: ut ſignétur per vocábula étiam in operatióne quid váleant. Míchaël namque, Quis ut Deus: Gábriel autem, Fortitúdo Dei: Ráphaël verò dícitur Medicína Dei.

℟. *v.* Ait ad me Gábriel: * Intéllige, fili hóminis, quóniam in témpore finis, complébitur víſio. *Dan.* 8. 17. ℣. Ego ſum Gábriel qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te. *Luc.* 1. 19. * Intéllige.

LECTIO VI.

QUóties miræ virtútis áliquid ágitur, Míchaël mitti perhibétur: ut ex ipſo actu & nómine detur intélligi, quia nullus poteſt fácere, quod fácere prævalet Deus. Unde & ille antíquus hoſtis, qui Deo eſſe per ſupérbiam símilis concupívit, dicens: In cœlum conſcéndam, ſuper aſtra cœli exaltábo sólium meum, símilis ero Altíſſimo, dum in fine mundi in ſua virtúte relinquétur extrémo ſupplício periméndus, cum Michaéle Archángelo præliatúrus eſſe perhibétur, ſicut per Joánnem dícitur: Factum eſt prǽlium cum Michaéle Archángelo. Ad Maríam quoque Gábriel míttitur, qui Dei Fortitúdo nominátur: illum quippe nuntiáre veniébat, qui ad debellándas áëreas poteſtátes, húmilis apparére dignátus eſt. Ráphaël quoque interpretátur, ut díximus,

Medicína Dei: quia vidélicet dum Tobíæ óculos quaſi per officium curatiónis tétigit, cæcitátis ejus ténebras terſit.

℟. vj. Miſit me Dóminus, ut curárem te, & Saram uxórem filii tui à dæmónio liberárem: * Ego enim ſum Ráphaël Angelus, unus ex ſeptem qui aſtámus ante Dóminum. *Tob.* 12. 14. 15. ℣. Grátia vobis & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui ventúrus eſt; & à ſeptem Spirítibus qui in conſpéctu throni ejus ſunt. *Apoc.* 1. 4. * Ego. Glória. * Ego.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Nemo eſt adjútor meus in ómnibus his, niſi Míchaël Princeps veſter. *Dan.* 10. 21.

Ant. 5. a. Miſſus eſt Angelus Gábriel à Deo, in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth. *Luc.* 1. 26.

Ant. 3. c. Ráphaël Angelus apprehéndit dæmónium, & religávit illud. *Tob.* 8. 3.

℣. Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, ℟. Et erípiet eos. *Pſ.* 33. 8.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebrǽos.

Lectio VII. *c.* 12. *v.* 28. *ad finem*, *& c.* 13. *v.* 1. *ad* 3.

Regnum immóbile ſuſcipiéntes, habémus grátiam, per quam ſerviámus placéntes Deo, cum metu & reveréntia. Etenim Deus noſter ignis consúmens eſt. Cáritas fraternitátis máneat in vobis, & hoſpitalitátem nolíte oblivíſci: per hanc enim latuérunt quidam, Angelis hoſpítio recéptis. Mementóte vinctórum, tanquam ſimul vincti; & laborántium, tanquam & ipſi in córpore morántes.

℟. vij. Vidit Jóſue virum ſtantem contra ſe, evaginátum tenéntem gládium, perrexítque ad eum, & ait: Noſter es, an adverſariórum? Qui reſpóndit: Nequáquàm; ſed * Sum Princeps exércitûs Dómini. *Joſ.* 5. 13. 14. ℣. Consérvus tuus ſum, & fratrum tuórum. *Apoc.* 19. 10. * Sum.

De Epíſtola beáti Judæ Apóſtoli.

Lectio VIII. *v.* 9. *ad* 13.

Cum Míchaël Archángelus cum diábolo díſputans altercarétur de Móyſi córpore, non eſt auſus judícium inférre blaſphémiæ, ſed dixit: Imperet tibi Dóminus. Hi autem, quæcúmque quidem ignórant, blaſphémant, quæcúmque autem naturáliter, tanquam muta animália, norunt, in his corrumpúntur. Væ illis, quia in via Caïn abiérunt, & erróre Bálaam mercéde effúſi ſunt, & in contradictióne Core periérunt. Hi ſunt in épulis ſuis máculæ, convivántes ſinè timóre, ſemetípſos paſcéntes, nubes ſinè aqua,

quæ à ventis circumferúntur, árbores autumnáles, infructuóſæ, bis mórtuæ, eradicátæ, fluctus feri maris, deſpumántes ſuas confuſiónes, ſídera errántia: quibus procélla tenebrárum ſerváta eſt in ætérnum.

℟. *viij.* Appáruit uxóri Mánue Angelus Dómini, & dixit ad eum: Stérilis es & abſque líberis; ſed * Concípies, & páries filium. *Judic.* 13. 3. ℣. Ingréſſus Angelus ad Maríam, dixit: Ave, grátiâ plena; Dóminus tecum. *Luc.* 1. 28. * Concípies.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio IX. *c.* 18. *v.* 1. *ad* 10.

Angeli ante faciem Patris.

Acceſsérunt Diſcípuli ad Jeſum, dicéntes: Quis putas major eſt in regno cœlórum? Et réliqua.

Homília ſancti Hilárii Epíſcopi.

In Matt. Cap. 18. n. 5.

Vidéte ne contemnátis unum de pusíllis iſtis qui credunt in me. Arctíſſimum vínculũ mútui amóris impóſuit, ad eos præcípuè qui verè in Dómino credidíſſent. Puſillórum enim Angeli quotídie Deum vident: quia Filius hóminis venit ſalváre quæ pérdita ſunt. Ergo & Filius hóminis ſalvat; & Deum Angeli vident; & Angeli puſillórum ſunt. Fidélium oratiónibus præéſſe Angelos abſolúta autóritas eſt. Salvatórum ígitur per Chriſtũ oratiónes Angeli quotídie Deo ófferunt. Ergo periculóſè ille contémnitur, cujus deſidéria ac poſtulatiónes ad ætérnum & invisíbilem Deum ambitióſo Angelórum famulátu ac miniſtério pervehúntur.

℟. *ix.* Dixit Tobíæ & filio ejus Angelus Ráphaël: Pax vobis; nolíte timére: * Etenim, cùm eſſem vobíſcum, per voluntátem Dei eram; ipſum benedícite, & cantáte illi. *Tob.* 12. 17. 18. ℣. Timéte Dóminum, & date illi honórem. *Apoc.* 14. 7. * Etenim. Glória. * Etenim.

Te Deum.

Ad Laudes Matutinas.

℣. *Sacerdotalis.* Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, ℟. Poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus. *Pſ.* 102. 20.

Ant. 5. a. Deus Iſraël, qui ſedes ſuper Chérubim, tu es Deus ſolus. *Iſ.* 37. 16.

Ant. 7. d. Tu fecíſti cœlum cœlórum, & omnem exércitum eórum. 2. *Eſdr.* 9. 6.

Ant. 2. D. Tu vivíficas ómnia hæc, Dómine, & exércitus cœli te adórat. 2. *Eſdr.* 9. 6.

Ant. 8. G. Benedíctus es.

Canticum trium Puerorum. *Dan. c.* 3. *v.* 61. *ad* 65.

Omnes creaturæ, ac præ-

S. Michaëlis, Archang...

...què cœleſtes, invitantur ad Deum laudandum.

BEnedícite, omnes Virtútes Dómini, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula.

Benedícite, ſol & luna, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula.

Benedícite, ſtellæ cœli, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula.

Benedícite, omnis imber & ros, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula.

Benedícite, omnes Spíritus Dei, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula.

Glória Patri.

Ant. Benedíctus es, Dómine, qui intuéris abýſſos, & ſedes ſuper Chérubim. *Dan.* 3. 55.

Ant. 4. 2. Dominátor cœlórum, mitte Angelum tuum bonum ante nos. 2. *Mach.* 15. 23.

CAPITULUM. *Apoc.* 8. 3.

ANgelus venit, & ſtetit ante altáre, habens thuríbulum áureum: & data ſunt illi incénſa multa, ut daret de oratiónibus ſanctórum ómnium, ſuper altáre áureum quod eſt ante thronum Dei.

HYMNUS.

REGNATOR orbis, ſummus & Arbiter,
Cui prona ſervit cúria Cœlitûm,
Quæ voce ſolâ tu creáſti,
Perpétuâ regis ipſe curâ.

NOBIS fidéles pr... Angelos
Miſſos Olýmpo ſuppéditas duces:
Ut nos tot obſéſſos perículis
Incólumes ſinè labe ſervent;
Ne nos malígnis fraúdibus óccupans,
Incáuta fallat péctora ſubdolus
Suáſor malórum, néve captet
Illécebrâ malè blandiénti.

LAUS ſumma Patri, ſummaque Filio,
Tibíque compar glória, Spíritus,
Qui per ſalútis tot Miniſtros
Das pátrias remeáre ſedes.
Amen.

℣. Laudáte Dóminum in Virtútibus ejus: ℟. Laudáte eum ſecúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus. *Pſ.* 150. 2.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G... Benedícite Dómino, omne... Elécti ejus: ágite dies læt... tiæ, & confitémini illi. *To...* 13. 10.

Oratio

DEus, qui miro ... Angelórum miniſ... hominúmque diſpén... concéde propítius, ut ... bus tibi miniſtrántib... cœlo ſemper aſſiſtitu... his in terra, vita noſt... niátur; Per Dóminu... trum Jeſum Chriſ... lium tuum, qui tec...

AD PRIMAM.

Ant. Deus.

Capitulum. *Apoc.* 11. 15.

ANgelus tubâ cécinit; & factæ ſunt voces magnæ in cœlo, dicéntes: Factum eſt regnum hujus mundi, Dómini noſtri & Chriſti ejus; & regnábit in ſécula ſeculórum.

℟. *breve.* Chriſte.

AD TERTIAM.

Ant. Tu feciſti.

Capitulum. *Coloſſ.* 1. 16.

IN Chriſto cóndita ſunt univérſa, in cœlis & in terra, viſibília & inviſibília, ſive Throni, ſive Dominatiónes, ſive Principátus, ſive Poteſtátes.

℟. *breve.* In conſpéctu Angelórum, * Pſallam tibi, Dómine. ℟. In. ℣. Adorábo ad templum ſanctum tuum. * Pſallam. Glória. ℟. In. *Pſ.* 137. 1. 2.

℣. Facis Angelos tuos Spíritus, ℟. Et miníſtros tuos ignem uréntem. *Pſ.* 103. 4.

AD SEXTAM.

Ant. Tu vivíficas.

Capitulum. *Hebr.* 1. 6.

CUm íterùm introdúcit Deus Primogénitum in orbem terræ, dicit: Et adórent eum omnes Angeli Dei.

℟. *breve* Laudáte Dóminum, * Omnes Angeli ejus. ℟. Laudáte. ℣. Laudáte eum, omnes Virtútes ejus. * Omnes. Glória. ℟. Laudáte. *Pſ.* 148. 2.

℣. Adoráte eum, omnes Angeli ejus: ℟. Audívit, & lætáta eſt Sion. *Pſ.* 96. 7. 8.

AD NONAM.

Ant. Dominátor.

Capitulum. *Hebr.* 1. 14.

NOnne omnes ſunt adminiſtratórii Spíritus, in miniſtérium miſſi, propter eos qui hæreditátem cápient ſalútis?

℟. *breve.* Angelis ſuis Deus * Mandávit de te. ℟. Angelis. ℣. Ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis. * Mandávit. Glória. ℟. Angelis. *Pſ.* 90. 11.

℣. Scápulis ſuis obumbrábit tibi; ℟. Et ſub pennis ejus ſperábis. *Pſ.* 90. 4.

Vesperæ Solemnes *ae Anniverſario Dedicationis Eccleſiæ Nannetenſis. Ad calcem Breviarii, p.* lxxxiij.

[*Si transferri contingat Feſtum S. Michaëlis,*

AD VESPERAS.

Ant. 6. F. Mittet Fílius hóminis Angelos ſuos, cum tuba & voce magna, & congregábunt eléctos ejus à quátuor ventis. *Matt.* 24. 31.

Ant. 2. D. Ipſe Dóminus, in juſſu, & in voce Archángeli, & in tuba Dei, deſcéndet de cœlo. 1. *Theſſ.* 4. 15.

Ant. 8. *g.* Mittet Fílius hóminis Angelos ſuos, & cólligent de regno ejus ómnia ſcándala. *Matt.* 13. 41.

Ant. 4. *E.* Exíbunt Angeli, & ſeparábunt malos de médio Juſtórum. *Matt.* 13. 49.

Ant. 1. g. Qui digni bebúntur ſéculo illo, quáles Angelis ſunt, & lii ſunt Dei. *Luc.* 20. 6.

Capitul. 2. *Theſſ.* 1. 6. 7.

Juſtum eſt apud Deum retribúere tribulatiónem iis qui vos tríbulant; & vobis qui tribulámini, réquiem nobíſcum, in revelatióne Dómini Jeſu de cœlo, cum Angelis virtútis ejus.

Hymnus, Chriſte, qui ſedes, *ſuprà, in I. Veſperis*, p. 402.

℣. Glóriam regni tui dicent, Dómine: ℟. Et poténtiam tuam loquéntur. *Pſ.* 144. 11.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Aſcéndit fumus incensórum de oratiónibus ſanctórum, de manu Angeli, coram Deo. *Apoc.* 8. 4. (A)

AD COMPLETORIUM.

Ant. 4. f. Septem Angeli qui habébant ſeptem tubas, præparavérunt ſe, ut tubâ cánerent. *Apoc.* 8. 6.

Hymnus, Grates, perácto jam die, p. 158.

Capitulum. *Apoc.* 4. 5.

De throno procedébant fúlgura, & voces, & tonítrua: & ſeptem lámpades ardéntes ante thronum, qui ſunt ſeptem Spíritus Dei.

℟. *breve.* In manus.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 6. F. Gaúdium erit coram Angelis Dei, ſuper uno peccatóre pœniténtiam agénte. *Luc.* 15. 10.]

Die XXX. +

Celebratur ritu ſolemni majori, cum Octava II. Ordinis, Anniverſarium Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, tum in ipſa Cathedrali Eccleſia, tum in omnibus aliis Diœceſis Eccleſiis, ſive propriam habeant Dedicationem, ſive non habeant. Et inſuper quæ proprium & notum habent Dedicationis diem, ejus Anniverſarium eodem ritu celebrant, Dominicâ poſt illum diem proximâ, niſi impedita fuerit: alioquin, Dominicâ ſequente.

Officium integrum cum Octava habetur, p. lxxxiij.

DOMINICA

Intra Octavam Anniverſarii Dedicationis Eccleſiæ.

Omnia ut in Die, exceptis quæ ſequuntur, & ſervato ritu duplici.

Pridie ad Vesperas.

Ant. ut in I. Veſperis Feſti.

Capitulum. 2. *Par.* 7. 8.

Fecit Sálomon Solemnitátem in témpore illo, ſeptem diébus, & omni Iſraël cum eo, Eccléſi[a] magna valde.

Non dicitur Reſponſ[o]rium.

Hymnus & ℣. ut in Veſperis Feſti.

Ad Magníficat. *Ant.* [illegible] Benedíctus es, Dómine [in] templo ſancto glóriæ [tuæ] & ſuperlaudábilis, & [ſu]glorióſus in sécula. *D[an.]* 53.

+ S. Hyeronimi infra 9. octob. 429.

Oratio, Deus, qui nobis, *ut in Die.*

Deinde Commemoratio de Dom. occurrente, per Antiphonam ad Magníficat, ℣. *& Orationem.*

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

De Oratióne Salomónis Regis, in Solemnitáte Dedicatiónis Templi.

LECTIO IV. 2. *Par. c. 6. v. 24. ad* 30.

DOmine, Deus Iſraël, ſi ſuperátus fúerit pópulus tuus ab inimícis, (peccábunt enim tibi,) & convérſi égerint pœniténtiam, & obſecráverint nomen tuum, & fúerint deprecáti in loco iſto, tu exaúdies de cœlo, & propitiáre peccáto pópuli tui Iſraël, & reduc eos in terram quam dediſti eis & pátribus eórum. Si clauſo cœlo, plúvia non flúxerit propter peccáta pópuli, & deprecáti te fúerint in loco iſto, & conféſſi nómini tuo, & convérſi à peccátis ſuis, cùm eos afflíxeris, exaúdi de cœlo, Dómine, & dimítte peccáta ſervis tuis & pópuli tui Iſraël, & doce eos viam bonam per quam ingrediántur, & da plúviam terræ quam dediſti pópulo tuo ad poſſidéndum. Fames ſi orta fúerit in terra, & peſtiléntia, ærúgo, & aurúgo, & locúſta, & bruchus, & hoſtes, vaſtátis regiónibus, portas obſéderint civitátis, omníſque plaga & infírmitas préſſerit: ſi quis de pópulo tuo Iſraël fúerit deprecátus, cognóſcens plagam & infirmitátem ſuam, & expánderit manus ſuas in domo hac, tu exaúdies de cœlo, de ſublími ſcílicet habitáculo tuo.

LECTIO V. *v.* 32. *ad* 35.

EXtérnum quoque, qui non eſt de pópulo tuo Iſraël, ſi vénerit de terra longínqua, propter nomen tuum magnum, & propter manum tuam robúſtam, & bráchium tuum exténtum, & adoráverit in loco iſto, tu exaúdies de cœlo, firmíſſimo habitáculo tuo, & fácies cuncta pro quibus invocáverit te ille peregrínus: ut ſciant omnes pópuli terræ nomen tuum, & tímeant te, ſicut pópulus tuus Iſraël, & cognóſcant quia nomen tuum invocátum eſt ſuper domum hanc quam ædificávi. Si egréſſus fúerit pópulus tuus ad bellum contra adverſários ſuos per viam in qua míſeris eos, adorábunt te contra viam in quâ cívitas hæc eſt, quam elegiſti, & domus quam ædificávi nómini tuo, tu exaúdies de cœlo preces eórum & obſecratiónem.

LECTIO VI. *v.* 36. *ad* 39.

SI autem peccáverint tibi, (neque enim eſt homo qui non peccet,) & irátus fúeris eis, & tradíderis hoſ-

tibus, & captívos dúxerint eos in terram longínquam, vel certè quæ juxta eſt; & convérſi in corde ſuo in terra ad quam captívi ducti fúerant, égerint pœniténtiam, & deprecáti te fúerint in terra captivitátis ſuæ, dicéntes: Peccávimus, iníquè fécimus, injúſtè égimus; & revérſi fúerint ad te in toto corde ſuo, & in tota ánima ſua, in terra captivitátis ſuæ ad quam ducti ſunt, adorábunt te contra viam terræ ſuæ quam dediſti pátribus eórum, & urbis quam elegiſti, & domûs quam ædificávi nómini tuo, tu exáudies de cœlo, hoc eſt, de firmo habitáculo tuo, preces eórum, & fácias judícium, & dimíttas pópulo tuo, quamvis peccatóri.

IN III. NOCTURNO.

Sermo ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Lib. 2. de Civit. Dei. c. 28.

LECTIO VII.

MUrmurant iníqui & ingráti & nefário ſpíritu áltiùs obſtrictiúſque poſséſſi, quia pópuli confluunt ad Eccléſias caſtâ celebritáte, honéſtâ utriúſque ſexûs diſcretióne; ubi aúdiant quàm benè hîc ad tempus vívere mereántur; ubi ſanctâ Scriptúrâ juſtitiǽque doctrínâ de ſuperióre loco in conſpéctu ómnium perſonánte, & qui fáciunt, aúdiant ad prǽmium, & qui non fáciunt, aúdiant ad judícium. Quò etſi véniunt quidam tálium præceptórum irriſóres, omnis eórum petulántia, aut repentínâ immutatióne depónitur, aut timóre vel pudóre comprímitur. Nihil enim eis turpe aut flagitióſum ſpectándum imitandúmque propónitur, ubi veri Dei aut præcépta inſinuántur, aut mirácula narrántur, aut dona laudántur, aut benefícia poſtulántur.

LECTIO VIII.

Lib. 10. c. 3.

DEi templum ſimul omnes & ſínguli templa ſumus; quia & ómnium concórdiam, & ſíngulos inhabitáre dignátur, non in ómnibus quàm in ſíngulis major, quóniam nec mole diſténditur, nec partitióne minúitur. Cùm ad illum ſursùm eſt, ejus eſt altáre cor noſtrum. Ejus Unigénito eum Sacerdóte placámus. Ei cruéntas víctimas cǽdimus, quando uſque ad ſánguinem pro ejus veritáte certámus. Ei ſuaviſſimum adolémus incénſum, cùm in ejus conſpéctu pio ſanctóque amóre flagrámus. Ei dona ejus in nobis, nóſque ipſos vovémus & réddimus. Ei beneficiórum ejus, ſolemnitátibus, feſtis, & diébus ſtatútis dicámus ſacramúſque memóriam, ne volúmine témporum ingráta ſubrépat oblívio. Ei ſacrificámus hóſtiam humilitátis & laudis in ara cordis, igne férvidæ caritátis. Ad hunc

videndum, ſicut vidéri poteſt, eique cohæréndum, ab omni peccatórum & cupiditátum malárum labe mundámur, & ejus nómine conſecrámur.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio IX. *c. 21. v. 1. ad 6.*

Duo minuta viduæ pauperis præferuntur divitum donis.

RESpíciens Jeſus, vidit eos qui mittébant múnera ſua in Gazophylácium dívites. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 337.

BOna ópera Fidélium de temporáli terrenâque ſubſtántia cùm in theſaúris cœléſtibus recondúntur, fides hoc videt, quæ pietátis óculum habet in corde. Unde & iſta ædificia quæ congregándis religióſis cœ́tibus extruúntur cùm óculo carnis inſpéxerit, laudat intériùs quod cernit extériùs. Retribuet ergo Dóminus Fidélibus ſuis tam piè, tam hiláriter, tam devótè iſta operántibus, ut eos quoque ipſos in ſuæ fábricæ conſtructióne compónat, quò currunt lápides vivi, fide formáti, ſpe ſolidáti, caritáte compácti: ubi ſápiens ille architéctus Apóſtolus fundaméntum póſuit Chriſtum Jeſum, ſummum ipſum lápidem angulárem, ſicut & Petrus de prophética Scriptúra commémorat, ab homínibus quidem reprobátum, à Deo autem eléctum & honorificátum. Huic adhæréndo, pacámur: huic incumbéndo, firmámur. Simul enim eſt & fundamentális, quia ipſe nos regit; & anguláris, quia ipſe conjúngit.

AD LAUDES MATUTINAS.

CAPITULUM. *Act.* 20. 32.

POtens eſt Deus ædificáre, & dare hæreditátem in ſanctificátis ómnibus.

Hymnus & ℣. ut in Die.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D. * Omnes pópuli terræ cognóſcant, Dómine, quia nomen tuum invocátum eſt ſuper domum hanc. 2. *Par.* 6. 33.

Oratio, Deus, qui nobis, *ut in Die.*

Deinde Comm. de Dom. occurr. per Lect. Evang. cum Homil. Ant. Ad Benedíctus, *℣. & Orationem.*

AD PRIMAM, *non dicitur Symbolum* Quicúmque.

AD VESPERAS.

CAPITULUM. 1. *Petr.* 3. 9.

IN hoc vocáti eſtis, fratres, ut benedictiónem hæreditáte poſſideátis.

Hymnus & ℣. ut in Die.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Dixit Jeſus: Verè dico vobis, quia vídua hæc pauper plus quam omnes, miſit. *Luc.* 21. 3.

Oratio, Deus, qui nobis, *ut in Die. Deinde Comm. de Dominica* occurrente.

FESTA OCTOBRIS.

Die I.
De Octava, cum Commemoratione Sancti Remigii, Remenſis Epiſcopi.
Lectio.
Ex. S. Avito. S. Fortun. S. Greg. Tur. & Flodoard.

REmígius, Laudúni natus eſt paréntibus Æmílio & ſanctâ Cilíniâ jam ætáte provéctis. Annos natus duos & vigínti, ob ſeníles in adoleſcéntia mores, ad Epiſcopátum Reménſem præter voluntátem raptus eſt. Cùm autem Francórum Rex Clodovéus, Gallórum victor, Alamánnos Tolbíaci, invocáto Chriſti nómine, debellâſſet, & inſtánti Remígio ut fidem profiterétur, reſpondíſſet veréri ſe ne per pópulum ſibi licéret; ubi id reſcívit pópulus, ſtatim reclamávit: Mortáles deos abígimus, pie Rex: & Deum quem Remígius prædicat immortálem, ſequi paráti ſumus. Tunc Remígius Clodovéum, quem fídei documéntis imbúerat, baptizávit, ipſo die Natális Dómini, his eum verbis allocútus: Mitis, depóne colla, Sicámber: adóra quod incendíſti, incénde quod adoráſti. Baptizátũ ſacro inúnxit chríſmate, cum ſignáculo crucis Chriſti. De exércitu autem ejus ter mille & ámpliùs Baptíſmo initiáti ſunt, ſimul & Alboflédis ſoror Clodovéi. Lanthíldis quoque áltera ejus ſoror, ab Ariána hǽreſi revocáta, ſacro chríſmate reconciliáta eſt Eccléſiæ. Clodovéum Gothis bellum parántem, utiliſſimis regno adminiſtrándo consíliis per lítteras inſtrúxit: eidémque autor fuit, ut Concílium Aurelianénſe indíceret. Sub finem vitæ oculórum uſu orbátus eſt, quem tamen paulò ante mortem recuperávit. Sénio tandem conféctus óbiit, die décimâ tértiâ Januárii.

Ant. Dómine, ℣. Glória, *p.* xxvij.

Oratio.

DEus, qui per beáti Pontíficis Remígii documénta, Francórum tibi colla ſubdidíſti ferócia; largíre ſupplícibus tuis, ut per iter ſalútis, quo idem Paſtor incéſſit, dono tuæ pietátis ad te gradiámur; Per Dóminũ.

Die II.
In Festo SS. Angelorum Custodum.
Duplex minus.

In I. Vesperis.
Antiphona 1. *toni* f.

VIdi Dóminum ſedéntem ſuper sólium excélſum & elevátum; & ea quæ ſub ipſo erant, replébant templum. Iſ. 6. 1.

Ant. 2. *D.* Séraphim clamábant alter ad álterum, & dicébant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus exercítuum. *Iſ.* 6. 3.

Ant. 6. F. Thronus ejus flammæ ignis: rotæ ejus ignis accénſus. *Dan.* 7. 9.

Ant. 7. *c.* Elevàta eſt glória Dómini déſuper Cherub. *Ezech.* 10. 4.

Ant. 8. G. Sónitus alárum Chérubim audiebátur, uſque ad átrium extérius, quaſi vox Dei omnipoténtis loquéntis. *Ezech.* 10. 5.

Capitulum. *Ezech.* 10. 7.

EXténdit Cherub manum de médio Chérubim, ad ignem qui erat inter Chérubim: & ſumpſit, & dedit in manus ejus qui indútus erat líneis.

Hymnus.

CUstodes hóminum psállimus Angelos,
Natúræ frágili quos Pater áddidit
Cœléſtis cómites, inſidiántibus
Ne ſuccúmberet hóſtibus.

Nam quòd corrúerit próditor Angelus,
Concéſſis méritò pulſus honóribus,
Ardens invídiâ, péllere nítitur
Quos cœlo Deus ádvocat.

Huc, Cuſtos ígitur pérvigil, ádvola,
Pellens Chriſtíadis à tibi créditis,
Tùm morbos ánimi, tùm mala cándido
Fratrum nóxia fœ́deri.

Qui lucis Pater eſt, glória ſit Patri;
Qui lux ipſa Patris, glória Fílio;
Amborúmque tibi, nexus amábilis,
Compar glória, Spíritus.
Amen.

℣. Qui hábitat in adjutório Altíſſimi, ℟. In protectióne Dei cœli commorábitur. *Pſ.* 90. 1.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. J. Super muros tuos, Jerúſalem, conſtítui Cuſtódes; totâ die & totâ nocte, in perpétuum non tacébunt. *Iſ.* 62. 6.

Oratio, Deus, qui ineffábili, *infrà*, *ad Laudes*, *p.* 419.

Commemoratio de Octav. Anniv. Dedicationis.

Completorium *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Dóminum ſuper Jerúſalem conſtituéntem Cuſtódes, * Veníte, adorémus. *Iſ.* 62. 6.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

Hymnus.

MIlle quem ſtipant ſólio ſedéntem
Córporis puræ ſinè mole Mentes,
Chriſte, quos fuſò tibi conſecráſti
Sánguine, ſerva.

Quas tenent celſas ſuper aſtra ſedes
Spíritus, nobis quoque præparáſti:

Ut viam monſtreis, ſócios fidéles
Próvidus addis.

Qui Dei nunquam temerānda jura
Víndicat ſacris animóſus armis,
Prompta perdéndos Míchaël in hoſtes
Arma miníſtret.

Nuntius felix melióris ævi,
Fauſta qui mundo, Gábriel, tuliſti,
Creber è cœlo vénias, amíca
Núntia portans.

Corporis morbos, tenebráſque mentis.
Pelle, divínas médicus per artes,
Qui ſeni cœco, Ráphaël, dediſti
Cérnere ſolem.

Gratias Regi Súperûm canámus,
Fonte de cujus, bona cuncta manant;
Quem fides veri ſtudióſa, trinum
Credit & unum. Amen.

Ant. 1. D. Miſit Dóminus Angelum, qui percúſſit omnem virum robúſtum, & bellatórem & príncipem exércitûs Regis Aſſyriórum. 2. *Par.* 32. 21.

Ant. 2. D. Angelus Dómini deſcéndit cum Azaría & sóciis ejus in fornácem, & excúſſit flammam ignis de fornáce. *Dan.* 3. 49.

Ant. 7. c. Dixit Angelus Dómini ad Hábacuc: Fer *prándium* quod habes, in *Babylónem*, Daniéli qui eſt in lacu leónum. *Dan.* 14. 33.

℣. Immíttet Angelus Dñi in circúitu timéntium eum, ℟. Et erípiet eos. *Pſ.* 33. 8.

Lectio I. de Script. occurr. tribus in unam junctis.

℟. *j.* Apprehendérunt Angeli manum Lot, & manum uxóris, ac duárum filiárum ejus, eò quòd párceret Dóminus illi: * Eduxerúntque eum, & poſuérunt extra civitátem. *Gen.* 19. 16. 17. ℣. Juſtum Lot oppréſſum à nefandórum injúria ac luxurióſa converſatióne erípuit Deus. 2. *Petr.* 2. 7. * Eduxerúntque.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 12. *in Pſ.* Qui hábitat. n. 6. 8. 9.

Lectio II.

Cautè ámbula, ut vidélicet cui adſunt Angeli, ſicut eis mandátum eſt, in ómnibus viis tuis. In quóvis diversório, in quóvis ángulo, Angelo tuo reveréntiam habe. Tune aúdeas, illo præséntem, quod, vidénte me, non audéres? An præséntem eſſe dúbitas quem non vides? Adſunt ígitur, & adſunt tibi: non modò tecum, ſed étiam pro te. Adſunt ut prótegant, adſunt ut proſint. In mánibus portábunt te. In tuis quidem viis cuſtódient te, & dedúcent párvulum, quâ poteſt párvulus ambuláre. Cœterùm non te patiéntur tentári ſupra quàm ſuſtinére potes: ſed in mánibus tollent, ut

.nſeas offendiculum.
ı facilè tranſit, qui
ıortátur in mánibus!
ies ergo graviſſima
ur urgére tentátio,
ɔulátio véhemens im-
:e, ínvoca cuſtódem
, ductórem tuum,
ɔrem tuum, in oppor-
ıtibus, in tribulatió-
ıcláma eum, & dic:
ine,ſalva nos; perímus.
dormit, neque dormí-
:tſi ad tempus quandó-
.iſsímulet: ne fortè pe-
ɔſiùs ab illíus te máni-
:pſe præcípites, ſi te
noráveris ſuſtentátum.
uáles enim ſunt manus
& auxília útique ſpiri-
ı, quæ síngulis electó-
pro cujúſque diſcrími-
odo & objéctæ difficul-
, ab his qui ſibi deputáti
Angelis, ſpirituáliter &
ıplíciter exhibéntur.
:j. Ad Mánue reſpóndit
:lus: Si me cogis, non
:dam panes tuos; * Si
n vis holocaúſtum fá-
, offer illud Dómino.
c. 13. 16. ℣. Cécidi ut
árem ante pedes Angeli
nihi hæc oſtendébat: &
mihi: Vide ne féceris;
érvus enim tuus ſum.
:. 22. 8. 9. * Si autem.
:tio ſancti Evangélii
cúndùm Matthæum.
:10 III. c.18.v.1. ad 10.
eli ante faciem Patris.
Cceſsérunt Diſcípuli ad
Jeſum, dicéntes: Quis
s major eſt in regno cœ-
m? Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbýteri.
In Cap. 18. Matt.

Dico vobis quia Angeli eórum in cœlis ſemper vident fáciem Patris mei. Suprà díxerat, per manum, & pedem, & óculum, omnes propinquitátes & neceſſitúdines quæ ſcándalum fácere póterant, amputándas: auſteritátem ítaque ſenténtiæ, ſubjécto præcépto, témperat, dicens: Vidéte ne contemnátis unum ex puſíllis iſtis. Sic, inquit, præcípio ſeveritátem, ut commiſcéri cleméntiam dóceam. Quia Angeli eórum in cœlis vident ſemper fáciem Patris. Magna dígnitas animárum, ut unaquǽque hábeat ab ortu nativitátis, in cuſtódiã ſuî, Angelum delegátum! Unde légimus in Apocalýpſi Joánnis: Angelo Epheſi, & Angelis reliquárum Eccleſiárum, ſcribe hæc.

℟. iij. Miníſter Eliſæi egréſſus, vidit exércitum in circúitu civitátis, & equos, & currus; nuntiavítque ei, dicens: Heu, heu, heu, Dómine mi! quid faciémus? At ille reſpóndit: * Noli timére, plures enim nobíſcum ſunt quàm cum illis. 4. Reg. 6. 15. 16. ℣. Confidénter dicámus: Dóminus mihi adjútor. Hebr. 13. 6. * Noli. Glória. * Noli.

Te Deum.

AD LAUDES
MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Benedí-

cite Dómino, omnes Angeli ejus, ℟. Poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus. *Pſ.* 102. 20.

Ant. 5. a. Deus Iſraël, qui ſedes ſuper Chérubim, tu es Deus ſolus. *Iſ.* 37. 16.

Ant. 7. d. Tu feciſti cœlum cœlórum, & omnem exércitum eórum. 2. *Eſdr.* 9. 6.

Ant. 2. D. Tu vivíficas ómnia hæc, Dómine; & exércitus cœli te adórat. 2. *Eſdr.* 9. 6.

Ant. 8. G. Benedíctus es.

Canticum trium Puerorum. *Dan. c.* 3. *v.* 61. *ad* 65.

Omnes creaturæ, ac præcipuè cœleſtes, invitantur ad Deum laudandum.

BEnedícite, omnes Virtútes Dómini, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in sécula.

Benedícite, ſol & luna, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in sécula.

Benedícite, ſtellæ cœli, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in sécula.

Benedícite, omnis imber & ros, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in sécula.

Benedícite, omnes Spíritus Dei, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in sécula.

Glória Patri.

Ant. Benedíctus es, Dómine, qui intuéris abyſſos, & ſedes ſuper Chérubim. *Dan.* 3. 55.

Ant. 4. a. Dominátor cœlórum, mitte Angelum tuum bonum ante nos. 2. *Mach.* 15. 23.

Capitulum. *Apoc.* 8. 3.

ANgelus venit, & ſtetit ante altáre, habens thuríbulum áureum: & data ſunt illi incénſa multa, ut daret de oratiónibus ſanctórum ómnium, ſuper altáre áureum quod eſt ante thronum Dei.

Hymnus.

REgnator orbis, ſummus & Arbiter,
Cui prona ſervit cúria Cœlitûm,
Quæ voce ſolâ tu creáſti,
Perpétuâ regis ipſe curâ.
Nobis fidéles próvidus Angelos
Miſſos Olýmpo ſuppéditas duces:
Ut nos tot obséſſos perículis
Incólumes ſinè labe ſervent;
Ne nos malígnis fraúdibus óccupans,
Incaúta fallat péctora súbdolus
Suáſor malórum, néve captet
Illécebrâ malè blandiénti.
Laus ſumma Patri, súmmaque Filio;
Tibíque compar glória, Spíritus,
Qui per ſalútis tot Miníſtros,
Das pátrias remeáre ſedes. Amen.

℣. Laudáte Dóminum in Virtútibus ejus: ℟. Laudá-

ecúndùm multitú-
nagnitúdinis ejus.
2.
edíctus, *Ant.* 8. G.
tri ſumus, fœdus
iſcum. *Joſ.* 9. 11.
Oratio.
, qui ineffábili pro-
entiâ, ſanctos An-
os ad noſtram cuſ-
míttere dignáris;
upplicibus tuis, &
emper protectióne
& ætérnâ ſocietá-
e; Per Dóminum
Jeſum Chriſtum
ıum, qui tecum.
em. de Oct. De-
tè Lectione.
PRIMAM.
Deus.
LUM. *Apoc.* 11. 15.
lus tubâ cécinit; &
æ ſunt voces mag-
lo, dicéntes: Fac-
egnum hujus mun-
ini noſtri & Chriſti
regnábit in sécula
m.
eve. Chriſte.
TERTIAM.
Tu fecíſti.
LUM. *Coloſſ.* 1. 16.
riſto cóndita ſunt
rſa, in cœlis & in
viſibília & inviſibí-
e Throni, ſive Do-
nes, ſive Principá-
e Poteſtátes.
reve. In conſpéctu
um, * Pſallam ti-
ómine. ℟. In. ℣.
o ad templum ſanc-
um. * Pſallam. Gló-
In. *Pſ.* 137. 1. 2.

℣. Facis Angelos tuos Spíritus, ℟. Et miníſtros tuos ignem uréntem. *Pſ.* 103. 4.

AD SEXTAM.

Ant. Tu vivíficas.

CAPITULUM. *Hebr.* 1. 6.

CUm iterùm introdúcit Deus Primogénitum in orbem terræ, dicit: Et adórent eum omnes Angeli Dei.

℟. *breve.* Laudáte Dóminum, * Omnes Angeli ejus. ℟. Laudáte. ℣. Laudáte eum, omnes Virtútes ejus. * Omnes. Glória. ℟. Laudáte. *Pſ.* 148. 2.

℣. Adoráte eum, omnes Angeli ejus: ℟. Audívit, & lætáta eſt Sion. *Pſ.* 96. 7. 8.

AD NONAM.

Ant. Dominátor.

CAPITULUM. *Hebr.* 1. 14.

NOnne omnes ſunt adminiſtratórii Spíritus, in miniſtérium miſſi, propter eos qui hereditátem cápient ſalútis?

℟. *breve.* Angelis ſuis Deus * Mandávit de te. ℟. Angelis. ℣. Ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis. * Mandávit. Glória. ℟. Angelis. *Pſ.* 90. 11.

℣. Scápulis ſuis obumbrábit tibi; ℟. Et ſub pennis ejus ſperábis. *Pſ.* 90. 4.

AD VESPERAS.

Ant. 1. D. Locútus eſt Dóminus ad Móyſen, dicens: Mittam præcursórem tuî Angelum. *Exod.* 33. 2.

Ant. 2. D. Ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, & cuſtódiat in via. *Exod.* 23. 20.

Ant. 8. c. Obsérva eum, & audi vocem ejus, nec contemnéndum putes. *Exod.* 23. 21.

Ant. 6. F. Inimícus ero inimícis tuis, & affligam affligéntes te; præcedétque te Angelus meus. *Exod.* 23. 22. 23.

Ant. 1. g. Angelus meus vobíſcum eſt: ipſe autem exquíram ánimas veſtras. *Bar.* 6. 6.

Capitulum. *Exod.* 23. 21.

NOn dimíttet Angelus meus, cùm peccáveris: & eſt nomen meum in illo.

Hymnus, Cuſtódes hóminum, *ſuprà, in I. Veſperis, p* 415.

℣. Glóriam regni tui dicent, Dómine: ℟. Et poténtiam tuam loquéntur. *Pſ.* 144. 11.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Angelus Dómini per noctem apériens jánuas cárceris, & edúcens Apóſtolos, dixit: Ite, & ſtantes loquímini in templo plebi, ómnia verba vitæ hujus. *Act.* 5. 19. 20.

Commemoratio de Oct. Dedicat.

Deinde de S. Leodegario.

Ant. Bonus. ℣. Juſtus, *p.* x. *Oratio,* Omnipotens, *p.* xiv.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 4. f. Septem Angeli qui habébant ſeptem tubas, præparavérunt ſe, ut tubâ cánerent. *Apoc.* 8. 6.

Hymnus, Grates, peracto jam die, *p.* 158.

Capitulum. *Apoc.* 4. 5.

DE throno procedébant fúlgura, & voces, & tonítrua: & ſeptem lámpades ardéntes ante thronum, qui ſunt ſeptem Spíritus Dei.

℟. *breve.* In manus.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 6. F. Gáudium erit coram Angelis Dei, ſuper uno peccatóre pœniténtiam agénte. *Luc.* 15. 10.

DIE III.

DE OCTAVA,

CUM COMMEMORATIONE S. LEODEGARII, Auguſtodunenſis Epiſcopi, & Martyris.

LECTIO.

Ex Anon. & Urſin. apud Mabill.

LEodegárius Pictaviénſis Archidiáconus, ac deínde Monaſtérii ſancti Maxéntii Abbas, poſtrémò Auguſtodunénſium Epíſcopus creátus eſt, & huic Eccléſiæ decem annis præfuit. Cùm autem Childéricum ſecúndum, qui in regni adminiſtratióne illíus óperâ utebátur, argúeret quòd antíquas regni leges reſcidíſſet, filiámque avúnculi duxíſſet uxórem, in Luxoviénſe Monaſtérium, quò relegátus ántea fúerat Ebroínus Major Palátii, amandátus eſt. Utérque, rege mórtuo, in priſtinum

gradum eſt reſtitútus: ſed Ebroínus ſe Leodegário autóre in Monaſtérium detrúſum fuiſſe ratus, Didónem quondam Cabillonénſium Epíſcopum, & Bobónem è Valentínâ ſede ejéctum, ac Vaimérum Ducem Campániæ, cum exércitu Auguſtodúnum miſit, qui eum comprehénderent. Re cógnitâ, ſanctus Antíſtes, erogátis in paúperes facultátibus, triduáno jejúnio indícto, & factis circum urbis mœ́nia, cum Cruce & Relíquiis Sanctórum, ſupplicatiónibus, Chriſti córpore præmunítus, ne quid detriménti cívitas ſuâ causâ paterétur, ſpontè ſe trádidit inimícis: qui illum ſtátim óculis érutis, in Monaſtérium conjecérunt. Inde váriis cruciátum torméntis, poſtquàm Guarínum ejus fratrem alligáſſent palo, & lapídibus obruíſſent, ipſum præcíſis lábiis & linguâ, in cœnóbium Fiſcamnénſe cui Hildomárca Abbatíſſa ſanctíſſimè prǽerat, ſub cuſtódia aſſervándum detrusérunt. Deínde in palátium ductus quò nonnúlli Epíſcopi convénerant, cùm linguæ offício nihilóminùs uterétur; diſcíſsâ túnicâ, Epiſcopáli dignitáte ſpoliátus, conjéctus eſt in cárcerem: ex quo in ſylvam territórii Atrebaténſis, ejus póſteà nómine inſignítam à quátuor ſicáriis abdúctus, cápite truncátus eſt. Corpus ejus ibi, apud Sarcingum ſepúltum, inde poſt biénnium ad Pictónes, váriis in itínere patrátis miráculis, delátum eſt, & honoríficè in Baſílica ſancti Maxéntii cónditum.

Ant. Hoc pro certo. ℣. Dóminus, *p.* xiij. *Oratio*, Omnípotens, *p.* xiv.

Ad Vesperas de Oct. *Comm. de S. Franciſco.*

Ant. Sedébit. ℣. Pinguéſcent, *p.* xlv. *Orat.* Deus, qui, *infrà, p.* 422.

Die IV.

De Octava, cum Commemoratione Sancti Francisci Assisinatis, Cœnobitæ, & Ordinis Fratrum Minorum Inſtitutoris.

Lectio.

Ex ejus vita, aut. S. Bonavent. & aliis.

Franciſcus, Aſsíſii in Umbria natus, à prima ætáte, patris exémplum ſecútus, mercatúram fecit. Quodam die, cùm præter conſuetúdinem paúperem repulíſſet, repéntè eo facto commótus, largè ei miſericórdiam impertívit: qua ex die Deo promíſit ſe némini unquam poſcénti eleemóſynam negatúrum. Cùm autem illud ex Evangélio audíſſet: Nolíte poſſidére aurum neque argéntum in zonis veſtris, non peram in via, neque duas túnicas, neque calceaménta, ſibi eam régulam ſervándam

propóſuit. Itáque detráctis cálceis, & unâ conténtus túnicâ, cùm duódecim sócios adhibuíſſet; Ordinem Minórum inſtítuit, conſcríptâ régulâ, quam anno milléſimo ducenteſimo nono, Innocéntius tértius ad quem Francíſcus ſupplex cum sóciis Romam accéſſerat, confirmávit. Inde revérſus, habitávit cum iis in tugúrio juxta Aſsíſium: ubi in labóre multo, magnáque inópia, piis meditatiónibus vacábat. Cùm fratres in várias orbis partes dimítteret, ipſe iter Paríſios dirígere inſtítuit. Cùm verò id illi, propter ſubórta quædam negótia, non licéret, quoſdam ex sóciis Lutétiam miſit. Gráviter ægrótans deférri vóluit in Eccléſiam ſanctæ Mariæ Angelórum: ut ubi grátiæ ſpíritum accéperat, ibi ſpíritum vitæ rédderet. Quo in loco, fratres ad paupertátem, ac patiéntiam, & ſanctæ Románæ Eccléſiæ fidem ſervándam cohortátus, Pſalmum illum pronúntians: Voce meâ ad Dóminum clamávi, in eo versículo, Me expéctant Juſti, donec retríbuas mihi, efflávit ánimam, anno Chriſti milléſimo ducentéſimo vigéſimo ſexto.

Ant. Inveníſti, ℣. Aſcenſiónes, *p.* xlviij.

Oratio.

DEus, qui te párvulis & humílibus reveláre non dedignáris; tribue nobis, quæſumus, imitatióne beáti Francíſci, & ſtultam hujus mundi dediſcere ſapiéntiam, & ſolum edíſcere Jeſum Chriſtum crucifixum; Qui tecum.

DIE V.

DE OCTAVA.

AD VESPERAS, *Comm. de S. Brunone.*

Ant. Sedébit. ℣. Pinguéſcent, *p.* xlv. *Oratio*, Exáudi, *infrà*, *p.* 423.

DIE VI.

DE OCTAVA,

CUM COMMEMORATIONE SANCTI BRUNONIS, Monachi, Ordinis Carthuſianorum Inſtitutoris.

LECTIO.

Ex ejus vita à variis Autor. ſcripta.

BRuno, Colóniæ Agrippínæ natus, Eccléſiæ ſancti Cunibérti Coloniénſis primùm, deínde Reménſis Eccléſiæ Canónicus, ibídem magnórum ſtudiórum Rector eléctus eſt. Solitúdinis amóre flagrans, cum ſex áliis familiáribus, ſanctum Hugónem Epíſcopum Gratianopolitánum ádiit; qui, causâ eórum advéntûs cógnitâ, eóſque eſſe intélligens, quos eâdem nocte velut ſeptem ſtellas ad ſuos pedes corruéntes in ſomnis víderat, montes ſuæ diœcéſeos aſpérrimos, qui Carthuſiáni dicebántur, incoléndos concéſſit. Illic ædificáto Oratório, ac céllulis ſeparátim extrúctis, bini in ſíngulis habitántes, ſi-

léntio, oratióni, lectióni vacábant. Poſt ſex annos in ſecéſſu exáctos, Bruno ab Urbáno ſecúndo Romam accersitus, poſtquàm eum in Sýnodis celebrándis, gerendíſque negótiis Eccleſiáſticis, consílio ſuo per triénnium adjuviſſet, ab eo demùm facultátem obtínuit erémi repeténdæ, recusáto Archiepiſcopátu Rhegiénſis Eccléſiæ, quæ prima eſt Calábriæ Metrópolis. Cùm autem Urbánus in Gálliam profectúrus eſſet, métuens Bruno, ne, ſi ad optátam Carthúſiam reverterétur, aut Románam cúriam effúgere non poſſet, aut eam ſequi viderétur, ſecéſſit in erémum propè Scyláceum in Calábria, ubi Monaſtérium ædificávit. Morti próximus, fidei ſuæ profeſſiónem coram frátribus édidit, eámque contra errórem Berengárii conclúſit his verbis: Credo nominátim panem & vinum quæ conſecrántur in altári, poſt Conſecratiónem, verum Corpus eſſe Dómini noſtri Jeſu Chriſti, veram Carnem & verum Sánguinem, quæ & nos recípimus in remiſſiónem peccatórum noſtrórum. Quiévit in Dómino, anno milléſimo centéſimo primo.

Ant. Inveníſti, ℣. Aſcenſiónes, *p.* xlviij.

Oratio.

EXaúdi, Dómine, intercedénte beáto Brunóne, gémitum pópuli tui; nec plus apud te váleat offénſio delinquéntium, quàm miſericórdia tua indúlta flétibus ſupplicántium; Per Dóminum noſtrum.

DIE VII.

IN OCTAVA

Anniverſarii Dedicationis.

Duplex majus.

Omnia ut infrà, ad calcem Breviarii, p. c.

AD VESPERAS, *Commem. de S. Hieronymo.*

Ant. Qui docti, ℣. Beátus, *p.* xxxj. *Oratio*, Deus, qui Eccleſiæ, *infrà*, *p.* 424.

DIE VIII.

SANCTI HIERONYMI, Presbyteri, & Eccleſiæ Doctoris.

Duplex minus.

Omnia de Communi unius S. Doctoris, p. xxx. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO II.

Ex ejus operibus, & Hiſt. Eccleſ.

HIerónymus, Eusébii filius, Stridóne natus, puer à Donáto célebri grammático liberálibus diſciplínis Romæ eſt inſtitútus. Suſcépto Baptiſmo, ad ſacras Litteras ánimum adjíciens, Gállias ſtudiórum causâ peragrávit. Deínde in Chálcidis Sýriæ ſolitúdinem ſe recépit: ibíque Judæo præceptóre uſus, linguam Hebráicam dídicit. Exácto in eo Secéſſu quadriénnio, vexátus ab ínvidis, & hæréſeos accusátus, Antiochíam pétiit: ubi à Paulíno, eâ conditióne, ſe Presbýte-

rum ordinári paſſus eſt, ut quam ampléxus fúerat ſolitáriam vitam non deséreret. Deínde Conſtantinópolim ſe cóntulit: ibíque Gregórium Nazianzénum ſacras Lítteras explanántem fréquens audívit. Romam proféctum Dámaſus Papa retínuit, ut eo uterétur in conſcribéndis epíſtolis. Poſt óbitum Dámaſi, Béthlehem ſe recépit: ubi in extrúcto à Paula Monaſtério, majórem vitæ partem exégit. Sacros Códices commentáriis illuſtrávit: & quò cértiùs genuínum eórum ſenſum aſſequerétur, síngula Paleſtínæ loca séduló invíſit, adhíbitis Judæórum erudítiſſimis. Novo Teſtaménto Græcæ fídei rédditio, Vetus juxta Hebráicam tránſtulit. Inſuper Pſaltérium, quo deínceps Ecclésia Latína uſa eſt, corréxit. In extréma ſenectúte, febre corréptus, ad Dóminum migrávit, anno Chriſti quadringentéſimo vigéſimo.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

Lectio III. *c.* 5. *v.* 13. *ad* 19.

Doctores ſal terræ.

Dixit Jeſus Diſcípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbýteri.

Comm. in Cap. 2. *Aggæi.*

Conſídera Sacerdótum eſſe officii, de lege interrogánti reſpondére. Si Sacérdos eſt, ſciat legem Dómini: ſi ignórat legem, ipſe ſe árguit non eſſe Dómini Sacerdótem. Sacerdótis enim eſt ſcire legem, & ad interrogatiónem reſpondére de lege. Quod quidem & in Deuteronómio légimus: ut ſicubi in úrbibus Iſraël quǽſtio fúerit exórta inter ſánguinem & ſánguinem, inter judícium & judícium, lepram & lepram, contradictiónem & contradictiónem, eant ad Sacerdótes atque Levítas, & ad Pontíficem qui in diébus illis fúerit conſtitútus: & quærant ab eo legem Dómini. Quibus reſpondéntibus, fáciant quod jubéntur: quòd ſi non fécerint, exterminéntur de pópulo ſuo. Et ne forſitàn in Véteri ſolùm Teſtaménto hæc præcépta videántur, lóquitur & Apóſtolus ad Timótheum, Epíſcopum non ſolùm irreprehensíbilem eſſe debére, ſed étiam Doctórem. Hæc póſui, ut tam ex Véteri, quàm ex Novo Teſtaménto, Sacerdótum eſſe officium novérimus, ſcire legem Dei, & reſpondére ad quæ fúerint interrogáti: nec ſimplicitátem & cibórum continéntiam in magíſtro ſufficere, niſi quod ipſe facit, poſſit & álios erudíre.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiæ tuæ, in exponéndis ſacris Scriptúris beátum Hierónymum Doctórem máximum

providére dignátus es; præſta, quǽſumus, ut ejus ſuffragántibus méritis, fiant caſtæ delíciæ noſtræ Scriptúræ tuæ, & in ábdita ſermónum tuórum meditántes, nec fallámur in eis, nec fallámus ex eis; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum.

Ad Vesperas, *Commemoratio de SS. Dionyſio & Sociis.*

Ant. Agnóſcent. ℣. Viríliter, *p.* xvij. *Oratio*, Mártyris tui, *p.* xx.

DIE IX.

IN FESTO SANCTI DIONYSII, Primi Pariſienſis Epiſcopi, & Sociorum ejus, Martyrum.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, p. xvj. *additis quæ ſequuntur.*

Ex Martyrológio ſancti Adónis Epiſcopi.

VII. Idus Octobris.

LECTIO III.

Dionyſius Epíſcopus, à Pontífice Romano ad Gállias diréctus, ut prædicatiónis óperam pópulis à Chriſti fide aliénis exhibéret, tandem Pariſiórum civitátem devénit: & per áliquot annos ſanctum opus fidéliter & ardénter execútus, à Præfécto Feſcennino Siſinnio comprehénſus, & cum eo ſanctus Présbyter Eleuthérius, & Rúſticus Diáconus, gládio animadvérſi, Martyrium complevérunt. (a)

Oratio, Mártyris tui, *p.* xx.

+ S. Remigii · 1 · octob. · 414 ·



a) quæsumus, omnipotens Deus, ut nos virtute sancti spiritus, et ad credendum dociles et ad confitendum fortes efficias, qui Beato Dionysio pontifici et sociis ejus, propter verbum tuum testimonium Jesu, animas ponere tribuisti

DIE X.

IN FESTO

SANCTI CLARI,

PRIMI NANNETENSIS EPISCOPI, ET NANNETENSIUM APOSTOLI.

SOLEMNE MAJUS.

IN I. VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni.* J.

ECce ego, ecce ego, dicit Dóminus, ad gentem quæ non invocábat nomen meum. *Iſ.* 65. 1.

Ant. 2. D. Projíciet homo idóla argénti ſui & ſimulácra auri ſui, quæ fécerat ſibi ut adoráret. *Iſ.* 2. 20.

Ant. 3. E. Erúdiet illum Dóminus in judicio; Deus ſuus docébit illum. *Iſ.* 28. 26.

Ant. 4. D. Ecce ſuper montes pedes evangelizántis & annuntiántis pacem. *Nah.* 1. 15.

Ant. 5. C. Tu vocáberis quæſita cívitas, & non derelícta. *Iſ.* 62. 12.

CAPITULUM. *Jer.* 23. 3. 4.

CReſcent & multiplicabúntur greges mei, dicit Dóminus; & ſuſcitábo ſuper eos Paſtóres, & paſcent eos: non formidábunt ultrà & non pavébunt.

℟. Hæc dicit Dóminus *Deus: Ecce* ego ipſe requíram oves meas, & viſitábo eas: * Sicut viſitat paſtor gregem ſuum, in die quando fúerit in médio óvium ſuárum diſſipatárum; ſic viſitábo oves meas, & liberábo eas. *Ezech.* 34. 11. 12.

℣. Oves meæ non períbunt in ætérnum; & non rápiet eas quiſquam de manu mea. *Joan.* 10. 28. * Sicut. Glória. *Reſumitur* ℟. Hæc dicit.

HYMNUS.

SOL ætérne, Deus, qui miſerans, diem
Profers nocte gravi géntibus óbrutis,
Ignótum fidei quos Liger álluit,
Lumen pórrige finibu[s].
HEU! cultóris egens qua[n]tus ager patet!
Spinis arva rigent; aſpéri loci
Forsàn contínuis victa la[bo]ribus,
Fructum multípli[cem] dabit.
HUC de ſede Petri ſ[ano]dus advolat

Quò ſperáta ſeges, Clarus
Apóſtolus:
Et fecúnda Dei certat inértibus
Sulcis crédere sémina.
Inter ſaxa cadens pars mélior jacet,
Aut diſcérpta vagis alítibus perit.
Radícem sólidam tántula pars agat,
Pœnas ipſe luet ſator.
At non urget opus ſégnior árduum.
Clamant facta, loqui ſi próhibet furor.
Tandem prodígiis & patiéntiâ,
Lucrátur Dómino gregē.
Sit laus ſumma Patri; súmmaque Fílio;
Sit par, alme tibi glória, Spíritus,
Cujus præsídio cógnita véritas
Seſe méntibus ínſerit.
Amen.

℣. Dóminus dabit verbum evangelizántibus, ℟. Virtúte multâ. *Pſ.* 67. 12.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Quàm pulchri ſuper montes pedes annuntiántis & prædicántis pacem, annuntiántis bonum, prædicántis ſalútem, dicéntis Sion: Regnábit Deus tuus! *Iſ.* 52. 7.

Oratio.

DEus, qui ad prædicándum Géntibus evangélium, beátum Clarum elígere dignátus es; da Ecclésiæ tuæ dignam pro tanta Solemnitáte lætítiam, ut quæ ipsíus prædicatióne flóruit, ejus & exémplis muniátur; Per Dóminum.

Completorium *habetur poſt II. Veſperas, cum Pſalmis de Feria.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Deum qui de ténebris nos vocávit in admirábile lumen ſuum, * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 2. 9.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu ſolemni.*

Hymnus.

UT promat mémori péctore Cívitas,
Feſtos per módulos débita cántica,
Laudes cœlitùs affla,
Præſul, quas tibi fúndimus.
Verbi præco ſacri, rura per áſpera,
Sincéræ fidei sémina cónſeris;
Quo fœcúnda labóre,
Tellus nos ſégetes tulit.
Quas priſci récreas múnere lúminis,
Rectâ, Paſtor, oves dírige sémitâ,
Carum quem docuíſti
Puris elóquiis gregem.
Nostrum, noſter adhuc, súſcipe, Póntifex,
Curam, férque preces, vótaque Númini:
Chriſto quam peperíſti,
Sis gentis decus ínclytū.
Jactamur míſeri per mare naúfragum,
Fac, dextrâ fácili nos Deus érigens,

Det tecum teneámus
Tutæ líttora pátriæ.
Sit laus ſumma Patri; ſúmmaque Fílio;
Sit par, Sancte, tibi glória, Spíritus,
Cujus múnere Clarus
In nobis péperit fidem.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

In Pſal. 1. Beátus vir qui non ábiit, *p.* 3.

Ant. 7. d. Natus eſt homo, princeps fratrum, firmaméntum gentis, rector fratrum, ſtabiliméntum pópuli. *Eccli.* 49. 17.

In Pſal. 25. Júdica me, Dómine, quóniam, *p.* 120.

Ant. 5. a. In fide & lenitáte ipsíus ſanctum fecit illum Dóminus, & elégit eum ex omni carne. *Eccli.* 45. 4.

In Pſal. 42. Júdica me, Deus, *p.* 101.

Ant. 3. a. Dedit illi coràm præcépta, & legem vitæ & diſciplínæ. *Eccli.* 45. 6.

℣. Fólium ejus non défluet; ℟. Et ómnia quæcúmque fáciet, proſperabúntur. *Pſ.* 1. 3.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio I. *c.* 34. *v.* 11. *ad* 16.

HÆc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipſe requíram oves meas, & viſitábo eas. Sicut víſitat paſtor gregem ſuum, in die quando fúerit in médio óviũ ſuárum diſſipatárum, ſic viſitábo oves meas: & liberábo eas de ómnibus locis in quibus diſpérſæ fúerant in die nubis & calíginis. Et edúcam eas de pópulis, & congregábo eas de terris, & indúcam eas in terram ſuam: & paſcam eas in móntibus Iſraël, in rivis, & in cunctis sédibus terræ. In páſcuis ubérrimis paſcam eas; & in móntibus excélſis Iſraël erunt páſcua eárum. Ibi requiéſcent in herbis viréntibus, & in páſcuis pínguibus paſcéntur ſuper montes Iſraël. Ego paſcam oves meas, & ego eas accubáre fáciam, dicit Dóminus Deus. Quod períerat, requíram; & quod abjéctum erat, redúcam; & quod confráctum fúerat, alligábo; & quod infírmum fúerat, conſolidábo; & quod pingue & forte, cuſtódiam: & paſcam illas in judício.

℟. *j.* Reſpéxit ad eum Dóminus, & ait: * Vade in hac fortitúdine tua, & liberábis Iſraël. *Judic.* 6. 14. ℣. Ego mitto te aperíre óculos eórum, ut convertántur à ténebris ad lucem. *Act.* 26. 17. 18. * Vade. Glória. * Vade.

Lectio II. *v.* 23. *ad* 27.

ET ſuſcitábo ſuper eas Paſtórem unum, qui paſcat eas, ſervum meum David: ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in Paſtórem. Ego autem Dóminus ero eis in Deum: & ſervus meus David princeps in médio eórum: ego Dóminus locútus

ſum. Et fáciam cum eis pactum pacis, & ceſsáre fáciam béſtias péſſimas de terra: & qui hábitant in desérto, ſecúri dórmient in sáltibus: & ponam eos in circúitu collis mei benedictiónem: & dedúcam imbrem in témpore ſuo. Plúviæ benedictiónis erunt: & dabit lignum agri fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum, & erunt in terra ſua abſque timóre: & ſcient quia ego Dóminus, cùm contrívero caténas jugi eórum, & erúero eos de manu imperántium ſibi.

℟. *ij.* Surge & lóquere ad eos ómnia quæ ego præcípio tibi. * Ne formídes à fácie eórum, nec enim timére te fáciam vultum eórum. *Jer.* 1. 17. ℣. Ego ſum tecum: & nemo apponétur tibi ut nóceat te. *Act.* 18. 10. * Ne. Glória. * Ne.

Lectio III. *v.* 28. *ad finem.*

Et non erunt ultrà in rapínam in Géntibus, neque béſtiæ terræ devorábunt eos: ſed habitábunt confidénter abſque ullo terróre. Et ſuſcitábo eis germen nominátum: & non erunt ultrà imminúti fame in terra, neque portábunt ultrà oppróbrium Géntium. Et ſcient quia ego Dóminus Deus eórum cum eis; & ipſi pópulus meus, domus Iſraël, ait Dóminus Deus. Vos autem greges mei, greges páſcuæ meæ, hómines eſtis: & ego Dóminus Deus veſter, dicit Dóminus Deus.

℟. *iij.* Scient quia ego ſum Dóminus Deus eórum: & * Dabo eis cor & intélligent, aures & aúdient, & laudábunt me. *Baruch.* 2. 31. 32. ℣. Quóniam pópulus eſt mihi multus in hac Civitáte. *Act.* 18. 10. * Dabo. Glória. *Reſumitur* ℟. Scient.

IN II. NOCTURNO.

In Pſal. 46. Omnes gentes, *p.* 133.

Ant. 6. F. Obedívit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hæreditátem. *Hebr.* 11. 8.

In Pſal. 63. Exaúdi, Deus, oratiónem meam, cùm déprecor, *p.* 112.

Ant. 8. G. Incitabátur ſpíritus ejus in ipſo, videns idololatríæ déditam Civitátem. *Act.* 17. 16.

In Pſal. 86. Fundaménta ejus, *p.* 135.

Ant. 4. E. Surréxit quaſi ignis: & verbum ipsíus quaſi fácula ardébat. *Eccli.* 48. 1.

℣. Benedíctus qui venit in nómine Dómini, ℟. Deus Dóminus, & illúxit nobis. *Pſ.* 117. 26. 27.

Lectio IV.

Ex antiq. Eccleſ. Nannet. monum. Lobin. & aliis.

Clarus, à viris Apoſtólicis ordinátus Epiſcopus, ex illis fuit quos à Sede Petri in Gálliam miſſos ad prædicándum Evangélium, váriis in Provínciis illud primitùs annuntiáſſe certíſſimè conſtat. Nec bárbaræ gentis féritas, nec longo uſu confir-

máta ſuperſtítio, nec pſeudomyſtárum in tuéndis erróribus immánis pervicácia, virum divínæ glóriæ ſimul & animárum ſalútis veheménti ſtúdio ſuccénſum à ſancto propóſito deterrére potuérunt. Nannéticam Aremoricórum civitátem, quam in Gálliis célebrem audíerat, ſibi adeúndam eſſe conſtítuit, eo, ut créditur, témpore, quo Gatiánus Turonénſem, & labórum consórtes vicínas conſtituébant Eccléſias: ut evérsâ, auxiliánte Deo, Sátanæ tiránnide, Chriſti regnum fídei prædicatióne ſtabilíret, ex eóque loco Evangélii pretioſíſſima sémina in álias circùm regiónes ſpárgeret.

℟. *iv.* Repúlſi ſunt inimíci ejus, præ timóre ejus; & * Omnes operárii iniquitátis conturbáti ſunt, & diréɑ eſt ſalus in manu ejus. 1. *Mac.* 3. 6. ℣. Non póterant resiſtere ſapiéntiæ & Spirítui qui loquebátur. *Act.* 6. 10. * Omnes. Glória. * Omnes.

LECTIO V.

FElícibus inítiis incitátus Nanneténſium Apóſtolus, loquebátur verbum Dei cum fidúcia, Dómino teſtimónium perhibénte verbo grátiæ ſuæ, & dante ſigna & prodígia fíeri per manus ejus. Ethnicórum cùm jam convérſus eſſet ingens númerus, regiónem *peragrávit* invíctus Antíſtes, *diſcipulóſque* circumquáque diſtríbuit, qui fídei Evangélii collaborántes, in áliis étiam vicis & civitátibus prædicárent. Sic diſpérſi per regiónes evangelizábant, augebatúrque credéntium in Dómino multitúdo. Et hos venerámur gentis noſtræ primítias, quos ſanctórum Mártyrum fratrum Donatiáni & Rogatiáni ſánguine ſeminátos elégit Deus in ſalútem, in ſanctificatióne Spíritûs, & in fide veritátis.

℟. *v.* Cùm ſumpsíſſet cor ejus audáciam propter vias Dómini, * Etiam excélſa & lucos ábſtulit. 2. *Par.* 17. 6. ℣. Docens apud eos verbum Dei. *Act.* 18. 11. * Etiam. Glória. * Etiam.

LECTIO VI.

QUo zelo fúerit accénſus Clarus, quanto cum conátu ipſi allaboráverint curárum paſtorálium sócii, quot ærúmnas & perícula ſubíerint, quǽve ſigna & mirácula patráverint, ut à ſimulácris ad veri Dei cultum patres noſtros addúcerent, minùs teſtántur hiſtóriæ ſcriptæ, quàm úberes ſincéræ pietátis fructus, qui séculis ſibi ſuccedéntibus ſupérſtites, annúntiant quantæ virtútis fúerit, qui pópulum à fide aliénum & cœcis ſerviéntem deſidériis, tránſtulit in lucis ſupérnæ claritátem. Tot ígitur labóribus exantlátis, tot patrátis miráculis, ad firmándam Relígiónem, verè Nanneténſium Apóſtolus, & fídei

noſtræ pater, Clarus in luſtrándo pago Veneténſi cum pace quiévit, ibique ſepúltus eſt. Anno octingentéſimo ſeptuagéſimo octávo, ſacræ ejus Reliquiæ Andegávum tranſlátæ ſunt, & in Eccléſia ſancti Albíni depóſitæ, ubi etiámnùm aſſervántur, ſolâ ferè excéptâ calváriâ, quâ gaudet Eccléſia noſtra Nanneténſis.

℟. vj. Accénſus eſt ſpíritus pópuli, ſimul ut audívit ſermónes iſtos: * Et reſpondérunt voce magnâ dicéntes: Tu es dux noſter. 1. *Mac.* 13. 7. 8. ℣. Intendébant turbæ his quæ dicebántur, vidéntes ſigna quæ faciébat. *Act.* 8. 6. * Et reſpondérunt. Glória. *Reſumitur* ℟. Accénſus eſt.

IN III. NOCTURNO.

In Pſal. 95. Cantáte Dómino cánticum novum, * cantáte, *p.* 43.

Ant. 2. D. Suſcipiébat omnes qui ingrediebántur ad eum, prǽdicans regnum Dei, & docens quæ ſunt de Dómino Jeſu Chriſto. *Act.* 28. 30. 31.

In Pſal. 96. Dóminus regnávit, exúltet terra, *p.* 45.

Ant. 7. *d.* Dóminus augébat qui ſalvi fierint quotídie in idípſum. *Act.* 2. 47.

In Pſal. 97. Cantáte Dómino cánticum novum, * quia, *p.* 98.

Ant. 1. D. Credidérunt quotquot erant præordináti ad vitam ætérnam: diſſeminabátur autem verbum Dómini per univérſam regiónem. *Act.* 13. 48. 49.

℣. Annuntiávi & locútus ſum: ℟. Multiplicáti ſunt ſuper númerum. *Pſ.* 39. 6.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Ephéſios.

Lectio VII. *c.* 2. *v.* 4. *ad* 10.

DEus qui dives eſt in miſericórdia, propter nímiam caritátem ſuam quâ diléxit nos, & cùm eſsémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Chriſto, cujus grátiâ eſtis ſalváti, & conreſuſcitávit, & conſedére fecit in cœléſtibus in Chriſto Jeſu: ut oſténderet in sǽculis ſuperveniéntibus abundántes divítias grátiæ ſuæ in bonitáte ſuper nos in Chriſto Jeſu. Grátiâ enim eſtis ſalváti per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt: non ex opéribus, ut ne quis gloriétur. Ipsíus enim ſumus factúra, creáti in Chriſto Jeſu in opéribus bonis, quæ præparávit Deus ut in illis ambulémus.

℟. vij. Fecit ſigna coram pópulo, & crédidit pópulus, * Audierúntque quòd viſitáſſet Dóminus fílios Iſraël. *Exod.* 4. 30. 31. ℣. Cùm credidiſſent evangelizánti de regno Dei, in nómine Jeſu Chriſti baptizabántur. *Act.* 8. 12. * Audierúntque. Glória. * Audierúntque.

Lectio VIII. *v.* 11. *ad* 18.

PRopter quòd mémores eſtóte, quòd aliquándo vos, Gentes in carne quidi-

címini Præpútium, ab ea quæ dícitur Circumcíſio in carne manu facta, quia erátis illo in témpore ſinè Chriſto, alienáti à converſatióne Iſraël, & hóſpites teſtamentórum, promiſſiónis ſpem non habéntes, & ſinè Deo in hoc mundo: nunc autem in Chriſto Jeſu, vos qui aliquándo erátis longè, facti eſtis propè in ſánguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit útraque unum, & médium paríetem macériæ ſolvens, inimicítias in carne ſua: legē mandatórum decrétis evácuans, ut duos condat in ſemetípſo in unum novum hóminem, fáciens pacem: & reconcíliet ambos in uno córpore Deo per crucem, interfíciens inimicítias in ſemetípſo. Et véniens evangelizávit pacē vobis qui longè fuíſtis, & pacem iis qui propè: quóniam per ipſum habémus accéſſum ambo, in uno Spíritu ad Patrem.

℟. *viij.* Deſeréntes cerемónias patrum ſuórum quæ in multitúdine deórū erant, * Unum Deum cœli coluérunt. *Judith.* 5. 8. 9. ℣. Confiténtes & annuntiántes actus ſuos. *Act.* 19. 18. * Unum. Glória. * Unum.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio IX. *c.* 16. *v.* 15. *ad fin.*

Apoſtolorum Miſſio.

Dixit Jeſus Diſcípulis ſuis: Eúntes in mundum univérſum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chrysóſtomi.

Hom. 7. *in Cap.* 2. *Epiſt.* 1. *ad Cor.*

Non veníſſet in mentem Apóſtolis prædicáre quæ prædicárunt, nisi divínam grátiam eſſent adépti: & non ſolùm nihil tale geſſíſſent, ſed ne de eo quidem cepíſſent consílium. Age verò, hódie quoque hoc ipſum perſequámur oratióne, & oſtendámus fieri non potuíſſe ut id inſtitúerent & cogitárent, nisi Chriſtum ſecum habuíſſent: non quóniam imbecílles advérsùs fortes, nec quóniam pauci advérsùs multos; non quóniam paúperes advérsùs dívites, nec rudes & ignári advérsùs ſapiéntes ſtruébant áciem: ſed quóniam magna quoque vis eſt præoccupátæ opiniónis. Scitis enim apud hómines nihil eſſe æquè válidum, atque tiránnidem véteris conſuetúdinis. Oportébat enim eum qui credébat, ſtatim publicári, expélli, à pátria exuláre, extréma mala pérpeti, ab ómnibus ódio habéri, commúnem eſſe hoſtem, & ſuis & aliénis. Quamóbrem etiámſi vocárent à novitáte ad conſuetúdinem, ſic quoque res eſſet diffícilis. Cùm autem à conſuetúdine vocárent ad novitátem, & hæc adéſſent mala, cógita quantum eſſet impediméntum.

℟.

℟. *ix.* Lætificábat Jacob in opéribus ſuis; * Et in séculum memória ejus in benedictióne. 1. *Mac.* 3. 7.
℣. Magnus vocábitur in regno cœlórum. *Matt.* 5. 19. * Et in. Glória. *Reſumitur* ℟. Lætificábat.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Laudáte Dóminum, omnes gentes. ℟. Laudáte eum, omnes pópuli. *Pſ.* 116. 1.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 6. F. Olívam úberem, pulchram, fructíferam, ſpecióſam vocávit Dóminus nomen tuum. *Jer.* 11. 16.

Ant. 3. *a.* Eris quaſi hortus irríguus, & ſicut fons aquárum, cujus non defícient aquæ. *Iſ.* 58. 11.

Ant. 8. G. Dabit cápiti tuo ſapiéntia augménta gratiárum; & corónâ ínclytâ próteget te. *Prov.* 4. 9.

In Canticum, Quàm pulchri, *in Comm. Apoſt. p.* v.

Ant. 1. D. Ædificabúntur in te desérta ſeculórum, fundaménta generatiónis & generatiónis ſuſcitábis. *Iſ.* 58. 12.

Ant. 5. a. Princeps, & clariſſimus, & magnus es in hac Civitáte, & ornátus fíliis. 1. *Mac.* 14. 10.

CAPITULUM. *Eccli.* 44. 1. 2.

LAudémus viros glorióſos & paréntes noſtros in generatióne ſua: multam glóriam fecit Dóminus magnificéntiâ ſuâ à século.

HYMNUS.

HÆc tibi, Præſul, data feſta currunt.
Cœ́lites plaudant, reſonétque tellus.
Vos, decus gentis, pátriæ Paréntem
Dícite, Cives.

NOx ſuis mentes ténebris premébat:
Lumen at cœcis óculis refúlget,
Sancta dum docto tonat ore Præſul
Dógmata Chriſti.

MORIBUS puris documénta firmans,
Signa demónſtrat, quibus urbs movétur:
Et ſacrũ vérbi dócili recóndit
Péctore ſemen.

HINC fides ſurgit, colitúrque Chriſtus:
Hinc ruunt latè ſimulácra vana:
Et fit in ſanis renováta lymphis
Gens ſibi diſpar.

QUI Deum per te celebrámus unum,
Et ſumus meſſis tua, ſancte Præſul,
Grana nos ſummi Patris in ſupérna
Hórrea transfer.

QUÆ tuis formas pópulis miníſtros,
Laus tibi jugis, Déitas ſupréma.
Fac ut in Clero ſua prima virtus,
Chriſte, resúrgat.
Amen.

℣. Beáta gens cujus eſt Dóminus Deus ejus, ℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi! *Pſ.* 32. 12.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. E. Paſce, Dómine, pópulum tuum in virga tua, gregem hæreditátis tuæ. *Mich.* 7. 14.

Oratio.

DEus, qui Apoſtólico beáti Clari miniſtério eam nobis grátiam contuliſti ut ex infidélibus fidéles efficerémur; concéde nobis fámulis tuis, ut illíus méritis & interceſſióne, in ſuſcépta ab eo fide júgiter perſeverántes, vitam conſequámur ætérnam; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte.

AD HORAS, *Doxologia.*

UNI ſit & trino Deo
Supréma laus, ſummum decus,
De nocte qui nos ad ſuæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

Pſalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. Olívam.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 4. 15. 16.

IN Chriſto Jeſu per Evangélium ego vos génui: rogo ergo vos, imitatóres mei eſtóte, ſicut & ego Chriſti.

℟. *breve.* Chriſte.

CANON *proprius habetur ad calcem Breviarii.*

AD TERTIAM.

Ant. Eris.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 9. 1. 2.

NOnne opus meum vos eſtis in Dómino? Et ſi áliis non ſum Apóſtolus, ſed tamen vobis ſum: nam ſignáculum Apoſtolátûs mei vos eſtis in Dómino.

℟. *breve.* Veníte, filii, audíte me, * Allelúia, allelúia. ℟. Veníte. ℣. Timórem Dómini docébo vos. * Allelúia. Glória. ℟. Veníte. *Pſ.* 33. 12.

℣. Os meum loquétur ſapiéntiam, ℟. Et meditátio cordis mei prudéntiam. *Pſ.* 48. 4.

AD SEXTAM.

Ant. Dabit.

CAPITULUM. 2. *Theſſ.* 2. 19. 20.

QUæ eſt noſtra ſpes, aut gaúdium, aut coróna glóriæ? nónne vos ante Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum eſtis, in advéntu ejus? vos enim eſtis glória noſtra & gaúdium.

℟. *breve.* Annuntiábitur Dómino generátio ventúra, * Allelúia, allelúia. ℟. Annuntiábitur. ℣. Pópulo qui naſcétur, quem fecit Dóminus. * Allelúia. Glória. ℟. Annuntiábitur. *Pſ.* 21. 32.

℣. Juſtítia illíus in filios filiórum, ℟. His qui ſervant teſtaméntum ejus. *Pſ.* 102. 17. 18.

AD NONAM.

Ant. Princeps.

Capitulum. *Coloſſ.* 2. 5. 6.

SPíritu vobíſcum ſum, gaudens & videns órdinem veſtrum & firmaméntum ejus, quæ in Chriſto eſt, fidei veſtræ: ſicut ergo accepíſtis Jeſum Chriſtum Dóminum, in ipſo ambuláte.

℟. *breve*. Confirma hoc Deus, * Allelúia, allelúia. ℟. Confírma. ℣. Quod operátus es in nobis. * Allelúia. Glória. ℟. Confírma. *Pſ.* 67. 29.

℣. Deus Iſraël ipſe dabit virtútem, ℟. Et fortitúdinem plebi ſuæ. *Pſ.* 67. 36.

AD VESPERAS.

In Pſal. 109. Dixit Dóminus, *p.* 26.

Ant. 1. J. Manus ſuas éxtulit in omnem congregatiónem filiórum Iſraël, dare glóriam Deo à lábiis ſuis. *Eccli.* 50. 22.

In Pſal. 110. Confitébor tibi, Dómine, *p.* 26.

Ant. 2. D. Singulos illórum armávit, non clýpei & haſtæ munitióne, ſed ſermónibus óptimis & exhortatiónibus. 2. *Mac.* 15. 11.

In Pſal. 111. Beátus vir, *p.* 27.

Ant. 2. *a*. Invocávit Altíſſimum poténtem, in oppugnándo inimícos úndique, & audívit illum magnus & ſanctus Deus. *Eccli.* 46. 6.

In Pſal. 112. Laudáte, púeri, *p.* 27.

Ant. 4. D. Uſque in ſenectútem permánſit illi virtus, ut aſcénderet in excélſum. *Eccli.* 46. 11.

In Pſal. 115. Crédidi, propter quòd, *p.* 106.

Ant. 5. C. Collaudábunt multi ſapiéntiam ejus, & uſque in séculum non delébitur. *Eccli.* 39. 12.

Capitulum. *Hebr.* 13. 7. 8.

MEmentóte præpoſitórum veſtrórum, qui vobis locúti ſunt verbum Dei, quorum intuéntes éxitum converſatiónis, imitámini fidem.

Hymnus.

TErris jam ſatis eſt, almę Pater, datum;
Quò divínus amor te rapit, évola:
Longo parta labóre
Cœlo prǽmia te vocant.

Ergo nunc súperis cœ́tibus ádditus,
Puro lætítiæ flúmine mérgeris;
Et convíva ſuprémi
Menſæ Príncipis áſſides.

Dum te læta poli cúria ſúſcipit;
Dum te tergéminis tollit honóribus;
Tellus ǽmula certat
Tantæ plaúdere glóriæ.

Nomen per pópulos jam réſonat tuum;
Urbes prodígiis attónitæ ſilent:
Hinc te quiſque patrónum
Supplex ambit & ínvocat.

Vos, Cives, mémori víſite péctore,
Tanti Pontíficis víſite límina:
Hîc orántibus, autem

Cleméntem Deus éxhibet,
Spes ô noſtra, Pater, tempus in últimum
Votis dexter ades, cantibus ánnue;
Devótam tibi gentem
Blandis ſubsidiis fove.
Jugis, ſumma Trias, ſit tibi glória,
Quæ ſolémne tuo Præpóſitis gregi,
Pro mercéde labóris,
Te das, pródiga, prǽmium. Amen.

℣. Salvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum: ℟. Exaúdiet illum de cœlo ſancto ſuo. *Pſ.* 19. 7.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. C. Hujus memória in benedictióne eſt: símilem illum fecit Deus in glória Sanctórum, & magnificávit eum. *Eccli.* 45. 1. 2.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 7. c. Qui séminat in Spíritu, de Spíritu metet vitam ætérnam. *Gal.* 6. 8.

Hymnus, Grates, peracto jam die, *p.* 158.

Capitulum. 1. *Theſſ.* 4. 1.

Fratres, rogámus vos & obſecrámus in Dómino Jeſu, ut quemádmodùm accepiſtis à nobis quómodo opórteat vos ambuláre & placére Deo, ſic & ambulétis ut abundétis magis.

℟. *breve.* In manus.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 2. D. * In pópulo hæreditábit honórem; & nomen illíus erit vivens in ætérnum. *Eccli.* 37. 29.

DIEBUS INTRA OCTAVAM SANCTI CLARI,

Quæ eſt tertii Ordinis.

Omnia ut in Die, exceptis quæ ſequuntur.

Pſalmi de Feria.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium dicitur ritu ſimplici.

Tres Antiphonæ, ℣, & ℟℟. *ex Nocturno Feſti, ſecundùm Feriam.*

Duæ priores Lectiones de Scriptura occurrente, duabus poſterioribus in unam junctis, tertia Lectio propria, ut infrà, pro qualibet die.

Non dicitur ℣. Glória Patri, *niſi in fine ultimi* ℟. *quod reſumitur tantùm à Reclamatione.*

AD LAUDES MATUTINAS.

Ant. ſola. 2. a. Gloriétur ſuper te Jeruſalem, & ſit nomen tuum in número ſanctórum & juſtórum. *Judith.* 10. 8.

AD VESPERAS.

Ant. ſola. 4. E. Fuit Dóminus cum eo; & erat vir in cunctis próſperè agens. *Gen.* 39. 2.

Dominica *intra Octavam occurrente, totum Officium fit de Dominica, ut in Pſalterio & Proprio de Tempore, incipiendo à I. Veſperis, quæ ſunt integræ de Sabbato ante Dominicam occurrentem. Fit Commemoratio Octavæ in utriſ-*

que Veſperis & Laudibus, ſed ſinè Lectione.

Si dies Octava ſit Dominica, Officium Octavæ anticipatur, & de eo ſit Feriâ ſextâ præcedenti.

DIE XI. (a)

DE OCTAVA.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Enarr. in Pſ. 96. n. 2.

LECTIO III.

CŒpit fervére per Judæam Eccléſia Chriſti, ubi ferbúerat oppróbrium Chriſti: & reſtitúta eſt terra ejus. Sed quia díxerat ipſe: Hábeo álias oves quæ non ſunt de hoc ovíli, opórtet me & eas addúcere, ut ſit unus grex & unus paſtor, étiam ad gentes ad quas Prophétæ miſſi non erant, Apóſtoli miſſi ſunt. Quæſíti ſunt qui non quæſíerant, invénti ſunt qui nihil expectábant: quem non tenébant Deum pollicitatórem, invenérunt redemptórem. Jam enim Judǽi tenébant Deum pollicitatórem, quia ibi Prophétæ Chriſtum prædicáverant, ibi Chriſtum promíſerant: ſed quem promíſſum audíerant, præséntem non cognóverant. Illis autem promíſſum nihil erat: ſed tamen in Prophétis étiam de fide ipsórum dictum erat. Non dictum erat ipſis, ſed dictum erat de ipſis. Miſſum eſt & ad illos, & audíſtis, ex diſpenſatióne Dei.

DIE XII.

DE OCTAVA.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Sermo 233. n. 1.

LECTIO III.

AUdíſtis quid Chriſtus díxerit Diſcípulis ſuis poſt reſurrectiónem. Miſit eos ad Evangélium prædicándum, & factum eſt: prædicátum eſt Evangélium, pervénit ad nos. Et ecce, In omnem terram exívit ſonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. Ambulándo & ambulándo, Evangélium pervénit ad nos, & ad fines terræ. Bréviter conſtítuit nobis loquens diſcípulis ſuis quid faciámus, quid ſperémus. Ait enim, ſicut audíſtis quando loquebátur: Qui credíderit, & baptizátus fúerit, ſalvus erit. Exígitur à nobis fides, offértur ſalus: Qui credíderit, & baptizátus fúerit, ſalvus erit. Pretióſum eſt quod nobis promíttitur, gratis ſit quod jubétur.

DIE XIII.

DE OCTAVA.

Sermo ſancti Joánnis Chrysóſtomi.

Homil. 10. *in Epiſt.* 1. *ad Timoth.*

LECTIO III.

NOs elégit Deus, ut ſimus quaſi luminária, ut véluti ferméntum evadámus, ut magíſtri cœterórum efficiámur, ut véluti Angeli cum homínibus ver-

(a) S. Gereonis et Sociorum Mart. – Lectio I – oratio. 22. 7bris S. Mauritii et Sociorum – fol.

ſémur in terris, ut tanquam viri cum infántibus & púeris, quaſi ſpirituáles cum animálibus, ut ex contubérnio noſtro ingéntia lucra conquírant, ut ſémina ſimus, ut fructum lætíſſimum afferámus. Nihil opus eſſet verbis, ſi hunc in modum vita noſtra ſanctitátis luce fulgéret. Nihil magíſtris opus eſſet, ſi virtútis probos actus præferrémus. Nemo profécto gentílis eſſet, ſi ipſi ut opórtet Chriſtiáni eſſe curarémus, ſi Dei mónitis ac ſcitis obtemperarémus, ſi injúrias perpéſſi vicem non referrémus, ſi maledíctis laceſſíti benedicerémus, ſi pro malis bona redderémus. Nemo eſſet ità fera béllua, ut non ſtatim ad cultum veræ Religiónis accúrreret, ſi vidéret hæc ab ómnibus fieri. Atque ut diſcas ità eſſe, unus Paulus qui talis fuit, tot pópulos attráxit ad Dei notítiam. Si omnes eſſémus hujúſmodi, quot terrárum orbes & ipſi attráhere poſſémus!

DIE XIV.

DE OCTAVA.

Sermo ſancti Gregórii Papæ.

Lib. 29. Mor. Cap. 25.

LECTIO III.

Super terram abſque hómine in deſérto plúere, eſt verbum Dei Gentilitáti prædicáre. Quæ dum nullum cultum Divinitátis ténuit, nullámque in ſe ſpéciem boni óperis oſténdit, *vidélicet* desértum fuit. In qua quia legiſlátor non fuit, & qui rationabíliter Deum quǽreret non fuit, quaſi hóminum nullus fuit, & velut ſolis béſtiis occupáta, vácua à mortálibus éxtitit. De hac deſérti terra áliàs dícitur: Póſuit in deſérto viam. De hac prædicatióne Gentilitáti concéſſa, Pſalmíſta teſtátur, dicens: Póſuit flúmina in deſérto. Notándum verò eſt, quòd poſtquàm æſtus ſuper terram divíſus eſt, curſum vehementíſſimus imber accépit, ut in deſérto plúeret. Quia poſtquàm in Judǽa aſpéritas perſecutiónis inhórruit, ut non ſolùm fidem mínimè recíperet, ſed étiam eam gládiis impugnáret, ad Iſraël miſſus quiſque prædicátor, ad evocándas gentes defléxit.

AD VESPERAS, a capitulo

de S. Thereſia Virgine.

Ant. Hæc dicit. ℣. Afferéntur, *p.* lix.

Oratio, Deus, qui, *infrà*, *p.* 439.

[*Die ſequenti fit per anticipationem Officium diei Octavæ, ſi dies XVII. ſit Dominica. Infrà, p. 442. & nihil ampliùs fit de Octava.*]

DIE XV.

DE OCTAVA.

Sermo ſancti Ambróſii, Epiſcopi.

Sermo 21. n. 41.

LECTIO III.

Exultávit ſpíritus in Prophéta, dicens: Vinea facta eſt Salomóni.....

Dedit víneam ſuam iis qui ſervant. Clamat ergo Spíritus : Plantáta eſt congregátio populórum & vitis ætérnæ fundáta radíce, & ſpiritália ſub jugum Verbi corde manſuéto colla ſubjécit. Plantáta autem eſt in multitúdine natiónum : data eſt vínea novis fidelibúſque cultóribus, qui non ſolùm fácere fructum poſſent, ſed étiam cuſtodíre. Una ígitur ovis errávit : ſed revocáta, totíus ſpátia orbis implévit. Unam ovem error abdúxerat : ſed multitúdinem populórum Dómini grátia congregávit.

Commemoratio de S. Thereſia Virgine.

LECTIO.

Ex vita & operibus ejus.

THeréſia, Abulæ in Hiſpánia nata, ex perléctis in ténera ætáte Mártyrum actis, magnum hauſit pietátis ſenſum : qui póſteà, tùm equéſtrium fabulárum lectióne, tùm affinium conſuetúdine imminútus, ità moniálium quarum diſciplínæ commíſſa fúerat inſtitutióne, & epiſtolárum beáti Hierónymi lectióne revíxit, ut vigéſimo ſecúndo ætátis anno, in Abulénſi Carmelitárum Cœnóbio, vitæ religióſæ votum emíſerit. Ibi humilitátis, caritátis, & patiéntiæ exercítio per annos ferè vigínti excélluit. Cùm tamen aliquándiu, ſeculárium familiaritáte, oratiónis intermiſſióne, & Confeſſariórum imperítiâ, áliquid de fervóre pietátis remisíſſet, tandem ex lectióne Confeſſiónum ſancti Auguſtíni, ad Deum pénitùs revérſa, ingéntes in virtúte progréſſus fecit. Multis exínde illuſtratiónibus à Deo donáta eſt, quas tamen ſuperiórum judício ſubjiciébat, dícere sólita, ſe in revelatiónibus décipi poſſe, in obediéntia neúmquàm. Tanto patiéndi tenebátur deſidério, ut ſæpè exclamáret : Dómine, aut pati, aut mori. Ordinis Carmelitárum reformatiónem aggréſſa, plúrimas ob id contumélias paſſa eſt. Soróribus ſuis oratiónem, labórem mánuum, & paupertátis ſtúdium præcípuè commendávit : nihílque cárius hábuit, quàm ut vírgines ſinè dote admítteret. Libros ſcripſit cœléſtem pietátem ſpirántes. Albæ decúmbens, Eccléſiæ Sacraméntis muníta, ad Chriſtum migrávit, ipsâ nocte quæ inter quartum & décimum quintum Octóbris diem, detráctis in Calendárii reformatióne diébus decem, intercedébat, anno Chriſti milléſimo quingentéſimo octogéſimo ſecúndo, ætátis verò ſexagéſimo octávo.

Ant. Tu ſcis. ℣. Lætábor, *p.* lxiij.

Oratio.

DEus, qui beátæ Theréſiæ vírginis mónitis & exémplo, ſervos tibi &

/Commemoratio Ofertd.

ancíllas ſuſcitáſti, in quos de Spíritu tuo effúnderes; da nobis ejus imitatióne ac précibus, & cœléſtis doctrínæ pábulo nutríri, & veræ perfectiónis deſidério accéndi; Per Dóminum.... in unitáte ejúſdem.

Vesperæ *duplices de ſequenti, cum Commemoratione de Octava S. Clari.*

Die XVI.

In Festo

TRANSLATIONIS

Reliquiarum SS. Donatiani & Rogatiani, Nannetenſium Martyrum.

Duplex majus.

Omnia de Communi plurium Martyrum, p. xvj. *additis quæ ſequuntur.*

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Ex Bolland. Lobin. Baillet.

Diocletiáno imperánte, beatíſſimi fratres Donatiánus & Rogatiánus, pro Chriſti nómine, illúſtre martýrium Nannétæ ſubiérunt. Horum córpora non procul à loco martýrii ſepeliérunt Chriſtiáni. Qui, poſt libertátem ſanctæ ſuæ Religióni concéſſam, monuméntum primò ibi in eórum honórem ædificárunt, quod miráculis glorióſum effécit Deus, & ad cujus pedes, ſepúlti áliqui Nanneténſes Epíſcopi; deínde, circa finem *séculi* quinti, Basílicam, *cujus méminit* ſanctus Gregórius Turonénſis, quæque étiam nunc perſevérans poſt várias fortúnas, parochiális Ecclésiæ título gaudet. Anno autem milléſimo centéſimo quadragéſimo quinto, Itérius tunc exíſtens Nannétis Epíſcopus ſtátuit, ad majórem ſanctórum Mártyrum veneratiónem, ſacras eórum Relíquias humo leváre, & in majórem ſeu Cathedrálem Ecclésiam transférre, ut qui Civitátis Príncipes erant, in Príncipis Apoſtolórum Ecclésia coleréntur. Quod magno apparátu, décimo séptimo Kaléndas Novémbris perféctum eſt ab Albérto Oſtiénſi Epíſcopo; adſtánte Hugóne Rothomagénſi Archiepíſcopo cum plúribus áliis Præſúlibus, nécnon Nannetenſi Clero & univérſo pópulo.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 335. in Nat. Martyr.

Lectio V.

Quóniam dies ſanctórum Mártyrum eſt, unde pótiùs áliquid deléctet nos dícere, niſi de glória ipsórum? Adjuvet nos Dóminus Mártyrum. Audívimus beátum Paulum Apóſtolum prædicántem: Quis nos ſeparábit à caritáte Chriſti? Iſta vox eſt Mártyrum: Tribulátio, an anguſtia, an perſecútio, an fames, an núditas, an perículum, an glá dius? ſicut ſcriptum eſt: Propter te morte afficimur totâ die, deputáti ſumus

ut oves occiſiónis, ſed in his ómnibus ſuperámus, per eum qui diléxit nos. Hæc eſt vox Mártyrum, ómnia toleráre & de ſe nihil præsúmere: illum dilígere qui glorificátur in ſuis, ut qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

LECTIO VI.

NOvérunt & illud quod cánimus: Lætámini in Dómino, & exultáte, juſti. Si juſti in Dómino lætántur, injúſti non novérunt lætári nisì in século. Sed ipſa eſt prima ácies debellánda. Primò vincéndæ ſunt delectatiónes, & póſteà dolóres. Quómodo poteſt ſuperáre mundum ſæviéntem, qui non poteſt ſuperáre blandiéntem? Blandítur hic mundus pollicéndo honóres, divítias, voluptátes. Minátur hic mundus intentándo dolóres, egeſtátes, humilitátes. Qui non contémnit quod pollicétur, quómodo ſuperáre poteſt quod minátur?

IN III. NOCTURNO.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

LECTIO VII. *c.* 8. *v.* 16. *ad* 21.

IPſe Spíritus teſtimónium reddit ſpirítui noſtro, quòd ſumus filii Dei. Si autem filii, & hærédes: hærédes quidem Dei, cohærédes autem Chriſti: ſi tamen compátimur, ut & conglorificémur. Exíſtimo enim quòd non ſunt condígnæ paſſiónes hujus témporis, ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúræ, revelatiónem filiórum Dei expéctat. Vanitáti enim creatúra ſubjécta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubjécit eam in ſpe: quia & ipſa creatúra liberábitur à ſervitúte corruptiónis, in libertátem glóriæ filiórum Dei.

LECTIO VIII. *v.* 22. *ad* 27.

SCimus enim quòd omnis creatúra ingemíſcit; & párturit uſque adhuc. Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primítias Spíritûs habéntes, & ipſi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei expectántes, redemptiónem córporis noſtri. Spe enim ſalvi facti ſumus. Spes autem quæ vidétur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non vidémus, ſperámus, per patiéntiam expectámus. Simíliter autem & Spíritus ádjuvat infirmitátem noſtram: nam quid orémus ſicut opórtet, neſcímus: ſed ipſe Spíritus póſtulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus. Qui autem ſcrutátur corda, ſcit quid desíderet Spíritus: quia ſecúndùm Deum póſtulat pro ſanctis.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

LECTIO IX. *c.* 20. *v.* 27. *ad* 28.

Gloria corporum poſt reſurrectionem.

ACceſsérunt ad Jeſum quidam Sadducæórum, qui negant eſſe reſurrectiónem

nem, & interrogavérunt eum. Et réliqua.

Homília ſancti Hilárii Epíſcopi.

In Matt. Cap. 23. n. 5.

DE ipſa reſurrectióne advérsùm infidelitátem eórum ità Dóminus locútus eſt : Non legiſtis quod dictum eſt vobis à Deo dicénte : Ego ſum Deus Abrahæ, Deus Iſaac, & Deus Jacob : non eſt Deus mortuórum, ſed vivéntium. Sermo enim hic ad Móyſen, ſanctis iſtis Patriárchis jamprídem quieſcéntibus, extíterat. Ergo quorum erat Deus, hi Deum habébant. Nihil autem póterant habére, ſi non erant : quia in natúra rei eſt, ut eſſe id neceſſe ſit, cujus ſit álterum. Atque ità Deum habére, vivéntium eſt : cùm Deus æternitàtis ſit, & non ſit eórum quæ mórtua ſunt, habére id quod ætérnum eſt. Et quómodo eſſe illi futuríque ſemper negabúntur, quorum ſe eſſe profiteátur Ætérnitas ?

Oratio.

DEus, qui Sanctórum oſſa cuſtódis nobíſque coléndā revélas ; tríbue, quæſumus, ut ſacer beatórum Mártyrum tuórum Donatiáni & Rogatiáni cultus adaúgeat nobis reſurrectiónis fidem, & ætérnæ felicitátis accéndat amórem ; Per Dóminum.

✠ *Fit Commem. de Octava S. Clari, ſed ſinè Lectione.*

Ad Vesperas, *ſit Commem. de die Oct. S. Clari, per Antiph. ad* Magníficat, ℣. *Et Orationem, ut in I. Veſperis Feſti, p.* 427.

Die XVII.

In die octava Sancti Clari. ✠

~~Semi-Duplex~~ *minus.*

Prima Lectio de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis.

Sermo ſancti Máximi Epíſcopi.

Int. Hom. de Sanctis. 2.

Lectio II.

AD ſancti ac beatíſſimi illíus patris noſtri, cujus hódie feſta celebrámus, laudes addidíſſe, áliquid decerpíſſe eſt : ſíquidem virtútum ejus grátia non ſermónibus exponénda eſt, ſed opéribus comprobánda. Cùm enim dicat Scriptúra : Glória Patris eſt Fílius ſápiens, quantæ hujus ſunt glóriæ qui tantórum filiórum ſapiéntiâ & devotióne lætátur ? In Chriſto enim Jeſu per Evangélium ipſe nos génuit. Quidqu d ígitur in hac ſancta plebe poteſt eſſe virtútis & grátiæ, de hoc quaſi quodam fonte lucidíſſimo ómnium rivulórum púritas emanávit.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio III. *c.* 16. ℣. 15. *ad* 18.

Apoſtolorum Miſſio.

DIxit Jeſus Diſcípulis ſuis : Eúntes in mundum univérſum, prædicáte

✠ officium proprium.

Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

In Evang. 29.

POteſt omnis creatûræ nómine omnis nátio Géntium deſignári. Antè enim dictum fúerat : In viam Géntium ne abiéritis ; nunc autem dicitur : Prædicáte omni creatûræ : ut ſcílicet priùs à Judǽa Apoſtolórum repúlſa prædicátio, tunc nobis in adjutórium fieret, cùm hanc illa ad damnatiónis ſuæ teſtimónium ſupérba repuliſſet. Sed cùm diſcípulos ad prædicándum Véritas mittit, quid áliud in mundo facit, niſi grana séminis ſpargit ? Et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méſſium fruges recípiat ex noſtra fide. Neque enim in univérſo mundo tanta fidélium meſſis exúrgeret, ſi de manu Dómini ſuper rationálem terram illa eléćta grana prædicántium non veniſſent.

VESPERÆ *duplices de ſequenti.*

DIE XVIII.

IN FESTO SANCTI LUCÆ, Evangeliſtæ.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 1. *toni* a.

ECcce ventus túrbinis veniébat ab Aquilóne, & nubes magna, & ignis invólvens, & ſplendor in circúitu ejus. *Ezech.* 1. 4.

Ant. 7. c. In médio ejus, ſimilitúdo quátuor animálium, & hic aſpéctus eórum : ſimilitúdo hóminis in eis. *Ezech.* 1. 5.

Ant. 3. a. Aſpéctus eórum quaſi carbónum ignis ardéntium, & quaſi aſpéctus lampadárum. *Ezech.* 1. 13.

Ant. 2. D. Cùm ambulárent, quaſi ſonus erat multitúdinis, ut ſonus caſtrórum. *Ezech.* 1. 24.

Ant. 5. a. Ibant & revertebántur, in ſimilitúdinem fúlguris coruſcántis. *Ezech.* 1. 14.

CAPITULUM. *Apoc.* 4. 7.

ANimal primum ſimile leóni, & ſecúndum ánimal ſimile vítulo, & tértium ánimal habens fáciem quaſi hóminis, & quartum ánimal ſimile áquilæ volánti.

℟. Audívi poſt me vocem commotiónis magnæ : * Benedícta glória Dómini de loco ſuo. *Ezech.* 3. 12. ℣. Quátuor animália réquiem non habébant, die ac nocte, dicéntia. *Apoc.* 4. 8. * Benedícta. Glória. * Benedícta.

HYMNUS.

SINÆ ſub alto vértice,
Cœlo tonánte, Lex data :
Inter tubas & fúlgura,
Præſens minabátur Deus.

NUNC, temperáto Númine,
Per vela carnis blándi[illegible]
Amat vidéri, [illegible]

Se lumen aptans ſénſibus.

Insculpta ſaxo Lex
vetus,
Præcépta non vires dabat;
Inſcrípta cordi Lex nova,
Præcépta dat cum víribus.

Scripſiſtis hanc
fidâ manu;
Hanc voce, voci cónſonis
Hanc prædicáſtis móribus;
Signáſtis hanc & sánguine.

Afflante divo Spíritu,
Quæ verba vitæ tráditis,
Hæc ille noſtris ímprimat
Deléndà nunquam córdibus.

Uni ſit & trino Deo,
Supréma laus, ſummum
decus,
De nocte qui nos ad ſuæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Dóminus dabit verbum evangelizántibus, ℟. Virtúte multâ. *Pſ.* 67. 12.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. g. Ubi erat ímpetus Spíritûs, illuc gradiebántur, nec revertebántur, cùm ambulárent. *Ezech.* 1. 12.

Commem. de Die Oct. S. Clari, ~~*niſi anticipetur.*~~ †
Ant. Hujus. ℣. Salvum, *p.* 436. *Oratio*, Deus, qui Apoſtólico, *p.* 434.

Completorium *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Deum qui vocávit nos per Evangélium, * Veníte, adorémus.
2. Theſſ. 2. 13.

Pſalmus, Veníte, *p.* 1. *ritu duplici.*

Hymnus, Supréme, quales, *in Communi Apoſtolorum*, *p.* iij.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 4. a. Quàm ſpecióſi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! *Rom.* 10. 15.

Ant. 2. D. Levavérunt vocem, ſimul laudábunt; quia óculo ad óculum vidébunt. *Iſ.* 52. 8.

Ant. 1. a. Evangélium virtus Dei eſt, in ſalútem omni credénti. *Rom.* 1. 16.

℣. Atténdite, pópule meus, legem meam: ℟. Inclináte aurem veſtram in verba oris mei. *Pſ.* 77. 1.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Ecce ſuper montes, pedes evangelizántis, & annuntiántis pacem; * Célebra, Juda, Feſtivitátes tuas, & redde vota tua. *Nah.* 1. 15. ℣. Appropinquávit regnum Dei: pœnitémini, & crédite Evangélio. *Marc.* 1. 15. * Célebra, Juda.

℟. *ij.* Veritátem meditábitur guttur meum, & lábia mea deteſtabúntur ímpium: * Juſti ſunt omnes ſermónes mei; non eſt in eis pravum quid, neque pervérſum. *Prov.* 8. 7. 8. ℣. Suſcípite ínſitum verbum quod poteſt ſalváre ánimas veſtras. *Jac.* 1. 21. * Juſti ſunt.

℟. *iij.* Qui didícerint

iſta, invénient quid reſpóndeant. * Concupíſcite ergo ſermónes meos; dilígite illos, & habébitis diſciplínam. *Sap.* 6. 11. 12. ℣. Spíritu ſancto inſpiráti, locúti ſunt ſancti Dei hómines. 2. *Petr.* 1. 21. * Concupíſcite. Glória. * Concupíſcite.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Teſtimónium perhíbuit verbo Dei, & teſtimónium Jeſu Chriſti. *Apoc.* 1. 2.

Ant. 7. d. Erat potens in verbis, & in opéribus ſuis. *Act.* 7. 22.

Ant. 2. D. Pertránſiens evangelizábat civitátibus cunctis. *Act.* 8. 40.

℣. Potens in terra erit ſemen ejus; ℟. Generátio rectórum benedicétur. *Pſ.* 111. 2.

Sermo ſancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. de Script. Eccl. Cap. 7.

LECTIO IV.

Lucas, Médicus Antiochénſis, ut ejus Scripta índicant, Græci ſermónis non ignárus fuit, ſectátor Apóſtoli Pauli, & omnis peregrinatiónis ejus comes. Scripſit Evangélium, de quo idem Paulus: Míſimus, inquit, cum illo fratrem, cujus laus eſt in Evangélio, per omnes Eccléſias. Et ad Coloſſénſes: Salútat vos Lucas médicus cariſſimus. Et ad Timótheum: Lucas eſt mecum ſolus. Aliud quoque édidit volúmen egrégium, quod título Acta Apoſtolórum prænotátur, cujus hiſtória uſque ad biénnium Romæ commorántis Pauli pervénit, id eſt, uſque ad quartum Nerónis annum. Ex quo intellígimus, in eádem urbe Librum eſſe compóſitum.

℟. *iv.* Ecce ego addam ut admiratiónem fáciam pópulo huic, miráculo grandi & ſtupéndo: * Períbit enim ſapiéntia à ſapiéntibus ejus; & intelléctus prudéntium ejus abſcondétur. *Iſ.* 29. 14. ℣. Perdam ſapiéntiam ſapiéntium, & prudéntiam prudéntium reprobábo. 1. *Cor.* 1. 19. * Períbit.

LECTIO V.

Igitur períodos Pauli & Theclæ, & totam baptizáti leónis fábulam, inter apócryphas ſcriptúras computámus. Quale enim eſt, ut indivíduus comes Apóſtoli, inter cǽteras ejus res, hoc ſolùm ignoráverit? Sed & Tertulliánus, vicínus illórum témporum, refert Presbýterum quemdam in Aſia amatórem Apóſtoli Pauli, convíctum à Joánne quòd autor eſſet libri, & conféſſum ſe hoc Pauli amóre fecíſſe, loco excidíſſe.

℟. *v.* Cor tuum meditábitur timórem. * Ubi eſt litterátus? Ubi Legis verba pónderans? Ubi doctor parvulórum? *Iſ.* 33. 18. ℣. Nónne ſtultam fecit Deus

ſapiéntiam hujus mundi? 1. *Cor.* 1. 20. * Ubi eſt.

Lectio VI.

Quidam ſuſpicántur, quotieſcúmque in Epíſtolis ſuis Paulus dicit, juxta Evangélium meum, de Lucæ ſignificáre volúmine: & Lucam, non ſolùm ab Apóſtolo Paulo didicíſſe Evangélium, qui cum Dómino in carne non fúerat, ſed à cœteris Apóſtolis, quod ipſe quoque in princípio ſui volúminis declárat, dicens: Sicut tradidérunt nobis, qui à princípio ipſi vidérunt, & miníſtri fuérunt ſermónis. Igitur Evangélium ſicut audíerat, ſcripſit: Acta verò Apoſtolórum, ſicut víderat, compóſuit. Sepúltus eſt Conſtantinópoli: ad quam urbem vigéſimo Conſtántii anno, oſſa ejus cum Relíquiis Andréæ Apóſtoli tranſláta ſunt.

℟. *vj.* Deus dat ſapiéntiam ſapiéntibus, & ſciéntiam intelligéntibus diſciplínam: * Ipſe revélat profúnda & abſcóndita, & novit in ténebris conſtitúta, & lux cum eo eſt. *Dan.* 2. 21. 22. ℣. Potéſtis legéntes intellígere prudéntiam meam in Myſtério Chriſti. *Eph.* 3. 4. * Ipſe. Glória. * Ipſe.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Doctrínam ſapiéntiæ & diſciplínæ ſcripſit in códice. *Eccli.* 50. 29.

Ant. 3. a. Hæc ómnia Liber vitæ, & Teſtaméntum Altíſſimi, & agnítio veritátis. *Eccli.* 24. 32.

Ant. 6. F. Quicúmque hanc régulam ſecúti fúerint, pax ſuper illos & miſericórdia. *Gal.* 6. 16.

℣. Scribántur hæc in generatióne áltera; ℟. Et pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum. *Pſ.* 101. 19.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Coloſſénſes.

Lectio VII. *c.* 4. *v.* 12. *ad fin.*

Salútat vos Epáphras, qui ex vobis eſt, ſervus Chriſti Jeſu, ſemper ſollícitus pro vobis in oratiónibus, ut ſtetis perfécti, & pleni in omni voluntáte Dei. Teſtimónium enim illi perhíbeo, quòd habet multum labórem pro vobis, & pro iis qui ſunt Laodíciæ, & qui Hierápoli. Salútat vos Lucas médicus cariſſimus, & Demas. Salutáte fratres qui ſunt Laodíciæ, & Nympham, & quæ in domo ejus eſt, eccléſiam. Et cum lecta fúerit apud vos Epíſtola hæc, fácite ut & in Laodicénſium Eccléſia legátur: & eam quæ Laodicénſium eſt, vos legátis. Et dícite Archíppo: Vide miniſtérium quod accepíſti in Dómino, ut illud ímpleas. Salutátio, meâ manu Pauli. Mémores eſtóte vinculórum meórum. Grátia vobíſcum, Amen.

℟. *vij.* Hoc verbum quod factum eſt à Dómino, dicens: * Hæc dicit Dóminus Deus Iſraël: Scribe tibi ómnia verba quæ locútus ſum

ad te, in libro. *Jer.* 30. 1. 2. ℣. Ut fides veſtra non ſit in ſapiéntia hóminum, ſed in virtúte Dei. 1. *Cor.* 2. 5. * Hæc dicit.

De Epíſtola ſecúnda beáti Pauli Apóſtoli ad Timótheum.

Lectio VIII. *c.* 4. *v.* 7. *ad* 11.

BOnum certámen certávi, curſum conſummávi, fidem ſervávi. In réliquo, repóſita eſt mihi coróna juſtítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die juſtus Judex: non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui díligunt advéntum ejus. Feſtína ad me veníre citò. Demas enim me relíquit, díligens hoc ſéculum, & ábiit Theſſalónicam, Creſcens in Galátiam, Titus in Dalmátiam: Lucas eſt mecum ſolus. Marcum aſſúme, & adduc tecum: eſt enim mihi útilis in miniſtérium.

℟. *viij.* Doctrínam quaſi prophetíam effúndam; & * Relínquam illam quæréntibus ſapiéntiam, & non déſinam in progénies illórum, uſque in ævum ſanctum. *Eccli.* 24. 46. ℣. Veritátem dico in Christo, non méntior. *Rom.* 9. 1. * Relínquam.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio IX. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 4.

Chriſti Evangelium ſtatuit ſcribere Lucas.

QUóniam quidem multi conáti ſunt ordináre narratiónem, quæ in nobis complétæ ſunt, rerum. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Expoſ. S. Evang. ſec. Luc. Lib. 1. n. 2. & 3.

ECclésia, cùm quátuor Evangélii Libros hábeat, per univérſum mundum Evangeliſtis redúndat. Hæreſes, cùm multa hábeant, unum non habent: multi enim conáti, ſed Dei grátiâ deſtitúti ſunt. Conáti útique illi ſunt, qui implére nequivérunt. Ergo multos cœpiſſe, nec implevíſſe, étiam ſanctus Lucas teſtimónio locupletióre teſtátur, dicens, plúrimos eſſe conátos. Qui enim conátus eſt ordináre, ſuo labóre conátus eſt, nec implévit. Sinè conátu ſunt enim donatiónes & grátia Dei, quæ ubi ſe infúderit, rigáre conſuévit, ut non égeat, ſed redúndet ſcriptóris ingénium. Non conátus eſt Matthæus, non conátus eſt Marcus, non conátus eſt Joánnes, non conátus eſt Lucas: ſed, divíno Spíritu ubertátem dictórum rerúmque ómnium miniſtránte, ſinè ullo molímine cœpta complérunt.

℟. *ix.* Hic Liber mandatórum Dei, & lex quæ eſt in ætérnum. * Omnes qui tenent eam, pervénient ad vitam; qui autem dereliquérunt eam, in mortem. *Bar.* 4. 1. ℣. Omnis Scriptúra divínitùs inſpiráta, [illegible]

Et hæc eſt annuntiátio quã audívimus ab eo, & annuntiámus vobis.

℟. *breve*. Elóquia Dómini, * Elóquia caſta. ℟. Elóquia. ℣. Argéntum igne examinátum. * Elóquia caſta. Glória. ℟. Elóquia. *Pſ.* 11. 7.

℣. Præcéptum Dómini lúcidum, ℟. Illúminans óculos. *Pſ.* 18. 9.

AD VESPERAS.

Ant. 8. c. Sciámus quæ à Deo donáta ſunt nobis, quæ & lóquimur. 1. *Cor.* 2. 12. 13.

Ant. 2. D. Beátus qui in iſtis versátur bonis; qui ponit illa in corde ſuo, sápiens erit ſemper. *Eccli.* 50. 30.

Ant. 5. a. Per patiéntiam & conſolatiónem Scripturárum, ſpem habeámus. *Rom.* 15. 4.

Ant. 3. a. Judicábit Deus occúlta hóminum, ſecúndùm Evangélium. *Rom.* 2. 16.

Ant. 6. F. Quis finis eórum qui non credunt Dei Evangélio? 1. *Petr.* 4. 17.

CAPITULUM. *Gal.* 1. 11. 12.

NOtum vobis fácio, fratres, Evangélium quod evangelizátum eſt à me, quia non eſt ſecúndùm hóminem: neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici; ſed per revelatiónem Jeſu Chriſti.

Hymnus, Sinæ ſub alto vértice, *ſuprà, in I. Veſperis, p.* 443.

℣. Dabit Deus voci ſuæ vocem virtútis; ℟. Date glóriam Deo. *Pſ.* 67. 34. 35.

Ad Magníficat. *Ant.* 7. c. Pro Chriſto legatióne fungimur, tanquam Deo exhortánte per nos. 2. *Cor.* 5. 20.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 2. D. Si opértum eſt Evangélium noſtrum, in iis qui péreunt eſt opértum. *Cor.* 4. 3.

Hymnus, Grates, peracto jam die, *p.* 158.

CAPITULUM. *Gal.* 1. 9.

FRatres, ſi quis vobis evangelizáverit, præter id quod accepiſtis, anáthema ſit.

℟. *breve*. In manus.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 1. a. Conſummábitur myſtérium Dei, ſicut evangelizávit per ſervos ſuos. *Apoc.* 10. 7.

DIE XXIV.

IN FESTO

SANCTI MARTINI,

Vertanenſis Abbatis in territorio Nannetenſi.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius S. Abbatis, p. xliv. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex Mabill. Lobin. Baillet & aliis.

MArtínus, Nannétis natus circa annum quingentéſimum vigéſimum séptimum, decúrſis liberálium ártium ſtúdiis, à ſancto Pontífice Felíce Clero Nannetéuſi adſcríptus eſt, & Diáconus ordinátus. Sacerdótio póſtmodùm initiátus, divíni elóquii prædicatióne

flóruit. Dehinc univérſam penè Európam incredíbili labóre perluſtrávit, Mártyrum ſepúlcra víſitans, atque in monaſtériis celebérrimis quid perféctius eſſet invéſtigans. Redux in pátriam, extrúxit ſibi in Duménſi Sylva módicum tugúrium, ubi ſolitáriam vitam ducens, multos ad ſe veniéntes in diſciplínam recépit, eóſque monáſticis inſtitútis, juxta régulam à ſe allátam erúdiens, Vertáni Monaſtérium Sancti Joánnis, atque ália deínceps plúrima váriis in locis Cœnóbia ædificávit, in quibus ultrà trecéntos Mónachos habuíſſe tradunt ejus vitæ ſcriptóres. Inſtáre ſibi mortem divíno præmonitu cognóſcens, levátis in cœlum óculis ánimam Deo réddidit, nono Caléndas Octóbris anno ſexcentéſimo primo. In Vertanénſi Monaſtério primò ſepúltũ ſacrum corpus, propter Normannórum incúrſus ad Anſionénſe Cœnóbium apud Pictávos delátum eſt. Detráctum fuit tamen os bráchii, quod Vertanénſi Monaſtério reſtitútum, ibi religióſè aſſervátur & cólitur.

Oratio, Deus, cujus múnere, *p.* xlviij.

DIE XXV.

IN FESTO

SS. CRISPINI ET CRISPINIANI,

Sueſſionenſium Martyrum.

Simplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, p. xvj. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex S. Greg. Turon. & aliis.

CRiſpínus & Criſpiniánus, cum beáto Quintíno & Sóciis à Románo Pontífice in Gállias miſſi, Sueſſiónas venérunt: ubi, cùm multos ad Chriſti fidem convérterent, comprehénſi, ſub Rictióvaro Præſide, poſt immánia torménta, cápite truncáti ſunt. De his méntio fit in ómnibus ferè Martyrológiis Eccléſiæ Occidentális. Extrúcta eſt Sueſſióne, ſéculo ſexto, ſub eórum invocatióne Baſílica, in qua Clodobértus Chilpérici regis fílius ſepúltus eſt. Horum córpora è crypta edúxit ſanctus Elígius, eorúmque túmulum mirâ arte decorávit. Sub eórum nómine & patrocínio, idem Póntifex Eccléſiam monaſtérii Sulemniacénſis, à ſe in pago Lemovicénſi cónditi, conſecrándam curávit.

Oratio, Exaúdi nos, *p.* xx.

DIE XXVI.

IN FESTO

SANCTI MAGLORII,

Dolenſis Epiſcopi.

Simplex.

Omnia de Communi unius S. Pontificis, p. xxiij. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex Bolland. Surio. Mabill. Lobin. & aliis.

MAglórius, in Británnia majóre natus, adhuc infans Hiltúto Abbáti ...

ditus eſt, & ab eódem cum Samsóne conſanguíneo ſuo ſeculáribus & ſacris diſciplinis dilігéntiùs excúltus. Cùm Amon Samsónis pater gravi morbo labórans filiũ ad ſe accerciſſet, & Confeſſióne factâ, Deo ſe cum filiis & bonis ómnibus conſecráſſet, Maglórius, non multò pòſt cum Umbraféle patre & Afrélla matre ac duóbus frátribus ad Samsónem venit; ejúſque prædicatióne & Amónis exémplo ſic omnes permóti ſunt, ut ſtatim facultátes in paúperes & Eccléſias partiréntur. Maglórius Samsóni cum patre peculiáriùs adhæſit, & ut ſimul Mónachi in eádẽ domo veſtiréntur, obtínuit. Sed Umbrafel à Samsóne póſtmodùm in Hibérniam miſſus eſt, ut regiónis illíus Monaſtéria regeret. Maglórius autem aſsíduè Samsóni miniſtrávit, atque ab eo Diáconus ordinátus, eum étiam in Aremóricos prædicándi Evangélii causâ trajiciéntem ſecútus eſt, labórum ómnium & curárum comes indivíduus. Samſon ad Monaſterii Dolénſis régimen vocátus à Childebérto rege, poſt adminiſtrátum ſanctiſſimè paſtorále munus in tota circùm regióne, cùm eſſet morti próximus, ſucceſsórem ſibi in Epiſcopátu deſignávit Maglórium. Mórtuo Samsóne, cùm aliquándiu Maglórius verbo & *exémplo* Dolénſibus multùm profuiſſet, erémum pétiit, ſuffécto in locum ſuum Budóco, cujus pietátem a prima ætáte cognóverat. Sed cum ſolitúdinis látebras detexiſſet ejus ſanctitátis fama, ad eum úndique confluxérunt, qui aut córporis aut ánimæ ſalútem requirébant. Pertæſus ítaque hóminum frequéntiâ, de abditióre erémo peténda egit cum Budóco: quo tamen diſſuadénte, & mœrórem conſolánte, ibídem súbſtitit, & miráculis in dies clárior eváſit. A Cómite Loieſcóne quem à lepra divínitùs curáverat, prædii cujúſdam in ínſula Sargiénſi poſſeſſióne donátus, ibi Cœnóbium ſexagínta & ámpliùs Monachórum inſtítuit, quibúſcum vitam prodúxit ad famem uſque Chilperici regis intéritum próximè ſubſecútam. Anno ſequénti, ſalútis quingentéſimo octogéſimo quinto, Páſchatis nocte, de propínquo óbitu divínitùs admónitus, ex eo die ab Eccléſia, niſi neceſſitáte aut aliórum utilitáte coáctus, non receſſit. Hæc verba idéntidem pronúntians: Unam pétii à Dómino, hanc requíram, ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ, ſexto pòſt menſe, ánimam exhalávit. Corpus ejus graſſánte Normannórũ furóre, unâ cum aliórum multórum Relíquiis, Paríſios delátum, in Eccléſia Sancti Jacóbi,

quæ nunc Sancti Maglórii dícitur, cum óſſibus ſancti Samsónis requiéſcit.

Oratio, Dirige, *p.* xxvij.

Die XXVIII.

In Festo

SS. SIMONIS ET JUDÆ, Apoſtolorum.

Duplex majus.

Omnia de Communi Apoſtolorum, p. j. *additis quæ ſequuntur.*

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Hierónymi Presbýteri.

Comm. in Matt. Lib. 1. *Cap.* 10.

Lectio IV.

SImon, Cananéus, de vico Cana Galilǽæ, ubi aquam Dóminus vertit in vinum, ipſe eſt qui in álio Evangeliſta ſcríbitur Zelótes: Cana quippe Zelus interpretátur. Thaddéus ab Evangeliſta Luca Judas Jacóbi dícitur: & álibi appellátur Lebǽus, quod interpretátur Córculus. Credendúmque eſt eum fuiſſe trinómium; ſicut Simon, Petrus; & filii Zebedǽi, Boanérges, ex firmitáte & magnitúdine fidei nomináti ſunt.

Lectio V.

Lib. de Script. Eccli. Cap. 4.

JUdas frater Jacóbi, parvam quidem, quæ de ſeptem Cathólicis eſt, Epíſtolam relíquit. Et quia de libro Enoch, qui apócryphus eſt, in ea aſſúmit teſtimónium, à pleríſque rejícitur: tamen autoritá tem vetuſtáte jam & uſu méruit, & inter ſanctas Scriptúras computátur.

Sermo ſancti Adónis Epíſcopi.

De Feſtiv. Apoſt. Cap. 11.

Lectio VI.

THaddéus apud Meſopotámiam, Simon verò apud Ægýptum tradúntur prædicáſſe: inde ſimul Pérſidem ingréſſi, cùm fidei Chriſti innúmeram gentis ipsíus multitúdinem ſubdidiſſent, & Eccléſiam Dómini latè jam fundátam vidérent, Martýrium ibi, curſum témporis expléntes, beáto certámine conſummavérunt, & honorífice ſepúlti ſunt à pópulis Chriſtiánis quos Dómino ipſi genúerant. Quod quidam putant Simónem Apóſtolum unum de Duódecim, ipſum eſſe qui ſub Trajáno crucem paſſus ſit, omninò falſum eſt. Nam & Beda ſanctus Présbyter, qui hoc ſuper Acta Apoſtolórum ſentit, Iſidórum ſecútus, in libro Retractatiónum ſe hoc non benè ſenſiſſe reprehéndit. Sed & Hiſtória Eccleſiáſtica, non de Apóſtolo, ſed de álio Simóne geſta narrat.

IN III. NOCTURNO.

De Epíſtola beáti Judæ Apóſtoli.

Lectio VII. *v.* 1. *ad* 6.

JUdas, Jeſu Chriſti ſervus, frater autem Jacóbi, his qui ſunt in Deo

Patre diléctis, & Chriſto Jeſu conſervátis & vocátis: Miſericórdia vobis, & pax, & cáritas adimpleátur. Cariſſimi, omnem ſollicitúdinem fáciens ſcribéndi vobis de commúni veſtra ſalúte, necéſſe hábui ſcríbere vobis, déprecans ſupercertári ſemel tráditæ ſanctis fidei. Subintroiérunt enim quidam hómines, qui olim præſcrípti ſunt in hoc judícium, ímpii, Dei noſtri grátiam transferéntes in luxúriam, & ſolum Dominatórem & Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum negántes. Commonére autem vos volo, ſciéntes ſemel ómnia, quóniam Jeſus pópulum de terra Ægypti ſalvans, ſecúndò eos qui non credidérunt, pérdidit: Angelos verò qui non ſervavérunt ſuum principátum, ſed dereliquérunt ſuum domicílium, in judícium magni diéi, vínculis ætérnis ſub calígine reſervávit.

Lectio VIII. *v.* 20. *ad fin.*

Vos autem, cariſſimi, ſuperædificántes voſmetípſos ſanctíſſimæ veſtræ fidei, in Spíritu ſancto orántes, voſmetípſos in dilectióne Dei ſerváte: expectántes miſericórdiam Dómini noſtri Jeſu Chriſti in vitam ætérnam. Et hos quidem argúite judicátos: illos verò ſalváte, de igne rapiéntes. Aliis autem miſerémini in *timóre*: odiéntes & eam *quæ carnális* eſt, maculátam túnicam. Ei autem qui potens eſt vos conſerváre ſine peccáto, & conſtitúere ante conſpéctum glóriæ ſuæ immaculátos, in exultatióne, in advéntu Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ſoli Deo Salvatóri noſtro, per Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum, glória & magnificéntia, impérium & poteſtas, ante omne séculum, & nunc, & in ómnia sécula ſeculórum. Amen. Tu autem.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio IX. *c.* 14. *v.* 22. *ad* 25.

Quis Chriſtum diligere dicendus.

Dicit ad Jeſum Judas, non ille Iſcariótes: Dómine, quid factum eſt, quia manifeſtatúrus es nobis teípſum? Et réliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 76. n. 1. 2. 4.

Interrogávit Jeſum Judas, non ille tráditor ejus, qui Iſcariótes cognominátus eſt, ſed cujus Epiſtola inter Scriptúras Canónicas légitur: Dómine, quid factum eſt, quia nobis manifeſtatúrus es teípſum, & non mundo? Simus cum ipſis tanquam interrogántes diſcípuli, communémque Magiſtrum audiámus & nos. Judas enim ſanctus, non immúndus, nec inſectátor Dómini, ſed ſectátor, cauſam quæſívit, quare ſe non mundo, ſed

ſuis manifeſtatúrus eſſet Jeſus: quare adhuc módicùm, & mundus non vidéret eum, ipſi autem vidérent eum. Reſpóndit Jeſus, & dixit ei: Si quis díligit me, ſermónem meum ſervábit, & Pater meus díliget eum, & ad eum veniémus, & manſiónem apud eum faciémus. Facit in ſanctis, cum Patre & Fílio, ſanctus étiam Spíritus manſiónem: intùs útique, tanquam Deus in templo ſuo. Deus Trínitas, Pater, & Fílius, & Spíritus ſanctus véniunt ad nos, dum venímus ad eos. Véniunt ſubveniéndo, venímus obediéndo: véniunt illumináńdo, venímus intuéndo: véniunt impléndo, venímus capiéndo: ut ſit nobis eórum non extrária víſio, ſed intérna; & in nobis eórum non tranſitória mánſio, ſed ætérna.

Oratio.

Deus, qui nos, per beátos Apóſtolos tuos, ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuíſti; da nobis ſanctórum tuórum Simónis & Judæ glóriam ſempitérnam proficiéndo celebráre, & celebrándo profícere; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum. 30

DIE XXXI.

IN VIGILIA OMN. SANCTORUM.

Officium de Feria occurrente, additis quæ ſequuntur.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

LECTIO III. *c. 6. v. 20. ad 23.*

Chriſtus docet Beatitudines.

Elevátis Jeſus óculís in Diſcípulos ſuos, dicébat: Beáti, paúperes, quia veſtrum eſt regnum Dei. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Expoſ. Evang. ſec. Lucam. Lib. 5. n. 62. 63.

Nunc dicámus quemádmodùm in quátuor benedictiónibus, ſanctus Lucas benedictiónes ſit octo compléxus. Et quidem ſcimus virtútes eſſe quátuor cardináles, Temperántiam, Juſtítiam, Prudéntiam, Fortitúdinem. Qui pauper eſt ſpíritu, avárus non eſt. Qui flet, non ſupérbit, ſed mitis eſt & pacátus. Qui luget, humiliátur. Qui juſtus eſt, non negat quod ſcit ómnibus ad uſum commúniter datum. Qui miſerétur, largítur de ſuo. Qui ſuum donat, non quærit aliénum, nec dolum próximo ſtruit. Connéxæ ígitur ſibi ſunt concatenatæque virtútes: ut qui unam habet, plures habére videátur. Et ſanctis una cómpetit virtus: ſed ejus quæ fúerit ubérior, ubérius eſt præmium.

℟. *iij.* Propter miſériam ínopum, & gémitum paúperum, * Nunc exurgam.

30 – S. Bilonis abbatis – ſimplex – Lect. oratio: Da nobis &c –

dicit Dóminus. *Pſ.* 11. 6. ℣. Gaudéte in illa die, & exultáte. *Luc.* 6. 23. * Nunc exúrgam. Glória. * Nunc exúrgam.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. *à.* Cuſtódiet Dóminus rectórum ſalútem; & prótéget gradiéntes ſimplíciter. *Prov.* 2. 7.

Dicuntur Preces, flexis genibus, p. 151.

Oratio.

DOmine Deus noſter, multíplica ſuper nos grátiam tuam; & quorum prævenimus glorióſa ſolémnia, tribue ſubſequi in ſancta profeſſióne lætitiam; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus; Per ómnia ſécula ſeculórum.

Deinde Suffragium de Cruce tantùm.

Ad Horas, *Preces, flexis genibus, ut in Pſalteris, p.* 153. *& ſequent.*

Oratio, Dómine Deus, *ſuprà.*

FESTA

FESTA NOVEMBRIS.

DIE I.

IN FESTO

OMNIUM SANCTORUM.

Annuale Minus —

~~SOLEMNE MAJUS.~~

IN I. VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni D.*

SErvos ſuos vocábit Dóminus nómine álio, in quo qui benedíctus eſt ſuper terram, benedicétur in Deo. *Iſ.* 65. 15. 16.

Ant. 2. *D.* In perpétuum vivent; & apud Dóminum eſt merces eórum, & cogitátio illórum apud Altíſſimum. *Sap.* 5. 16.

Ant. 3. *E.* Non esúrient neque ſitient; & non percútiet eos æſtus & ſol, quia miſerátor eórum reget eos. *Iſ.* 49. 10.

Ant. 4. *E.* Habitábunt in Jerúſalem, & anáthema non erit ámpliùs; ſed ſedébit Jerúſalem ſecúra. *Zach.* 14. 11.

Ant. 5. C. Gaúdium & lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio & vox laudis. *Iſ.* 51. 3.

CAPITULUM. *Iſ.* 65. 17. 18.

ECce ego creo cœlos novos & terram novam, & non erunt in memória *prióra, & non aſcéndent* ſuper cor: ſed gaudébitis & exultábitis uſque in ſempitérnum, in his quæ ego creo.

℟. Inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ, Dómine, & torrénte voluptátis tuæ potábis eos: * Quóniam apud te eſt fons vitæ, & in lúmine tuo vidébimus lumen. *Pſ.* 35. 9. 10. ℣. Agnus qui in médio throni eſt, reget illos, & dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum. *Apoc.* 7. 17. * Quóniam. Glória. *Reſumitur* ℟. Inebriabúntur.

HYMNUS.

VOs, ſancti Próceres, vos, Súperûm Chori,
Cœli quotquot habet Régia, Príncipes,
Noſtros nunc date veſtris
Cantus júngere cántibus.
PRIMIS, ante álios, glória Cœlitûm,
Chriſti Virgo Parens fulget honóribus;
Divinóque ſevérum
Flectit pígnore Júdicem.
ASTANT ſpirítuum mille ácies throno,

Regi ſancta ferunt vota cliéntium;
Hîc Baptíſta profúndo
Lucis flúmine mérgitur.

Quorum núntia vox, orbis ad últimas,
Chriſtum vox réſonans, intónuit plagas,
Præcónes duodéni
Sacris Vátibus áſſident.

Fuso purpúrei ſánguine Mártyres,
Et puro níveæ péctore Vírgines,
Agno cándida fundunt
Rubris lília cum roſis.

Qui pavêre ſuos Præpóſiti greges,
Paſcúntur ſúpero Númine plénius;
Qui flevêre, ſerénus
Abſtérgit lácrymas Pater.

A quo cuncta fluunt, máxima laus Patri;
Qui mundum réparat, máxima Fílio;
Et quo péctora flagrant,
Sit laus máxima Flámini.
Amen.

℣. In juſtítia tua exaltabúntur, Dómine: ℟. Quóniam glória virtútis eórum tu es. *Pſ.* 88. 17. 18.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. * Vénient in Sion cum laude: & lætítia ſempitérna ſuper caput eórum. *Iſ.* 35. 10.

Oratio.

Deus, apud quem ómnium Sanctórum in cœlis eſt ætérna Feſtívitas; tríbue, quæſumus, eórum ſic nos in terris renováre Solémnia, ut adunáta eorúmdem intercéſſio, & abundantióra præſtet exémpla virtútum, & majóra nobis obtíneat augménta gratiárum; Per Dóminum noſtrum.

Completorium *habetur poſt ſecundas Veſperas, cum Pſalmis de Feria.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Dóminum, apud quem, eſt merces Juſtórum, * Veníte, adorémus. *Sap.* 5. 16.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu ſolemni.*

Hymnus.

Quam pulchra, quàm dilécta ſunt
Celſi Tonántis átria!
Quæ mille circùm Cœlites
Cingunt colúntque míllia.

Hic in throno ſedet Deus,
Agnúſque Sanctórum decus,
In quo ſupérnæ pérmanet
Ætérna ſors Eccléſiæ.

Hac unus ardor in domo,
Deum vidére, psállere,
Amáre, ter Sanctum piis
Efférre ſemper láudibus.

Quando ſolútâ cárcere,
Tibi licébit, mens mea,
His interéſſe cœtibus,
His te choris conjúngere!

Hoc te precámur ſúpplices,
Sol Agnus & lux Cœlitûm,
Da nos vidére cum tuis
Regnum perénnis pátriæ.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

In Pſal. 1. Beátus vir qui non ábiit, *p.* 3.

Ant. 5. 2. Grátia Dei & miſericórdia eſt in Sanctos

ejus, & reſpéctus in Eléctos illíus. *Sap.* 4. 15.

In Pſal. 32. Exultáte, Juſti, in Dómino, *p.* 33.

Ant. 4. a. In manu Dei ſunt, & non tanget illos torméntum mortis. *Sap.* 3. 1.

In diviſ. Pſal. 32. Beáta gens, *p.* 34.

Ant. 8. c. Gaúdium & lætítiam obtinébunt; & fúgiet dolor & gémitus. *Iſ.* 35. 10.

℣. Novit Dóminus dies immaculatórum; ℟. Et hæréditas eórum in ætérnum erit. *Pſ.* 36. 18.

De Libro Apocalýpſis beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio I. *c.* 4. *v.* 2. *ad* 8.

Ecce ſedes póſita erat in cœlo, & ſupra ſedem ſedens: & qui ſedébat, ſímilis erat aſpéctui lápidis jáſpidis & sárdinis: & iris erat in circúitu ſedis, ſímilis viſióni ſmarágdinæ. Et in circúitu ſedis, ſedília vigínti quátuor: & ſuper thronos, vigínti quátuor ſenióres ſedéntes, circumamícti veſtiméntis albis, & in capítibus eórum corónæ aúreæ. Et de throno procedébant fúlgura, & voces, & tonítrua: & ſeptem lámpades ardéntes ante thronum, qui ſunt ſeptem ſpíritus Dei. Et in conſpéctu ſedis, tanquam mare vítreum símile cryſtállo: & in médio ſedis, & in circúitu ſedis, quátuor animália plena óculis antè & retrò. Et ánimal primum símile leóni, & ſecúndum ánimal símile vítulo, & tértium ánimal habens fáciem quaſi hóminis, & quartum ánimal símile áquilæ volánti. Et quátuor animália, ſíngula eórum habébant alas ſenas, & in circúitu & intùs plena ſunt óculis: & réquiem non habébant die ac nocte, dicéntia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus omnípotens, qui erat, & qui eſt, & qui ventúrus eſt.

℟. *j.* Qui confídunt in Dómino, intélligent veritátem: & * Fidéles in dilectióne acquiéſcent illi, quóniam donum & pax eſt eléctis ejus. *Sap.* 3. 9. ℣. Diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis qui ſecúndùm propóſitum vocáti ſunt Sancti. *Rom.* 8. 28. * Fidéles. Glória. * Fidéles.

Lectio II. *c.* 5. *v.* 1. *ad* 8.

Et vidi in déxtera ſedéntis ſupra thronum, librum ſcriptum intùs & forìs, ſignátum ſigillis ſeptem. Et vidi Angelum fortem, prædicántem voce magnâ: Quis eſt dignus aperíre librum, & sólvere ſignácula ejus? Et nemo póterat, neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtùs terram, aperíre librum, neque reſpícere illum. Et ego flebam multùm, quóniam nemo dignus invéntus eſt aperíre librum, nec vidére eum. Et unus de ſenióribus dixit mihi: Ne fléveris: ecce vi-

cit Leo de tribu Juda, Radix David, aperíre librum, & sólvere ſeptem ſignácula ejus. Et vidi: & ecce in médio throni & quátuor animálium, & in médio ſeniórum, Agnum ſtantem tanquam occíſum, habéntem córnua ſeptem, & óculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpíritus Dei, miſſi in omnem terram. Et venit, & accépit de déxtera ſedéntis in throno, librum. Et cùm aperuíſſet librum, quátuor animália & vigínti quátuor ſenióres cecidérunt coram Agno, habéntes ſínguli cítharas, & phíalas áureas plenas odoramentórum, quæ ſunt oratiónes Sanctórum.

℟. *ij.* Accípient regnum decóris, & diadéma ſpeciéi de manu Dómini: * Quóniam déxterâ ſuâ teget eos, & bráchio ſancto ſuo defendet illos. *Sap.* 5. 17. ℣. Abſtérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum. *Apoc.* 21. 4. * Quóniam. Glória. * Quóniam.

Lectio III. *v.* 9. *ad fin.*

Et cantábant cánticum novum, dicéntes: Dignus es, Dómine, accípere librum, & aperíre ſignácula ejus: quóniam occíſus es, & redemiſti nos Deo in ſánguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & pópulo, & natióne; & feciſti nos Deo noſtro *regnum* & ſacerdótes; & *regnábimus* ſuper terram. Et *vidi*, & *audívi* vocem Angelórum multórum in circúitu throni, & animálium, & ſeniórum: & erat númerus eórum míllia míllium, dicéntium voce magnâ: Dignus eſt Agnus qui occíſus eſt, accípere virtútem, & divinitátem, & ſapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem. Et omnem creatúram quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes audívi, dicéntes: Sedénti in throno, & Agno benedíctio, & honor, & glória, & poteſtas in ſécula ſeculórum. Et quátuor animália dicébant: Amen. Et vigínti quátuor ſenióres cecidérunt in fácies ſuas: & adoravérunt Vivéntem in ſécula ſeculórum.

℟. *iij.* Sancti tui, Dómine, benedícant tibi: * Glóriam regni tui dicent, & poténtiam tuam loquéntur. *Pſ.* 144. 10. 11. ℣. Regnábunt in ſécula ſeculórum. *Apoc.* 22. 5. * Glóriam regni tui. Glória. *Reſumitur* ℟. Sancti tui.

IN II. NOCTURNO.

In Pſal. 33. Benedicam Dóminum, *p.* 64.

Ant. 7. c. Tempus advénit, & regnum obtinuérunt Sancti. *Dan.* 7. 52.

In diviſ. Pſal. 33. Veníte, filii, *p.* 65.

Ant. 3. g. Vidébunt fáciem Dei; & nomen ejus in fróntibus eórum. *Apoc.* 22. 4.

In Pſal. 35. Dixit injúſtus, *p.* 131.

Ant. 1. a. Dicit Spíritus, ut requiéſcant à labóribus ſuis; ópera enim illórum ſequúntur illos. *Apoc.* 14. 13.

℣. Exúltent Juſti in conſpéctu Dei, ℟. Et delecténtur in lætítia. *Pſ.* 67. 4.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 5. *in Feſt. Omn. SS.* n. 1. & 2.

LECTIO IV.

FEſtíva nobis eſt dies, & inter præcípuas Solemnitátes hodiérna Solémnitas numerátur. Nóvimus Feſtivitátem ómnium Sanctórum dici & eſſe, quam hódie celebrámus. Omnium, inquam, ſive cœléſtium, ſive terréſtrium. Sunt enim Sancti de cœlo, & ſunt Sancti de terra: itémque eórum qui de terra ſunt, quidam adhuc in terra, álíqui jam in cœlo. Eſtne adhuc Sanctórum áliquod tértium genus? Eſt, ſed occúltum. Sunt enim Sancti qui adhuc mílitant, adhuc pugnant: currunt adhuc, necdùm comprehendérunt. Hæc nimírùm divérſitas appellatiónis in nómine ſanctitátis: ut álii quidem jam ſecúndùm conſummatiónem Sancti vocéntur, álii juxta ſolam adhuc prædeſtinatiónem.

℟. *iv.* Deus réddidit Juſtis mercédem labórum ſuórum, * Et dedúxit illos in via mirábili. *Sap.* 10. 17. ℣. Non confúnditur Deus vocári Deus eórum; parávit enim illis civitátem. *Hebr.* 11. 16. * Et dedúxit. Glória. * Et dedúxit.

LECTIO V. n. 5.

AD quid Sanctis laus noſtra? Ad quid glorificátio noſtra? Ad quid noſtra hæc ipſa Solémnitas? Quò eis terrénos honóres, quos, juxta verácem Fílii promiſſiónem, honoríficat Pater cœléſtis? Quò eis præcónia noſtra? Pleni ſunt. Prorsùs ità eſt, dilectíſſimi: honórum noſtrórum Sancti non egent, nec quidquam eis noſtrâ devotióne præſtátur. Planè, quòd eórum memóriam venerámur, noſtrâ intereſt, non ipsórum. Vultis ſcire quantùm intereſt noſtrâ? Ego in me, fáteor, ex hac recordatióne séntio deſidérium véhemens inflammári, ut eórum tam optábili ſocietáte fruámur, & mereámur concíves & contubernáles eſſe Spirítuum beatórum, miſcéri cœtui Patriarchárum, cúneis Prophetárum, ſenátui Apoſtolórum, Mártyrum exercítibus numeróſis, Confeſſórum collégiis, Vírginum choris, in ómnium dénique cólligi & collætári communióne Sanctórum.

℟. *v.* Fons parvus crevit in flúvium máximum, & in aquas plúrimas redundávit. * Lux & ſol ortus eſt, & húmiles exaltáti ſunt. Eſth.

11. 10. 11. ℣. Sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei, die ac nocte, in templo ejus. *Apoc.* 7. 15. * Lux & ſol. Glória. * Lux & ſol.

Lectio VI. n. 6.

PRæſtolátur nos Eccléſia illa Primitivórum, & negligimus: deſíderant nos Sancti, & parvi péndimus: expéctant nos Juſti, & diſſimulámus. Excitémur aliquándo, fratres: reſurgámus cum Chriſto; quærámus quæ ſursùm ſunt; quæ ſurſùm ſunt, ſapiámus. Deſiderémus deſiderántes nos: properémus ad præſtolántes nos: expectántes nos, votis præoccupémus animórum. Ecce enim nihil in hac noſtra communióne ſecuritátis, nihil perfectiónis, nihil quiétis: & tamen hîc quoque quàm bonum & quàm jucúndum, habitáre fratres in unum? Quidquid enim ſive intériùs, ſive extériùs, moléſtum occúrrit, ipſo útique tam germanórum conſórtio fratrum, cum quibus eſt nobis cor unum & ánima una in Deum, tolerabílius invenítur. Quàm dúlcior erit, quàm delectabílior, quàm beátior únio, ubi nulla ſuſpício eſſe póterit, nulla diſſenſiónis occáſio, ubi omnes perfécta cáritas indiſſolúbili fœ́dere colligábit!

℟. vj. Suſcípient regnum Sancti Dei altíſſimi; * Et obtinébunt regnum, uſque in séculum & séculum ſeculórum. *Dan.* 7. 18. ℣. Dóminus Deus illuminábit illos. *Apoc.* 22. 5. * Et obtinébunt. Glória. *Reſumitur* ℟. Suſcípient.

IN III. NOCTURNO.

In Pſal. 36. Noli æmulári in malignántibus, *p.* 72.

Ant. 4. f. Juſti fulgébunt ſicut ſol, in regno Patris eórum. *Matt.* 13. 43.

In diviſ. Pſal. 36. Novit Dóminus, *p.* 73.

Ant. 7. *d.* Erunt Sacerdótes Dei & Chriſti, & regnábunt cum illo. *Apoc.* 20. 6.

In alter. diviſ. Pſal. 36. Os Juſti meditábitur, *p.* 74.

Ant. 1. D. Non eſúrient, neque ſítient ámpliùs, nec cadet ſuper illos ſol, neque ullus æſtus. *Apoc.* 7. 16.

℣. Illúminans tu mirabíliter, Dómine, ℟. A móntibus ætérnis. *Pſ.* 75. 5.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Coríntios.

Lectio VII. *c.* 2. *v.* 9. *ad* 13.

SCriptum eſt: Quod óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis aſcéndit, quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum: nobis autem revelávit Deus per Spíritum ſuum: Spíritus enim ómnia ſcrutátur, étiam profúnda Dei. Quis enim hóminum ſcit quæ ſunt hóminis, niſi ſpíritus hóminis, qui in ipſo eſt? Ità & quæ Dei ſunt, nemo cognóvit, niſi Spíritus Dei. Nos autem non ſpíritum

hujus mundi accépimus, ſed Spíritum qui ex Deo eſt, ut ſciámus quæ à Deo donáta ſunt nobis: quæ & lóquimur, non in doctis humánæ ſapiéntiæ verbis, ſed in doctrína Spíritûs, ſpirituálibus ſpirituália comparántes.

℟. *vij.* Fulgébunt Juſti, & * Tanquam ſcintíllæ in arundinéto diſcúrrent; judicábunt natiónes, & dominabúntur pópulis. *Sap.* 3. 7. 8. ℣. Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur! *Apoc.* 14. 13. * Tanquam ſcintíllæ. Glória. * Tanquam ſcintíllæ.

De Epíſtola ſecúnda ejúſdē beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio VIII. *c.* 3. *v.* 7. *ad finem.*

QUòd ſi miniſtrátio mortis, lítteris deformáta in lapídibus, fuit in glória, ità ut non poſſent inténdere filii Iſraël in fáciem Móyſi, propter glóriam vultûs ejus, quæ evacuátur, quómodo non magìs miniſtrátio Spíritûs erit in glória? Nam ſi miniſtrátio damnatiónis glória eſt, multò magìs abúndat miniſtérium juſtítiæ in glória. Nam nec glorificátum eſt quod cláruit in hac parte, propter excelléntem glóriam. Si enim quod evacuátur, per glóriam eſt, multò magìs, quod manet, in glória eſt. Habéntes ígitur talem ſpem, multâ fidúciâ útimur: & non ſicut Móyſes ponébat velámen ſuper fáciem ſuam, ut non inténderent filii Iſraël in fáciem ejus, quod evacuátur; ſed obtúſi ſunt ſenſus eórum. Uſque in hodiérnum enim diem, idípſum velámen in lectióne véteris Teſtaménti manet non revelátum, quóniam in Chriſto evacuátur: ſed uſque in hodiérnum diem, cùm légitur Móyſes, velámen póſitum eſt ſuper cor eórum. Cùm autem convérſus fúerit ad Dóminum, auferétur velámen. Dóminus autem Spíritus eſt: ubi autem Spíritus Dómini, ibi libértas. Nos verò omnes, revelátâ fácie, glóriam Dómini ſpeculántes, in eámdem imáginem transformámur, à claritáte in claritátem, tanquam à Dómini Spíritu.

℟. *viij.* Lætabúntur coram te, Dómine, ſicut qui lætántur in meſſe, * Sicut exúltant victóres, captâ prædâ, quando dívidunt ſpólia. *Iſ.* 9. 3. ℣. Laudem dícite Deo noſtro, omnes ſervi ejus. *Apoc.* 19. 5. * Sicut exúltant victóres. Glória. * Sicut exúltant victóres.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

Lectio IX. *c.* 5. *v.* 1. *ad* 12.

Octo Beatitudines.

VIdens Jeſus turbas, aſcéndit in montem: & cùm ſedíſſet, acceſſérunt ad eum Diſcípuli ejus. Et réliqua.

Homilia ſancti Cypriani Epiſcopi & Martyris.

De Unitate Eccleſiæ.

SI filii Dei ſumus, pacífici eſſe debémus, Beáti, inquit, pacífici: quóniam ipſi filii Dei vocabúntur. Pacíficos eſſe opórtet Dei filios, corde mites, ſermóne símplices, affectióne concórdes, fidéliter ſibi unanimitátis néxibus cohæréntes. Hæc unanímitas ſub Apóſtolis olim fuit: ſic novus credéntium pópulus Dómini mandáta cuſtódiens, caritátem ſuam ténuit. Probat Scriptúra divína, quæ dicit: Turba autem eórum qui credíderant, ánimâ & mente unâ agébant. Et íterùm: Et erant perſeverántes omnes unánimes in oratióne. Et ídeò quia efficácibus précibus orábant, ídeò impetráre cum fidúcia póterant quodcúmque de Dómini miſericórdia poſtulábant. In nobis verò ſic unanímitas diminúta eſt, ut & lárgitas operatiónis infrácta eſt.

℟. *ix.* Beneplácitum eſt Dómino in pópulo ſuo; & exaltábit manſuétos in ſalútem. * Exultábunt Sancti in glória: lætabúntur in cubílibus ſuis: exaltatiónes Dei in gútture eórum. *Pſ.* 149. 4. 5. 6. ℣. Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno. *Apoc.* 7. 10. * Exultábunt. Glória. *Reſumitur* ℟. Beneplácitum.

Te Deum.

A D L A U D E S
M A T U T I N A S.

℣. *Sacerdotalis.* Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine! ℟. In ſécula ſeculórum laudábunt te. *Pſ.* 83. 5.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 8. G. Benedícite Dómino, omnes Elécti ejus: ágite dies lætítiæ, & confitémini illi. *Tob.* 13. 10.

Ant. 4. E. Fas eſt & decet meminíſſe fratrum: lætámur ítaque de glória veſtra. 1. *Mach.* 12. 11. 12.

Ant. 7. *d.* Deus de ténebris vos vocávit in admirábile lumen ſuum. 1. *Petr.* 2. 9.

Ant. 5. C. Acceſſíſtis.

CANTICUM. *Sap. c.* 10. *v.* 17. *ad* 20.

Laudatur Deus magnificus, pro mercede reddita Sanctis.

REddidit Deus juſtis mercédem labórum ſuórum; * & dedúxit illos in via mirábili.

Et fuit illis in velaménto diéi, * & in luce ſtellárum per noctem.

Tránſtulit illos per mare rubrum; * & tranſvéxit illos per aquam nímiam.

Inimícos autem illórum demérſit in mare; * & ab altitúdine inferórum edúxit illos.

Ideò juſti tulérunt * ſpólia impiórum,

Et decantavérunt, Dómine, nomen ſanctum tuum; * & victrícem ma-

num tuam laudavérunt páriter.

Glória Patri.

Ant. Acceſsiſtis ad Sion montem, & civitátem Dei vivéntis Jerúſalem cœléſtem. *Hebr.* 12. 22.

Ant. 1. ſ. Vos genus eléctum, regále Sacerdótium, gens ſancta, pópulus acquiſitiónis. 1. *Petr.* 2. 9.

Capitulum. 2. *Cor.* 5. 4.

Qui ſumus in hoc tabernáculo, ingemíſcimus graváti; eò quòd nólumus expoliári, ſed ſuperveſtiri; ut abſorbeátur quod mortále eſt, à vita.

Hymnus.

Hymnis dum réſonat
cúria Cœlitûm,
Hîc flemus, pátriis finibus
éxules,
Hîc ſuſpénſa tenémus,
Mutis cántibus, órgana.

Quando mens míſero líbera cárcere,
Se veſtris ſóciam cœ́tibus
ínſeret!
Et calígine pulsâ,
Cœli lucem habitábimus!

Obscuræ fúgient mentis
imágines,
Cùm ſtantes própiùs lúminis ad Jubar,
Nos Verum ſine nube,
Ipſo in fonte vidébimus.

Nobis, ſancta Cohors, ſis bona: flúctibus
Luctántes médiis, quos modò réſpicis,
Da portus, duce Chriſto,
Da contíngere próſperos.

A quo cuncta fluunt, máxima laus Patri:
Qui mundum réparat, máxima Fílio:
Et quo péctora flagrant,
Sit laus máxima Flámini.
Amen.

℣. Super flúmina Babylónis, illic sédimus; ℟. Et flévimus, cùm recordarémur Sion. *Pſ.* 136. 1.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. J. A século non audiérunt, neque aúribus percepérunt, óculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparaſti expectántibus te. *Iſ.* 64. 4.

Oratio.

Omnípotens ſempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita, ſub una tríbuis Celebritáte venerári; quæſumus ut deſiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis interceſſóribus largiáris; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum.

Ad Horas, *Doxologia.*

Fons ſanctitátis, ô Deus!
Qui magna merces es nimis,
Et certa Sanctórum quies,
Jugis tibi ſit glória.
Amen.

Pſalmi de Dominicâ.

Ad Primam.

Ant. Benedícite.

Capitulum. *Rom.* 8. 30.

Quos prædeſtinávit Deus, hos & vocávit; & quos vocávit, hos & juſtificávit; quos autem juſtificávit, illos & glorificávit.

In ℟. *brevi*, ℣. Qui glorificáris in concílio Sanctórum. *Pſ.* 88. 8.

Canon proprius habetur ad calcem Breviarii.

AD TERTIAM.

Ant. Fus eſt.

Capitulum. *Hebr.* 12. 1.

TAntam habéntes impóſitam nubem téſtium, deponéntes omne pondus & circúmſtans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propóſitum nobis certámen.

℞. *breve.* Quis dabit mihi pennas, ſicut colúmbæ? * Allelúia, allelúia. ℞. Quis. ℣. Et volábo, & requiéſcam. * Allelúia. Glória. ℞. Quis. *Pſ.* 54. 7.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; ℞. Et Sancti tui benedícant tibi. *Pſ.* 144. 10.

AD SEXTAM.

Ant. Deus.

Capitul. 1. *Cor.* 13. 9. 10.

EX parte cognóſcimus, & ex parte prophetámus: cùm autem vénerit quod perféctum eſt, evacuábitur quod ex parte eſt.

℞. *breve.* Læténtur omnes qui ſperant in te, Dómine, * Allelúia, allelúia. ℞. Læténtur. ℣. In ætérnum exultábunt, & habitábis in eis. * Allelúia. Glória. ℞. Læténtur. *Pſ.* 5. 12.

℣. Vox exultatiónis & ſalútis, ℞. In tabernáculis Juſtórum. *Pſ.* 117. 15.

AD NONAM.

Ant. Vos.

Capitul. 2. *Cor.* 5. 6. 7. 8.

DUm ſumus in córpore, peregrinámur à Dómino; per fidem enim ambulámus, & non per ſpéciem. Audémus autem, & bonam voluntátem habémus magìs peregrinári à córpore, & præséntes eſſe ad Dóminum.

℞. *breve.* Quàm dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum! * Allelúia, allelúia. ℞. Quàm. ℣. Concupíſcit, & déficit ánima mea in átria Dómini. * Allelúia. Glória. ℞. Quàm. *Pſ.* 83. 2. 3.

℣. Mélior eſt dies una in átriis tuis, ℞. Super míllia. *Pſ.* 83. 11.

AD VESPERAS.

In Pſal. 115. Crédidi, propter quòd, *p.* 106.

Ant. 1. *f.* Filii Dei ſumus, & nondùm appáruit quid érimus. 1. *Joan.* 3. 2.

In Pſal. 121. Lætátus ſum, *p.* 146.

Ant. 2. *D.* Ipſíus ſumus factúra, creáti in Chriſto Jeſu, in opéribus bonis quæ præparávit Deus, ut in illis ambulémus. *Eph.* 2. 10.

In Pſal. 125. In convertendo Dóminus, *p.* 106.

Ant. 3. *a.* Sumus filii Dei: ſi autem filii, & hærédes. *Rom.* 8. 16. 17.

In Pſal. 136. Super flúmina Babylónis, *p.* 147.

Ant. 4. *E.* Ipſi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei expectántes. *Rom.* 8. 23.

In Pſal. 149. Cantáte Dómino .... * laus ejus, *p.* 109.

Ant. 5. *C:* Si quod non

vidémus, ſperámus, per patiéntiam expectámus. *Rom.* 8. 25.

Capitul. 1. *Petr.* 1. 15. 16.

SEcúndùm eum qui vocávit vos Sanctum, & ipſi in omni converſatióne ſancti ſitis, quóniam ſcriptum eſt: Sancti éritis, quóniam ego Sanctus ſum.

Hymnus.

CŒlo quos éadem glória conſecrat,
Terris vos éadem concélebrat dies:
Læti veſtra ſimul prǽmia pángimus
Duris parta labóribus.

Jam vos paſcit Amor, núdaque Véritas:
De pleno bíbitis gaúdia flúmine:
Illic perpétuam mens sátiat ſitim,
Sacris ébria fóntibus.

Altis ſecum hábitans in penetrálibus,
Se Rex ipſe ſuo contúitu beat;
Illabénſque, ſuî pródigus, íntimis
Seſe méntibus ínſerit.

Altari médio cui Deus ínſidet,
Agni fumat adhuc innócuus cruor,
Quæ mactáta Patri ſe ſemel óbtulit,
Se jugis litat Hóſtia.

Pronis turba ſenum cérnua fróntibus,
Inter tot rútili fúlgura lúminis,
Regnánti Dómino dévovet aúrea,
Quæ ponit, diadémata.

Gentes innúmeræ, conſpícuæ ſtolas
Agni purpúreo ſánguine cándidas,
Palmis læta Cohors, cántibus ǽmulis,
Ter Sanctum célebrant Deum.

Sit laus ſumma Patri, ſúmmaque Fílio:
Sit par, ſancte, tibi laus quoque, Spíritus,
Qui das pro méritis, óptimus ábiter,
Te totum ſimul ómnibus.
Amen.

℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, ℟. Quam abſcondíſti timéntibus te! *Pſ.* 30. 20.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. C. Filii ſanctórum ſumus, & vitam illam expectámus, quam Deus datúrus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo. *Tob.* 2. 18.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita, ſub una tríbuis Celebritáte venerári; quǽſumus ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis interceſſóribus largiáris; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus; Per ómnia.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Poſt ℣. Benedicámus Dómino. (*niſi ſit Sabbatum,*) *dicuntur Veſperæ de Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, ut infrà,* *p.* 469. *Quibus abſolutis, incipit Completorium de Feſto, ut ſequitur.*

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 8. c. Oculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis aſcéndit, quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum. 1. *Cor.* 2. 9.

Hymnus, Grates, perácto jam die, *p.* 158.

CAPITULUM. *Eph.* 6. 12.

Non eſt nobis colluctátio advérsùs carnem & sánguinem; ſed advérsùs príncipes & poteſtátes, advérsùs mundi rectóres tenebrárum harum, contra ſpirituália nequítiæ in cœléſtibus.

℟. *breve.* In manus.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 2. A. Vidébimus Deum sicuti eſt: & omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctíficat ſe, ſicut & ille Sanctus eſt. 1. *Joan.* 3. 2. 3.

Oratio, Illúmina, *p.* 160.

1a. Venit antiquus dierum et judicium dedit sanctis excelsi; et tempus advenit, et regnum obtinuerunt sancti — Dan. 7:22. — 2a. Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis et linguis. Ap. 7:9



3a. Stabant ante thronum et in conspectu agni, amicti stolis albis et palmae in manibus eorum — Ap. 7:9.

5a. Clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro qui sedet super thronum et agno. — Ap. 7:10.

DIE II.

IN COMMEMORATIONE *OMNIUM FIDELIUM* DEFUNCTORUM.

SOLEMNE MINUS.

Si Solemnitas hæc occurrat in Dominica, transfertur in Feriam II. & tunc poſt Veſperas de Dominica, dicuntur Veſperæ de Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, ut infrà.

Vesperæ *& reliquum Officium incipiuntur abſolutè ſinè* ℣. Deus, in adjutórium.

In fine Pſalmorum non dicitur ℣. Glória Patri: *ſed ejus loco dicitur:*

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; * & lux perpétua lúceat eis.

AD VESPERAS.

In Pſal. 114. Diléxi, quóniam, *p.* 146.

Ant. 3. c. Præcépit Adæ Deus, dicens: Ex omni ligno paradíſi cómede; de ligno autem ſciéntiæ boni & mali ne cómedas. *Gen.* 2. 16. 17.

In Pſal. 119. Ad Dóminum, cùm tribulárer, *p.* 68.

Ant. 2. D. In quocúmque díe coméderis ex eo, morte moriéris. *Gen.* 2. 17.

In Pſal. 120. Levávi óculos meos, *p.* 69.

Ant. 8. d. Múlier tulit de fructu ligni, & comédit; dedítque viro ſuo, qui comédit. *Gen.* 3. 6.

In Pſal. 129. De profúndis clamávi, *p.* 126.

Ant. 3. b. Adæ dixit Deus: In ſudóre vultûs tuí veſcéris pane, donec revertáris in terram de qua ſumptus es. *Gen.* 3. 19.

In Pſal. 137. Confitébor tibi, Dómine....* quóniam audíſti, *p.* 47.

Ant. 2. D. Invídiâ diáboli, mors introívit in orbem terrárum. *Sap.* 2. 24.

℟. Meménto quæ ante te fuérunt, & quæ ſuperventúra ſunt tibi: * Hoc judícium à Dómino omni carni. *Eccli.* 41. 5. ℣. In omnes hómines mors pertránſiit, in quo omnes peccavérunt. *Rom.* 5. 12. * Hoc judícium. *Reſumitur* ℟. Meménto.

℣. Homo vanitáti símilis factus eſt: ℟. Dies ejus

ſicut umbra præteréunt. *Pſ.* 143. 4.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. 2. Ibit homo in domum æternitátis ſuæ; & circuíbunt in platéa plangéntes. *Eccle.* 12. 5.

Finitâ Antiphonâ, dicitur, Dóminus vobíſcum, *deinde Oratio;* Fidélium, *infrà, ad Laudes, p. 477. & immediatè poſt Concluſionem.*

℣. Requiéſcant in pace.
℟. Amen.

Completorium, *ut ſuprà, in Feſto omnium Sanctorum, p. 467.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Deum cui omnes vivunt, * Veníte, adorémus. *Luc.* 20. 38.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu ſolemni.*

In fine Pſalmorum, loco Glória Patri, *dicitur* Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; * & lux perpétuâ lúceat eis.

IN I. NOCTURNO.

In Pſal. 5. Verba mea aúribus pércipe, *p.* 64.

Ant. 1. 2. Homo natus de mulíere, brevi vivens témpore, replétur multis miſériis. *Job.* 14. 1.

In Pſal. 6. Dómine, ne in furóre tuo árguas me, *p.* 50.

Ant. 4. f. Quaſi flos egréditur, & contéritur; & fugit velut umbra. *Job.* 14. 2.

In Pſal. 12. Uſquequò, Dómine, *p.* 71.

Ant. 2. D. Homo, cùm mórtuus fúerit, & nudátus, atque consúmptus, ubi, quæſo, eſt? *Job.* 14. 10.

℣. Exaúdi, Dómine, oratiónem meam; ℟. Ad te omnis caro véniet. *Pſ.* 64. 3.

Pater noſter, *totum ſecretò.*

Lectiones leguntur ſinè Benedictionibus, nec additur in fine, Tu autem, *nec quidquam aliud.*

De Libro Job.

Lectio I. *c.* 14. *v.* 13. *ad fin.*

QUis mihi hoc tríbuat, ut in inférno prótegas me, & abſcóndas me, donec pertránſeat furor tuus, & conſtítuas mihi tempus in quo recordéris meî? Putáſne mórtuus homo rurſùm vivat? Cunctis diébus quibus nunc mílito, expécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, & ego reſpondébo tibi: óperi mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem greſſus meos dinumeráſti: ſed parce peccátis meis. Signáſti quaſi in sácculo delícta mea: ſed curáſti iniquitátem meá. Mons cadens défluit, & ſaxum transfértur de loco ſuo: lápides excavánt aquæ, & alluvióne paulátim terra consúmitur: & hóminem ergo ſimíliter perdes. Roboráſti eum paululùm, ut in perpétuum transíret: immutábis fáciem ejus, & emíttes eum. Sive nóbiles fúerint fílii ejus, ſive ignóbiles, non intélliget. Attamen caro ejus, dum vivet,

dolébit : & ánima illíus ſuper ſemetípſo lugébit.

℟. *j.* Futúra témpora oblivióne cuncta páriter opérient. * Móritur doctus ſimíliter ut indóctus. *Eccle.* 2. 16. ℣. Per unum hóminem, peccátum in hunc mundum intrávit, & per peccátum, mors. *Rom.* 5. 12. * Móritur.

Lectio II. *c.* 19. *v.* 7. *ad* 16.

Ecce clamábo vim páriens, & nemo aúdiet : vociferábor, & non eſt qui júdicet. Sémitam meam circumſépſit, & transíre non poſſum : & in calle meo ténebras póſuit. Spoliávit me glóriâ meâ : & ábſtulit corónam de cápite meo. Deſtrúxit me úndique, & péreo : & quaſi evúlſæ árbori, ábſtulit ſpem meam. Irátus eſt contra me furor ejus : & ſic me hábuit quaſi hoſtem ſuum. Simul venérunt latrónes ejus, & fecérunt ſibi viam per me : & obſedérunt in gyro tabernáculum meũ. Fratres meos longè fecit à me : & noti mei quaſi aliéni receſsérunt à me. Dereliquérunt me propínqui mei : & qui me nóverant, oblíti ſunt meî. Inquilíni domûs meæ & ancíllæ meæ, ſicut aliénum habuérunt me : & quaſi peregrínus fui in óculis eórum. Servum meum vocávi, & non reſpóndit : ore próprio deprecábar illum.

℟. *ij.* Omnia tempus habent ; & * Suis ſpátiis tránſeunt univérſa ſub cœlo : tempus naſcéndi, & tempus moriéndi. *Eccle.* 3. 1. 2. ℣. Judícium quidem ex uno in condemnatiónem. *Rom.* 5. 16. * Suis.

Lectio III. *c.* 23. *v.* 8. *ad* 15.

Si ad Oriéntem íero, non appáret : ſi ad Occidéntem, non intélligam eum. Si ad ſiníſtram, quid agam ? non apprehéndam eum : ſi me vertam ad déxteram, non vidébo illum. Ipſe verò ſcit viam meam, & probávit me quaſi aurum quod per ignem tranſit. Veſtígia ejus ſecútus eſt pes meus : viam ejus cuſtodívi, & non declinávi ex ea. A mandátis labiórum ejus non recéſſi : & in ſinu meo abſcóndi verba oris ejus. Ipſe enim ſolus eſt, & nemo avértere poteſt cogitatiónem ejus : & ánima ejus quodcúmque vóluit, hoc fecit. Cùm expléverit in me voluntátem ſuam, & ália multa ſimília præſtò ſunt ei. Et idcircò à fácie ejus turbátus ſum, & consíderans eum, timóre ſollícitor.

℟. *iij.* Ne ſpernas hóminem in ſua ſenectúte : étenim ex nobis ſenéſcunt. * Noli de mórtuo inimíco tuo gaudére, ſciens quóniam omnes mórimur. *Eccli.* 8. 7. 8. ℣. Ecce Judex ante jánuam aſsíſtit. *Jac.* 5. 7. * Noli. *Reſumitur* ℟. Ne ſpernas.

IN II. NOCTURNO.

In Pſal. 22. Dóminus regit me, *p.* 105.

Ant. 6. F. Homo, cùm dormíerit, non resúrget, donec atterátur cœlum. *Job.* 14. 12.

In Pſal. 24. Ad te, Dómine, levávi, *p.* 101.

Ant. 8. G. Sicut in Adam omnes moriúntur, ità & in Chriſto omnes vivificabúntur. 1. *Cor.* 15. 22.

In diviſ. Pſal. 24. Univérſæ viæ Dómini, *p.* 102.

Ant. 2. D. Canet tuba; & mórtui resúrgent incorrúpti, & nos immutábimur. 1. *Cor.* 15. 52.

℣. Non derelínques, Dómine, ánimam meam in inférno: ℟. Nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem. *Pſ.* 15. 10.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 172. *De verbis Apoſt.* n. 1.

LECTIO IV.

ADmonet nos beátus Apóſtolus, ut de dormiéntibus, hoc eſt, mórtuis cariſſimis noſtris, non contriſtémur, ſicut & cœteri qui ſpem non habent, ſpem ſcilicet reſurrectiónis & incorruptiónis ætérnæ. Nam ideò & dormiéntes eos appéllat Scriptúræ veracíſſima conſuetúdo: ut cùm dormiéntes audímus, evigilatúros mínimè deſperémus. Unde étiam cantátur in Pſalmo: Nunquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat? Eſt ergo de mórtuis, eis qui diligunt, quædam triſtitia quodámmodo naturális: mortem quippe horret, non opínio, ſed natúra: nec mors hómini accíderet, niſi ex pœna quam præcéſſerat culpa. Quaprópter ſi animália quæ ità creáta ſunt, ut ſuo quæque témpore moriántur, mortem fúgiunt, díligunt vitam, quantò magìs homo, qui ſic fúerat creátus, ut ſi vívere ſinè peccáto voluíſſet, ſinè término víveret? Hinc ítaque necéſſe eſt ut triſtes ſimus, quando nos moriéndo déſerunt quos amámus: quia etſi nóvimus eos non in ætérnum relínquere nos mansúros, ſed aliquántùm præcédere ſecutúros, tamen mors ipſa quam natúra réfugit, cùm óccupat diléctum, contríſtat in nobis ipsíus dilectiónis afféctum. Ideò non admónuit Apóſtolus, ut non contriſtémur: ſed non ſicut cœteri qui ſpem non habent.

℟. iv. Vivent mórtui tui, interfécti mei resúrgent. * Expergiſcímini & laudáte, qui habitátis in púlvere. *Iſ.* 26. 19. ℣. Deus, eos qui dormiérunt per Jeſum, addúcet cum eo. 1. *Theſſ.* 4. 13. * Expergiſcímini.

LECTIO V. n. 1. 2.

COntriſtámur ergo nos, in noſtrórum mórtibus, neceſſitáte amitténdi, ſed cum ſpe recipiéndi. Inde ángimur, hinc conſolámur: inde infírmitas ifficit, hinc fides réficit: inde dolet humána condítio, hinc ſa-

nat divína promíſſio. Proínde pompæ fúneris, ágmina exequiárum, ſumptuóſa diligéntia ſepultúræ, monumentórum opuléntа conſtrúctio, vivórum ſunt qualiacúmque ſolátia, non adjutória mortuórum. Oratiónibus verò ſanctæ Eccléſiæ, & Sacrificio ſalutári, & eleemóſynis quæ pro eórum ſpirítibus erogántur, non eſt dubitándum mórtuos adjuvári: ut cum eis miſericórdiùs agátur à Dómino, quàm eórum peccáta meruérunt. Hoc enim à pátribus tráditum univérſa obſérvat Eccléſia: ut pro eis qui in Córporis & Sánguinis Chriſti communióne defúncti ſunt, cùm ad ipſum Sacrificium loco ſuo commemorántur, orétur, ac pro illis quoque id offérri commemorétur. Cùm verò eórum commendandórum causâ, ópera miſericórdiæ celebrántur, quis eis dúbitet ſuffragári, pro quibus oratiónes Deo non inániter allegántur? Non omnínò ambigéndum eſt iſta prodéſſe defúnctis: ſed tálibus qui ità víxerint ante mortem, ut poſſint eis hæc utília eſſe poſt mortem. Nam qui ſinè fide quæ per dilectiónem operátur, ejúſque Sacraméntis, de corpóribus exiérunt, fruſtrà illis à ſuis hujúſmodi pietátis impendúntur officia, cujus, dum hîc eſſent, pígnore caruérunt, vel non ſuſcipiéntes, vel in vácuum ſuſcipiéntes Dei grátiam, & ſibi non miſericórdiam theſaurizántes, ſed iram.

℞. ℣. Hæc dicit Dóminus Deus óſſibus his: * Ecce ego intromíttam in vos ſpíritum, & vivétis. *Ezech.* 37. 5. ℣. Mórtui aúdient vocem Fílii Dei; & qui audíerint, vivent. *Joan.* 5. 25. * Ecce ego

LECTIO VI. n. 2. 3.

NOn ergo mórtuis nova mérita comparántur, cùm pro eis boni áliquid operántur ſui: ſed eórum præcedéntibus conſequéntia iſta redúntur. Non enim actum eſt, niſi cùm hîc víverent, ut eos hæc áliquid adjuvárent, cùm hîc vívere deſtitiſſent. Et ídeò iſtam fíniens quiſque vitam, niſì quod méruit in ipſa, non póterit habére poſt ipſam. Permittántur ítaque pia corda carórum, de ſuórum mórtibus contriſtári, dolóre ſanábili: & conſolábiles lácrymas fundant, conditióne mortáli, quas citò réprimat fídei gaúdium, quâ credúntur Fidéles, quando moriúntur, paúlulùm à nobis abíre & ad melióra transíre. Conſoléntur eos étiam fratérna obſéquia, ſive quæ funéribus exhibéntur, ſive quæ doléntibus adhibéntur: ne ſit juſta queréla dicéntium: Suſtínui qui ſimul contriſtarétur, & non fuit; & conſolántes, & non invéni. Sit pro víribus cura

ſepeliéndi & ſepúlcra conſtruéndi : quia & hæc in Scriptúris ſanctis inter bona ópera deputáta ſunt : nec ſolùm in corpóribus Patriarchárum aliorúmque Sanctórum, & humánis cadavéribus quorumcúmque jacéntium : verùm étiam in ipsíus Dómini córpore, prædicári atque collaudári ſunt, qui iſta fecérunt. Impleant hæc hómines erga ſuos officia poſtrémi múneris, & ſui humáni leniménta mœróris : verùm illa quæ ádjuvant ſpíritus defunctórum, oblatiónes, oratiónes, erogatiónes, multò pro eis obſervántiùs, inſtántiùs, abundántiùs impéndant, qui ſuos, carne non ſpíritu mórtuos, non ſolùm carnáliter, ſed étiam ſpirituáliter amant.

℟. vj. Clamávi ad te, Dómine; dixi : * Tu es ſpes mea, pórtio mea in terra vivéntium. *Pſ.* 141. 6. ℣. Semper cum Dómino érimus : itaque conſolámini ínvicem in verbis iſtis. 1. *Theſſ.* 4. 16. 17. * Tu es. *Reſumitur* ℟. Clamávi.

IN III. NOCTURNO.

In Pſal. 26. Dóminus illuminátio mea, *p.* 95.

Ant. 3. g. Statútum eſt homínibus ſemel mori, poſt hoc autem, judícium. *Hebr.* 9. 27.

In diviſ. Pſal. 26. Exáudi, Dómine, *p.* 96.

Ant. 8. G. Omnes qui in monuméntis ſunt, aúdient vocem Fílii Dei. *Joan.* 5. 28.

In Pſal. 42. Júdica me, Deus, *p.* 101.

Ant. 5. a. Tunc reddet unicuíque, ſecúndùm ópera ejus. *Matt.* 16. 27.

℣. Novit Dóminus viam juſtórum; ℟. Et iter impiórum períbit. *Pſ.* 1. 6.

De Epiſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio VII. *c.* 15. *v.* 36. *ad* 44.

Dicet áliquis : Quómodo resúrgunt mórtui ? qualíve córpore vénient ? Insípiens, tu quod séminas, non vivificátur, nisi priùs moriátur. Et quod séminas, non corpus quod futúrum eſt, séminas, ſed nudum granum, ut putà trítici, aut alicújus cœterórū. Deus autem dat illi corpus ſicut vult, & unicuíque séminum, próprium corpus. Non omnis caro, éadem caro, ſed ália quidem hóminum, ália verò pécorum, ália vólucrum, ália autem píſcium. Et córpora cœléſtia, & córpora terréſtria : ſed ália quidem cœléſtium glória, ália autem terréſtrium. Alia cláritas ſolis, ália cláritas lunæ, & ália cláritas ſtellárum : ſtella enim à ſtella differt in claritáte : ſic & reſurréctio mortuórum. Seminátur in corruptióne, ſurget in incorruptióne. Seminátur in ignobilitáte, ſurget in glória. Seminátur in infirmitáte, ſurget in virtúte. Seminátur

corpus animále, ſurget corpus ſpiritále.

℟. *vij.* Servatórem ánimæ tuæ nihil fallit, * Reddétque hómini juxta ópera ſua. *Prov.* 24. 12. ℣. Congregabúntur ante eum omnes gentes. *Matt.* 25. 32. * Reddétque.

LECTIO VIII. *v.* 44. *ad* 50.

SI eſt corpus animále, eſt & ſpiritále, ſicut ſcriptum eſt : Factus eſt primus homo Adam in ánimam viventem, noviſſimus Adam in ſpíritum vivificántem. Sed non priùs quod ſpiritále eſt, ſed quod animále, deínde quod ſpiritále. Primus homo de terra, terrénus : ſecúndus homo de cœlo, cœléſtis. Qualis terrénus, tales & terréni : & qualis cœléſtis, tales & cœléſtes. Igitur, ſicut portávimus imáginem terréni, portémus & imáginem cœléſtis. Hoc autem dico, fratres, quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidére non poſſunt, neque corrúptio incorruptélam poſſidébit.

℟. *viij.* Conſiderábat Judas quòd hi qui cum pietáte dormitiónem accéperant, óptimam habérent repóſitam grátiam : * Sancta ergo & ſálubris eſt cogitátio pro defúnctis exoráre, ut à peccátis ſolvántur. 2. *Mach.* 12. 45. 46. ℣. Non ſit ſchiſma in córpore : ſed idípſum pro ínvicem ſollícita ſint membra. 1. *Cor.* 12. 25. * Sancta ergo.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO IX. *c.* 5. *v.* 25. *ad* 29.

Reſurrectio futura & judicium.

DIxit Jeſus Judǽis : Amen, amen dico vobis, Quia venit hora, & nunc eſt, quando mórtui aúdient vocem Fílii Dei. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lib. de cura gerenda pro mortuis. n. 22.

NOn exiſtimémus ad mórtuos pro quibus curam gérimus, perveníre, niſi quod pro eis, ſive altáris, ſive oratiónum, ſive eleemoſynárum Sacrifíciis ſolémniter ſupplicámus : quamvis non pro quibus fiunt, ómnibus proſint, ſed iis tantùm quibus dum vivunt, comparátur ut proſint. Sed quia non diſcérnimus qui ſint, opórtet ea pro regenerátis ómnibus fácere, ut nullus eórum prætermittátur, ad quos hæc beneficia poſſint & débeant perveníre. Méliùs enim ſupérerunt iſta eis quibus nec obſunt nec proſunt, quàm eis déerunt, quibus proſunt. Diligéntiùs tamen facit hæc quiſque pro neceſſáriis ſuis, quò pro illo fiant ſimíliter à ſuis.

℣. *ix.* Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me, & de profúndis aquárum : * Non me demérgat tempéſtas aquæ, neque ab-

ſórbeat me profúndum, neque úrgeat ſuper me púteus os ſuum: exaúdi me, Dómine, quóniam benígna eſt miſericórdia tua. *Pſ.* 68. 15. 16. 17. ℣. Miſerére meî, Dómine, Fili David. *Matt.* 15. 22. * Non. *Reſumitur* ℟. Líbera.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Memor eſto, Dómine, congregatiónis tuæ, ℟. Quam poſſedíſti ab inítio. *Pſ.* 73. 2.

In Pſal. 40. Beátus qui intélligit, *p.* 138.

Ant. 6. F. Quis non timébit te, Dómine, & magnificábit nomen tuum? quia ſolus pius es. *Apoc.* 15. 4.

In Pſal. 50. Miſerére meî, Deus, * ſecúndùm, *p.* 149.

Ant. 8. d. Convértere, Dómine, propter ſervos tuos, tribus hæreditátis tuæ. *Iſ.* 63. 17.

In Pſal. 64. Te decet hymnus, Deus, *p.* 94.

Ant. 7. c. Parce, Dómine, parce pópulo tuo: & ne des hæreditátem tuam in oppróbrium. *Joël.* 2. 17.

Ant. 4. c. Quis.

CANTICUM BARUCH.

c. 3. *v.* 1. *ad* 6.

Obſecratur Dei miſericordia, pro peccatis tùm viventium, tùm defunctorum.

DOmine omnípotens, Deus Iſraël, * ánima in angúſtiis, & ſpíritus ánxius clamat ad te.

Audi, Dómine, & miſerére, quia Deus es miséricors, & miſerére noſtrî; * quia peccávimus ante te.

Quia tu ſedes in ſempitérnum, * & nos períbimus in ævum?

Dómine omnípotens Deus Iſraël, * audi nunc oratiónem mortuórum Iſraël,

Et filiórum ipsórum qui peccavérunt ante te, & non audiérunt vocem Dómini Dei ſui; * & agglutináta ſunt nobis mala.

Noli meminiſſe iniquitátum patrum noſtrórum; * ſed meménto manûs tuæ & nóminis tui, in témpore iſto:

Quia tu es Dóminus Deus noſter; * & laudábimus te, Dómine.

Réquiem ætérnam.

Ant. Quis poteſt fácere mundum, de immúndo concéptum sémine? nónne tu qui ſolus es? *Job.* 14. 4.

In Pſal. 150. Laudáte Dóminum in ſanctis, *p.* 12.

Ant. 5. a. Recéde paúlulùm ab eo, ut quiéſcat, donec optáta véniat, ſicut mercenárii, dies ejus. *Job.* 14. 6.

℣. Credo vidére bona Dómini, ℟. In terra vivéntium. *Pſ.* 26. 13.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D. * Virtúti bráchii tui, Dómine, quis resíſtet? quóniam tanquam moméntum ſtatéræ, ſic eſt ante te orbis terrárum, & tanquam gutta roris antelucáni, quæ deſcéndit in terram. *Sap.* 11. 22. 23.

℣. Dóminus vobíſcum;
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

Fidélium, Deus, ómnium Cónditor & Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remiſſiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequántur; Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitáte Spíritûs ſancti, Deus; Per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Et continuò, ſinè Dóminus vobíſcum, *dicitur* ℣. Requiéſcant in pace. ℟. Amen.

Ad Horas, *Pſalmi de Dominica, excepto Pſalmo* 117. Confitémini Dómino, *ad Primam, cujus loco dicitur Pſalmus* 53. Deus, in nómine tuo, *p.* 105. *Dicuntur autem tono recto, & in fine cujuſlibet Pſalmi additur* ℣. Réquiem ætérnam, &c.

Oratio, Fidélium, *ſuprà.*

Ad Primam, *dictis Oratione, &* ℣. Requiéſcant in pace, *omiſſo Officio Capituli, legitur Canon proprius, nullâ præmiſſâ Benedictione, & in fine non dicitur*, Tu autem.

Canon *proprius habetur ad calcem Breviarii.*

Officium Defunctorum terminatur ad Nonam, quæ dicitur horâ conſuetâ.

Vesperæ, *de Octava omnium Sanctorum.*

DIEBUS INTRA OCTAVAM OMN. SANCTORUM.

Quæ eſt tertii Ordinis.

Omnia ut in Die, exceptis quæ ſequuntur.

Pſalmi de Feria.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invit. dicitur ritu ſimp.

Tres Antiphonæ, ℣. *&* ℟℟℟. *ex Nocturno Feſti, ſecundùm Feriam.*

Duæ priores Lectiones de Scriptura occurrente, duabus poſterioribus in unam junctis. Tertia Lectio propria, ut infrà.

Non dicitur ℣. Glória Patri, *niſì in fine ultimi* ℟. *cujuſque Noct. quod reſumitur tantùm à Reclamatione.*

AD LAUDES MATUTINAS.

Ant. ſola. 5. a. Erit vobis hoc legítimum ſempitérnum, ut orétis pro filiis Iſraël. *Levit.* 16. 34.

AD VESPERAS.

Ant. ſola. 3. *a.* Agnus Dóminus dominórum eſt, & Rex regum, & qui cum illo ſunt, vocáti, elécti & fidéles. *Apoc.* 17. 14.

Dominica *intra Octavam occurrente, totum Officium fit de Dominica, ut in Pſalterio, & Proprio de Tempore, incipiendo à primis Veſperis, quæ ſunt integræ de Sabbato ante Dominicam occurrentem. Fit Commemoratio Octavæ in utriſque Veſperis & Laudibus, ſed ſinè Lectione.*

Si dies Octava ſit Dom. Officium Octavæ anticipatur, & de eo ſit in Sabbato.

Die III.

De Octava.

Sermo venerábilis Bedæ Presbýteri.

De omnib. Sanct. Homil. 18. inter Æſtiv. de Sanctis.

Lectio III.

Legimus in Eccleſiáſticis hiſtóriis, quòd ſanctus Bonifácius, qui quartus à beáto Gregório, Románæ urbis Epiſcopátum tenébat, ſuis précibus à Phoca Cǽſare impetráverit, donári Ecclésiæ Chriſti templum Romæ, quod ab antíquis Pántheon antè vocabátur, quia hoc quaſi ſimulácrum ómnium viderétur eſſe deórum: ex quo elimináta omni ſpurcítia, fecit Ecclésiam ſanctæ Dei Genitrícis atque ómnium Mártyrum Chriſti: ut exclúsâ multitúdine dǽmonum, multitúdo ibi Sanctórum à Fidélibus in memória haberétur, & plebs univérſa in cápite Calendárum Novémbrium, ad Ecclésiam in honóre ómnium Sanctórum conſecrátam convenítet, ibíque Miſsárum Solemnitáte à Prǽſule Sedis Apoſtólicæ celebrátâ, omnibúſque ritè peráctis, unuſquíſque in ſua cum gáudio remeáret. Ex hac ergo conſuetúdine ſanctæ Románæ Ecclésiæ, creſcénte Religióne Chriſtiánâ, decrétum eſt, ut in Ecclésiis Dei quæ per orbem terrárum longè latéque conſtruúntur, honor & memória ómnium Sanctórum, in die quâ prædíximus, haberétur: ut quidquid humána fragílitas per ignorántiam vel negligéntiam, ſeu per occupatiónem rei ſeculáris, in Solemnitáte Sanctórum minùs plenè peregíſſet, in hac obſervatióne ſolverétur: quáteus eórum patrocíniis protécti, ad ſupérna polórum gáudia perveníre valeámus.

Die IV.

De Octava.

Sermo ſancti Cypriáni Epíſcopi & Mártyris.

Lib. de Mortalitate.

Lectio III.

Amplectámur diem qui aſsígnat ſingulos domicílio ſuo, qui nos iſthinc eréptos, & láqueis ſeculáribus exſolútos, paradíſo reſtítuit & regno. Quis non, péregrè conſtitútus, properáret in pátriam régredi? Quis non, ad ſuos navigáre feſtínans, ventum proſperum cupídiùs optáret, ut velóciter caros licéret ampléctí? Pátriam noſtram paradíſum computámus; paréntes Patriárchas habére jam cœpimus: quid non properámus & cúrrimus, ut pátriam noſtram vidére, ut paréntes ſalutáre poſsímus? Magnus illic nos carórum númerus expéctat: paréntum, fratrum, filiórum frequens nos & copióſa turba deſíderat, jam de ſua

(a) 4 S. Caroli – duplex minus – infra – h 85 –

incolumitáte ſecúra, & adhuc de noſtra ſalúte ſollícita. Ad horum conſpéctum & compléxũ veníre, quanta & illis & nobis in commúne lætítia eſt! Qualis illic cœléſtium regnórum volúptas, ſinè timóre moriéndi, & cum æternitáte vivéndi, quàm ſumma & perpétua felícitas!

DIE V.

DE OCTAVA.

Sermo ſancti Cleméntis Papæ & Mártyris.

Epiſt. I. ad Cor. Cap. 35.

LECTIO III.

QUàm beáta ſunt & mirabília dona Dei, diléćti! Vita in immortalitáte, ſplendor in juſtítia, véritas in libertáte, fides in confidéntia, continéntia in ſanctitáte: & hæc ómnia ſub intelléctum noſtrum cadunt. Quænam ígitur ſunt quæ præſtolántibus apparántur? Sanctíſſimus Opífex & Pater ſeculórum, quantitátem, & pulchritúdinem, excellentiámque illórum cognóſcit. Nos ígitur ſummo ſtúdio contendámus in número expectántium eum reperíri, ut partícipes fiámus donórum repromiſsórum. Quómodo autem evéniet iſtud, dilécti? Si mens noſtra in Deum fide ſtabilíta fúerit; ſi plácita illi & accépta exquiſivérimus: ſi perfecérimus quæ ad inculpátam ejus voluntátem pértinent, & ſecúti fuérimus viam veritátis, abjiciéntes à nobis omnem injuſtítiam & iniquitátem, avarítiam, contentiónes, malignitátes & fraudes, ſuſúrros & obtrectatiónes, ódium Dei, ſupérbiam & oſtentatiónem, inánem glóriam, atque amórem vanitátis. Qui enim iſta fáciunt, odióſi Deo ſunt: neque ſolùm qui ea fáciunt, ſed étiam qui conséntiunt illis.

DIE VI.

DE OCTAVA.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

De Martyr. quod aut imitandi ſint, aut non laudandi.

LECTIO III.

QUi Sanctórum mérita religióſâ caritáte mirátur, quíque Juſtórum glórias frequénti laude collóquitur, eórum mores ſanctos atque juſtítiam imitétur: quóniã quem deléctat ſancti alicújus méritum, delectáre debet par circa Dei cultum obſéquium. Quare, aut imitári debet, ſi laudat; aut laudáre non debet, ſi imitári detréctat: ut qui álium laudat, laudábilem ſe reddat; & qui Sanctórum mérita admirátur, mirábilis ipſe vitæ ſanctitáte reddátur. Nam ſi proptéreà juſtos fideléſque dilígimus, quòd in ipſis juſtítiam fidémque ſuſpícimus, póſſumus nos quoque eſſe quod ſunt, ſi faciámus ipſi quod fáciunt. Neque enim difficilè nobis eſt, quod ab ipſis géritur, imitári, cùm ſinè præcedénti

exémplo, ab antíquis tália geſta conſpícimus, ut non ipſi aliórum ǽmuli redderéntur, ſed æmulándæ virtútis ſeípſos nobis præbérent exémplum: ut dum nos ex ipſis & ex nobis álii profíciunt, ſic Chriſtus in ſuis ſemper ſervis in Eccléſia ſancta laudétur.

DIE VII.

DE OCTAVA.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lib. 12. De Geneſi ad litt. n. 54.

LECTIO III.

IN cœlo virtútes ánimæ non ſunt operóſæ ac laborióſæ. Neque enim ópere temperántiæ, libído frænátur: aut ópere fortitúdinis, tolerántur advérſa: aut ópere juſtítiæ, iníqua puniúntur: aut ópere prudéntiæ, mala devitántur. Una ibi & tota virtus eſt, amáre quod vídeas: & ſumma felícitas, habére quod amas. Ibi enim beáta vita in fonte ſuo bíbitur: inde aſpérgitur áliquid huic humánæ vitæ: ut in tentatiónibus hujus séculi, temperánter, fórtiter, juſtè, prudentérque vivátur. Propter illud quippe adipiſcéndum, ubi ſecúra quies erit, & ineffábilis víſio veritátis, labor ſuſcípitur, & continéndi à voluptáte, & ſuſtinéndi adverſitátes, & ſubveniéndi indigéntibus, & reſiſténdi decipiéntibus. Ibi *vidétur cláritas Dómini: non per viſiónem* ſignificántem, ſive corporálem, ſicut viſa eſt in monte Sina, ſive ſpiritálem, ſicut vidit Iſaías, vel Joánnes in Apocalýpſi: ſed per ſpéciem, non per ænígmata, quantùm eam cápere mens humána poteſt, ſecúndùm aſſuméntis Dei grátiam, ut os ad os loquátur ei quem dignum tali Deus collóquio fécerit, non os córporis, ſed mentis.

DIE VIII.

IN OCTAVA OMN. SANCTORUM, ET VENERATIONE OMNIUM SS. RELIQUIARUM ECCLESIÆ ET DIŒCESIS NANNETENSIS.

Duplex minus.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 1. toni D.

REvelábit terra ſánguinem ſuum, & non opériet ultrà interféctos ſuos. *Iſ. 26. 21.*

Ant. 6. F. Radix Juſtórum non commovébitur. *Prov. 12. 3.*

Ant. 5. a. Glória eórum non derelinquétur. *Eccli. 44. 13.*

Ant. 2. D. Sit memória illórum in benedictióne, & oſſa eórum púllulent de loco ſuo. *Eccli. 46. 14.*

Ant 4. E. Nomen eórum permáneat in ætérnum, pérmanens ad fílios illórum. *Eccli. 46. 15.*

CAPITULUM. *Rom. 8. 11.*

SI Spíritus ejus qui ſuſcitávit Jeſum à mórtuis, hábitat in vobis, qui ſuſcitávit Jeſum Chriſtum à mórtuis,

mórtuis, vivificábit & mortália córpora veſtra, propter inhabitántem Spíritum ejus in vobis.

H Y M N U S.

O Vos unánimes Chriſtíadum chori,
Sanctórum túmulos & Cíneres Patrum,
Dulces exúvias, pígnora Cœlitûm,
Lætis dícite cántibus.

Cœlo quando piis æqua labóribus
Felíces ánimæ gaúdia póſſident
Pœnárum sóciis débita rédditur
Hîc laus & decus óſſibus.

Passim ſparſa, Deus pollíciti memor
Cuſtos, ne péreant, pígnora cólligit;
Electóſque ſuis próvidus ággerit,
Aptándos lápides locis.

Quin & Relliquias & túmulos ſibi
Aras ipſe Deus cónſecrat Hóſtia;
Conjungénſque ſuis ſe Caput ártubus,
Hos ſecũ ſimul ímmolat.

Vos, quorum Cíneres ſupplícibus pia
Tutum præsídium plebs colit óſculis,
Si vos noſtra movent, ſubsídium, boni,
Veſtris ferte cliéntibus.

Ut cùm noſtra, novis ſplendida dótibus,
Surget juncta Choris ſpirítuum caro,
Indivíſa Trias ſit Deus ómnia
Nobis ſemper in ómnibus. Amen.

℣. Pretióſa in conſpéctu Dómini, ℟. Mors Sanctórum ejus. *Pſ.* 115. 15.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Hæc dicit Dóminus Deus: A quátuor ventis veni, ſpíritus, & inſúffla ſuper interféctos iſtos, & reviviſcant. *Ezech.* 37. 9.

Oratio, Auge in nobis, *infrà, ad Laudes, p.* 484.

Completorium, *ut in Feſto omn. Sanctor. p.* 468. *cum Pſalm. de Feria.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Mirábilem in Sanctis ſuis Dóminum, * Veníte, adorémus. *Pſ.* 67. 36.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

Hymnus, O vos unánimes, *ſuprà.*

Ant. 1. f. Vidi ſubtùs altáre ánimas interfectórum propter verbum Dei, & propter teſtimónium quod habébant. *Apoc.* 6. 9.

Ant. 2. D. Deus non eſt mortuórum, ſed vivórum; omnes enim vivunt ei. *Luc.* 20. 38.

Ant. 4. c. Fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Absórpta eſt mors in victória. 1. *Cor.* 15. 54.

℣. Non derelínquet Dóminus Sanctos ſuos: ℟. In ætérnum conſervabúntur. *Pſ.* 36. 28.

Lectio I. de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis.

℟. j. Viſi ſunt óculis inſipiéntium mori, & * Æſtimáta eſt afflíctio, éxitus illórum; & quod à nobis eſt iter, extermínium; illi autem ſunt in pace. *Sap.* 3. 2. 3. ℣. Ipſi expéctant reſurrectiónem futúram Juſtórũ. *Act.* 24. 15. * Æſtimáta.

Sermo Sancti Joánnis Chryſóſtomi.

Hom. 26. *in* 2. *ad Cor.* n. 5.

LECTIO II.

SEpúlcra Sanctórum qui Crucifixo ſerviérunt, Régias aulas ſplendóre vincunt, non magnitúdine aut pulchritúdine ædificiórum, (nam hâc parte illa súperant), ſed, quod multò majùs eſt, coëúntium ſtúdio. Nam & ille qui púrpuram geſtat, ad ſepúlcra illa ſe confert, ut ea exoſculétur: abjectóque faſtu, ſupplex ſtat, Sanctóſque óbſecrat, ut ipſi apud Deum ſibi præſídio ſint: atque ut tentoriórum opíficem, & piſcatórem, & quidem fato functos, patrónos hábeat, précibus is conténdit qui diadémate cinctus eſt. Ergóne, dic, quæſo, horum Dóminum mórtuum dícere audébis, cujus ſervi étiam defúncti, eórum qui univérſo orbi ímperant, patróni ſunt? Atque id non Romæ ſolùm fieri quíſpiam víderit, ſed étiam Conſtantinópoli. Nam & hîc quoque Conſtantínum Magnum filius ità demùm ingénti honóre ſe affectúrum exiſtimávit, ſi eum in Piſcatóris veſtíbulo cóndere t. Quódque Imperatóribus ſunt in aulis janitóres, hoc in ſepúlcro piſcatóribus ſunt Imperatóres.

℟. ij. Multæ tribulatiónes Juſtórum, & de ómnibus his liberábit eos Dóminus; * Cuſtódit Dóminus ómnia oſſa eórum; unum ex his non conterétur. *Pſ.* 33. 20. 21. ℣. Quia óculi Dómini ſuper Juſtos, & aures ejus in preces eórum. 1. *Petr.* 3. 12. * Cuſtódit.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

LECTIO III. *c.* 20. *v.* 27. *ad* 38.

Corporum Reſurrectio aſſeritur.

ACceſſérunt quidam Sadducæórum, qui negant eſſe Reſurrectiónem. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbýteri.

Adversùs Vigilantium.

DOlet Vigilántius Mártyrum Relíquias pretióſo operíri velámine, & non vel pannis vel cilício colligári, vel prójici in ſterquilínium, ut ſolus Vigilántius ébrius & dórmiens adorétur. Ergo ſacrílegi ſumus, quando Apoſtolórum Baſílicas ingrédimur? Sacrílegus fuit Conſtántius Imperátor, qui ſanctas Relíquias Andréæ, Lucæ, & Timóthei tránſtulit Conſtantinópolim, apud quas dæmones rúgiunt, & inhabitatóres Vigilántii illórum ſe ſentíre præséntiam confitétur? Sa-

crilegus dicéndus eſt & nunc Auguſtus Arcádius, qui oſſa beáti Samuélis, longo pòſt témpore, de Judǽa tránſtulit in Thráciam? Omnes Epíſcopi, non ſolùm ſacrílegi, ſed & fátui judicándi, qui rem viliſſimam & cíneres diſſolútos, in sérico & vaſe aúreo portavérunt? Mórtuum ſuſpicáris, & ídeò blaſphémas? Lege Evangélium: Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, non eſt Deus mortuórum, ſed vivéntium. Malè facit ergo Románus Epíſcopus, qui ſuper mortuórum hóminum Petri & Pauli, ſecúndùm nos, oſſa veneránda, ſecúndùm te, vilem pulvíſculum, offert Dómino ſacrifícia, & túmulos eórum Chriſti arbitrátur altária? Et non ſolùm uníus urbis, ſed totíus orbis errant Epíſcopi, qui Vigilántium contemnéntes, ingrediúntur Basílicas mortuórum, in quibus pulvis viliſſimus, & favílla, néſcio quæ, jacet linteámine convolúta, ut pollúta ómnia pólluat: & quaſi ſepúlcra Phariſáica, foris dealbáta ſint, cùm intùs immúndo cínere juxta te immúnda ómnia óleant, atque sórdeant? O porténtum in terras últimas deportándum!

℟. *iij.* Tulit Móyſes oſſa Joſeph ſecum; eò quòd adjuráſſet fílios Iſraël, dicens: * Viſitábit vos Deus; efférte oſſa mea hinc vobíſcum. *Exod.* 13. 19. ℣. Fide, Joſeph móriens de profectióne filiórum Iſraël memorátus eſt, & de óſſibus ſuis mandávit. *Hebr.* 11. 22. * Viſitábit. Glória. * Viſitábit.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Exultáte, Juſti, in Dómino: ℟. Rectos decet collaudátio. *Pſ.* 32. 1.

Ant. 1. f. Benedícite, ſpíritus & ánimæ Juſtórũ, Dómino; laudáte, & ſuperexaltáte eum in sécula. *Dan.* 3. 86.

Ant. 8. G. Membra veſtra templum ſunt Spíritûs ſancti, qui in vobis eſt. 1. *Cor.* 6. 19.

Ant. 7. d. Qui ómnium invénit oríginem, & ſpíritum vobis íterùm cum miſericórdia reddet & vitam. 2. *Mach.* 7. 23.

In Canticum, Réddidit Deus, *ut in Feſto omnium Sanctorum*, *p.* 464.

Ant. 5. C. Vidébitis, & gaudébit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba germinábunt. *Iſ.* 66. 14.

Ant. 6. F. Laudábitis nomen Dómini Dei veſtri, qui fecit mirabília vobíſcum. *Joël.* 2. 26.

CAPIT. 1. *Cor.* 15. 42. 43. 44.

SEminátur in corruptióne, ſurget in incorruptióne: ſeminátur in ignobilitáte, ſurget in glória: ſeminátur in infirmitáte, ſurget in virtúte: ſeminátur corpus animále, ſurget corpus ſpiritále.

Hymnus.

ADeste, Sancti, plúrimo
Dum thure, veſtra dum piis
Colúntur Oſſa rítibus,
Votis favéte súpplicum.

Non illa, quamquàm tríſtibus,
Imum redácta in púlverem,
Dudùm ſepúlcris ſquáleant,
Divína virtus déſerit.

Sed ſancta præsénti fovet,
Implétque templa Númine,
Sed & futúræ Spíritus
Poſt ſecla ſervat glóriæ.

Hinc ille qui noſtris latet
Cinis ſub aris cónditus,
Ægris medétur éfficax,
Torquet fugátque dæmones.

Sit ſumma, Chriſte, laus tibi,
Ventúre Judex séculi,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna sécula.
Amen.

℣. Beáta gens, cujus eſt Dóminus Deus ejus, ℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi. *Pſ.* 32. 12.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. g. Moriátur ánima mea morte Juſtórum; & fiant novíſſima mea horum ſimília. *Num.* 23. 10.

Oratio.

AUge in nobis, Dómine, reſurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris; & fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum Ciléribus pígnora venerámur; Per Dóminum.

Ad Horas, *Doxologia*, *Fons ſanctitátis*, *p.* 465.

AD PRIMAM.

Ant. Benedícite.

Capitulum. *Act.* 5. 14. 15.

AUgebátur credéntium in Dómino multitúdo virórum ac mulíerum; ità ut in platéas ejícerent infirmos, & pónerent in léctulis ac grabátis; ut veniénte Petro, ſaltèm umbra illíus obumbráret quemquam illórum, & liberaréntur ab infirmitátibus ſuis.

℟. *breve, ut in Die.*

AD TERTIAM.

Ant. Membra.

Capitul. *Act.* 19. 11. 12.

VIrtútes non quáſlibet faciébat Deus per manum Pauli: ità ut étiam ſuper lánguidos deferréntur à córpore ejus ſudária & ſemicínctia, & recedébant ab eis languóres, & ſpíritus nequàm egrediebántur.

℟. *breve.* Benedícti vos à Dómino, * Allelúia, allelúia. ℟. Benedícti. ℣. Qui fecit cœlum & terram. * Allelúia. Glória. ℟. Benedícti. *Pſ.* 113. 15.

℣. Secúndum magnitúdinem bráchii tui, Dómine, ℟. Póſſide fílios mortificatórum. *Pſ.* 78. 11.

AD SEXTAM.

Ant. Qui ómnium.

Capitulum. *Rom.* 8. 22. 23.

SCimus quòd omnis creatúra ingemíſcit & párturit uſque adhuc. Non ſolùm autem illa; ſed & nos ipſi primítias Spíritûs habéntes, & ipſi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei

expectántes, redemptiónem córporis noſtri.

℞. *breve.* Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine! * Allelúia, allelúia. ℞. Quàm. ℣. Quam abſcondíſti timéntibus te. * Allelúia. Glória. ℞. Quàm. *Pſ.* 30. 20.

℣. Non diſcédimus à te, Dómine. ℞. Vivificábis nos. *Pſ.* 79. 19.

AD NONAM.

Ant. Laudábitis.

Capitul. 1 *Cor.* 15. 41. 42.

ALia cláritas ſolis, ália cláritas lunæ, & ália cláritas ſtellárum, ſtella enim à ſtella differt in claritáte; ſic & reſurréctio mortuórum.

℞. *breve.* Dómine, ambulábunt, in lúmine vultûs tui, * Allelúia, allelúia. ℞. Dómine. ℣. Et in nómine tuo exultábunt. * Allelúia. Glória. ℞. Dómine. *Pſ.* 88. 16. 17.

℣. In ætérnum exultábunt; ℞. Et habitábis in eis. *Pſ.* 5. 12.

AD VESPERAS.

Ant. 1. D. Fidélis ſermo: nam ſi commórtui ſumus, & convivémus. 2. *Tim.* 2. 11.

Ant. 6. F. Expectátio creatúræ, revelatiónem filiórum Dei expéctat. *Rom.* 8. 19.

Ant. 2. D. Creatúra liberábitur à ſervitúte corruptiónis, in libertátem glóriæ filiórum Dei. *Rom.* 8. 21.

Ant. 4. E. Suſcitábit nos Dóminus, & vivémus in conſpéctu ejus. *Oſee.* 6. 3.

Ant. 7. G. Licèt is qui foris eſt, noſter homo, corrumpátur; tamen is qui intùs eſt, renovátur de die in diem. 2. *Cor.* 4. 16.

Capitul. 2. *Cor.* 4. 9. 10.

PErſecutiónem pátimur, ſed non derelínquimur; dejícimur, ſed non perîmus; ſemper mortificatiónem Jeſu in córpore noſtro circumferéntes, ut & vita Jeſu manifeſtétur in corpóribus noſtris.

Hymnus, Adéſte, Sancti, *ſuprà, ad Laudes, p.* 484.

℣. Juſti épuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei: ℞. Et delectentur in lætítia. *Pſ.* 67. 4.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Cùm à mórtuis reſurréxerint, neque nubent, neque nubéntur; ſed ſunt ſicut Angeli in cœlis. *Marc.* 12. 25.

Commem. de S. Carolo.

Ant. Ipſum, ℣. Beátus, *p.* xxiv. *Oratio* Eccléſiam, *infrà, p.* 487.

Completorium, *ut in Feſto omnium Sanct. p.* 468. *cum Pſalmis de Feria.*

DIE IX.

IN FESTO SANCTI CAROLI, Mediolanenſis Epiſcopi.

Duplex minus.

Omnia de Communi unius S. Pontificis, p. xxiij. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO II.

Ex ipſius vita à variis Autor. ſcript.

CArolus, Mediolàni nóbili Borromæórũ gente natus, à pueritia Clero aſ-

ſcriptus eſt. Jam ab eo témpore, patrem enixè rogávit, ne Beneficiórum, quibus donátus fúerat, provéntibus rem familiárem augére præſúmeret, quidquid ultra neceſſárium ſupereſſet, in páuperes expensúrus. Vicéſimū tértium ætátis annum agens, à Pio quarto avúnculo ſuo, in Cardinálium Collégium cooptátus, commíſſa ſibi graviſſima Eccléſiæ negótia ſummâ fide ac religióne adminiſtrávit. Mediolanénſis deínde Archiepíſcopus creátus, plúrimam óperam adhíbuit, ut juxta Concílium Tridentínum, quod ejus potiſſimùm ſollicitúdine jam tum fúerat abſolútum, Eccléſiam ſibi commíſſam compóneret. Atque ut Eccleſiáſticam diſciplínam reſtitúeret, multas, tùm Diœceſánas, tùm Provinciáles Sýnodos coégit, ipſemet exímium ſanctitátis paſtorális exémplar factus. Quo témpore peſtis Medioláni graſſabátur, doméſticam ſuppelléctilem, ne relicto ſibi quidem léctulo, in aléndos egénos cóntulit, ſuper nuda in póſterum tábula decúmbens: eóque morbo laborántes ſédulò invíſens, patérno reficiébat afféctu; & Eccléſiæ Sacraménta própriis ipſe mánibus adminíſtrans, mirum in modum ſolabátur. Humíllimis ínterim précibus reconciliátor accédens, públicâ *Supplicatióne* indíctâ, fune *ſibi ad collum* alligáto, nudis pédibus, étiam ex offendículo cruentátis, crucem bájulans, ſemetipſum pro peccátis pópuli hóſtiam ófferens, divínam indignatiónē avértere ſatagébat. Diſciplínæ reguläri inter Mónachos inſtaurándæ inténtus, cùm ex more aliquándo in priváto Oratório véſpere cum família oráret, à perditiſſimo quodam mónacho è Congregatióne Humiliatórum, ſclopo percúſſus, divínâ virtúte incólumis ſervátus eſt. Verbi Dei prædicatiónem, graviſſimis licèt curis occupátus, nunquam intermiſit. Multas Eccléſias, Monaſtéria, Seminária, Collégia ædificávit. Plúrima ſcripſit præcépta Epíſcopis potiſſimùm utiliſſima: ejúſque óperâ, Parochórum Catechíſmus pródiit. Tandem febre corréptus in ſolitúdine Varálli montis, Mediolánum revérſus eſt, ubi ingraveſcénte morbo, cínere & cilício cooperíri vóluit: oculíſque in Chriſti imáginē defíxis, migrávit in cœlū, anno ætátis quadragéſimo ſexto, Chriſti milléſimo quingentéſimo octogéſimo quarto.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 10. *v.* 11. *ad* 15.

Chriſtus Paſtor ovium.

DIxit Jeſus quibúſdam ex Phariſæis: Ego ſum Paſtor bonus: bonus Paſtor ánimam ſuam dat pro óvibus ſuis. Et réliqua.

Homília ſancti Cároli Borromǽi, Epíſcopi.

Orat. in Concil. Mediol. 1.

IN delíctis corrigéndis illa nobis ineúnda rátio eſt, ut pro vi & modo morbórum ægrotúmque natúra, medicínam accommodémus: nunc lévibus admonitiónis & objurgatiónis remédiis errára caſtigántes: nunc acrióri curatióne uténtes: dénique exulcerátis pártibus ferrum & ignem admovéntes, quemádmodùm mali rátio & caſtigatiónis perículum poſtulábit; mémores ſemper nos eſſe patres non dóminos. Morum autem diſciplínam fácilè reſtituémus, ſi quâ ratióne, quibúſve factis primùm conſtitúta, diúque conſerváta eſt, eámdem nos in reſtituénda adhibeámus, illórum veſtígia perſequéntes, qui hanc bonórum amplitúdinem nobis, Deo autóre, ſuâ virtúte peperérunt. Proponámus nobis, quæſo, illórum vitæ ſanctitátem, & in adminiſtratióne offícii ſui ſapiéntiam. Erant íntegri, caſti, símplices, modéſti, húmiles, benè moráti, in oratióne & lectióne aſsídui, ſuî deſpiciéntes, in aliénæ ſalútis cura & cogitatióne defixi, consílio & óperâ benígni, hoſpitáles, in doméſtico cultu & victu parci, in álios benéfici & liberáles. Erant vigilántes ſuper grégibus ſuis, víneam dómini ſummâ diligéntiâ & labóre coléntes & cuſtodiéntes. Paſcébant aſsíduè oves ſibi commíſſas tríplici ſalútis cibo, verbo, exémplo, & Sacraméntis.

Oratio.

ECcléſiam tuam, Dómine, ſancti Cároli Pontíficis contínuâ protectióne cuſtódi; ut ſicut illum paſtorális ſollicitúdo glorióſum réddidit, ità nos ejus intercéſſio in tuo ſemper fáciat amóre ferventes; Per Dóminum.

AD VESPERAS, *Commemoratio de ſequenti.*

Ant. Qui docti fúerint, ℣. Beátus, *p.* xxxj. *Oratio.* Deus, qui pópulo tuo. *p.* xxxiv.

DIE X.

IN FESTO S. LEONIS MAGNI, Papæ, & Eccleſiæ Doctoris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius S. Doctoris, p. xxx. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex ejus vita & operibus.

LEo, Romæ factus Diáconus, Sixto Pontífici autor fuit, ne recíperet Juliánum Pelagiánum, in communiónem Eccléſiæ súbdolè irrepéntem, ut ſedem amíſſam recuperáret. Miſſus in Gálliam, ut diſſidéntes inter ſe Aétium & Albínum Romános duces conciliáret; públicâ legatióne revocátur, ut Sixto ſuccéderet. Quatiebátur ínterim totus penè orbis Chriſtiánus váriis hære-

ticórũ tempeſtátibus. Oriéntem Neſtoriáni, Occidéntem Pelagianórum relíquiæ infeſtábant. Manichæos qui ex Africa à Vándalis devaſtáta Romam conflúxerant, cùm Cathólicæ communiónis ſpécie perfídiam ſuam tégerent, detéxit. Pelagianórum relíquias extínxit: & ad Eccléſiam redeúntes errórem ſuum, obſignátis tábulis, damnáre juſſit. Priſcillianiſtárum renaſcéntem hǽreſim proſcripſit. Quæ contra fidem in latrocínio Epheſíno acta fúerant, reſcidit. Concílio quarto Œcuménico apud Chalcédonem celebráto, per legátos ſuos præfuit. Ibi perlécta eſt illíus ad Flaviánum epíſtola, quam ad ſe miſſam Galliárum Epíſcopi ſummis laúdibus excéperant: & ab univérſis acclamátum: Petrus per Leónem ità locútus eſt. Miſſus à Valentiniáno Imperatóre ad Attilam, pacem inter eos compóſuit. Romam revérſus, Genſerico urbem invadénti perſuáſit, ut ab incéndio & cǽdibus abſtinéret. Cánonum propugnátor fuit acérrimus, múltaque ſanctè & utíliter decrévit. Plúrimis tandem functus labóribus, multíſque luculénter ſcriptis, cùm Itáliam à barbarórum vaſtatióne, & Eccléſiam ab hæreticórum labe vindicáſſet, explétis in Pontificátu vigínti & ampliùs annis, ábiit ad Dóminum, anno quadringentéſimo ſexagéſimo primo, propter pietátem, eruditiónem & res præclárè geſtas, méritò Magni nómine commendátus.

Oratio, Deus, qui pópulo tuo, *p.* xxxiv.

VESPERÆ *de ſequenti, cum Commem. de S. Leone.*

DIE XI.

IN FESTO SANCTI MARTINI, Turonenſis Epiſcopi.

Duplex majus.

Omnia de Communi unius S. Pontificis, p. xxiij. *additis quæ ſequuntur.*

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de ſcriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex variis Autor. Eccleſiaſt.

MArtínus, Sabáriæ in Pannónia, patre Tribúno mílitum natus, Pápiæ verò in Itália educátus, anno ætátis décimo, invítis paréntibus ad Eccléſiam confúgiens, inter Catechúmenos nomen dedit. Aſcríptus milítiæ, ex Imperatórum Edícto, quo veteranórum fílii ſua nómina profitéri cogebántur, ſub Conſtantíno ſtipéndia méruit. Ambiánis ad portam urbis, paúperi nudo eleemóſynam peténti, cùm nihil habéret præter arma & veſtiméntum, partem chlámydis dedit. Cui, ſequénti nocte, Chriſtus dimidiátâ illâ veſte indútus appáruit, circumſtántes Angelos ſic allocútus: Martínus adhuc Catechúme-

nus hâc me veſte contéxit. Ætáte matúrâ, póſteà baptizátus, ac relíctâ milítiâ, ſanctum Hilárium Pictaviénſem ádiit, à quo Exorciſta factus eſt, cùm priùs Diáconi Ordinem præ humilitáte recusáſſet: nec multò pòſt ad ſuos revérſus, matrem ad Chriſtum convértit.

LECTIO V.

AB Epíſcopis Ariánis, quòd ſolus penè eórum perfídiam frángeret, públicè virgis cæſus, Illýrico pulſus eſt. Eádem de cauſa, Medioláno, ubi Monaſtérium ſibi conſtrúxerat, per Auxéntium ejéctus, ſedem in Pictónibus fixit: ibíque ſub Hilário, tùm Mónachis apud Locociácum congregátis præfuit, tùm prædicatiónis lumen per omnem vicíniam ſpárgere, maximíſque miráculis, duórum imprímìs mortuórum reſurrectióne, enitére cœpit. Ordinátus deinde Turonénſis Epíſcopus, Monaſtérium ſecúndo ab urbe lápide cóndidit, in quo diſcípulos octogínta, nihil próprium habéntes congregávit; ex quibus plures póſteà Epíſcopi creáti ſunt. Non procul ab eo loco, altáre díruit, quod falsò putabátur eréctum in memóriam Mártyris. Idolórum fana dejécit, & lucos ſuccídit, non véritus aliquándo vitæ adíre diſcrímen, ut eórum cultum pénitùs aboléret.

LECTIO VI.

INjuriárum fuit patientíſſimus: ádeò ut obtrectántium ſibi peccáta plerúmque defléret. Innúmeris cláruit miráculis, quæ libris quátuor Gregórius Turonénſis compléxus eſt. Annis demùm gravis, dum Condaténſis vici Eccléſiam in ſua diœcéſi viſitáret, víribus fractum ſe séntiens, mortem ſibi imminére diſcípulis indicávit. Tum mœror & luctus ómnium unâ voce plangéntium: Cur nos, pater, déſeris? aut cui nos deſolátos relínquis? invádent enim gregem tuum lupi rapáces. Tunc ille motus his flétibus, conversúſque ad Dóminum, hâc fléntibus voce reſpóndit: Dómine, ſi adhuc pópulo tuo ſum neceſſárius, non recúſo labórem; fiat volúntas tua. Ingraveſcénte febre, in cínere & cilício decúmbens, ne vile quidem ſtramen ſibi súbjici paſſus eſt. Inſtánte jam morte, viſo dæmone: Quid hìc aſtas, inquit, cruénta béſtia? Nihil in me funéſte repéries: Abrahæ me ſinus recípiet. Eâ in voce, octogéſimo primo círciter ætátis anno, ánimam Deo réddidit.

IN III. NOCTURNO.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Philippénſes.

LECTIO VII. *c.* 1. *v.* 18. *ad* 24.

DUm omni modo, ſive per occaſiónem, ſive per veritátem, Chriſtus an-

nuntiétur, & in hoc gaúdeo, ſed & gaudébo. Scio enim quia hoc mihi provéniet ad ſalútem, per veſtram oratiónem, & ſubminiſtratiónem Spíritûs Jeſu Chriſti, ſecúndùm expectatiónem & ſpem meam, quia in nullo confúndar: ſed in omni fidúcia, ſicut ſemper, & nunc magnificábitur Chriſtus in córpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem. Mihi enim vívere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Quòd ſi vívere in carne, hic mihi fructus óperis eſt, & quid éligam, ignóro. Coárctor autem è duóbus: deſidérium habens diſsólvi, & eſſe cum Chriſto, multò magìs méliùs: permanére autem in carne, neceſsárium propter vos.

LECTIO VIII. *v.* 28. *ad fin.* & *c.* 2. *v.* 1. *ad* 4.

IN nullo terreámini ab adversáriis: quæ illis eſt cauſa perditiónis, vobis autem ſalútis, & hoc à Deo: quia vobis donátum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credátis, ſed ut étiam pro illo patiámini: idem certámen habéntes, quale & vidíſtis in me, & nunc audíſtis de me. Si qua ergo conſolátio in Chriſto, ſi quod ſolátium caritátis, ſi qua ſocíetas ſpíritûs, ſi qua víſcera miſeratiónis, impléte gaúdium meum, ut idem ſapiátis, eámdem caritátem habéntes, unánimes, idípſum ſentiéntes, nihil per contentiónem, neque per inánem glóriam: ſed in humilitáte ſuperióres ſibi ínvicem arbitrántes, non quæ ſua ſunt ſínguli conſiderántes, ſed ea quæ aliórum.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

LECTIO IX. *c.* 11. *v.* 33. *ad* 36.

Bona opera Paſtorum, lucerna populorum.

JEſus turbis cœpit dícere: Nemo lucérnam accéndit, & in abſcóndito ponit. Et réliqua.

Homília ſancti Bernárdi Abbátis.

Serm. in Feſt. S. Martini, De exempt. obed. n. 12. 13.

MArtínus lucérna erat ardens & lucens. Eum ſaltèm non pígeat imitári, ſed imitári in eo quod eſt imitábile, non autem quod mirábile exhibétur. Dives eſt iſte Martínus; dives in méritis, dives in miráculis, dives in virtútibus, dives in ſignis. Suſcitávit mórtuos; réddidit viſum cæcis, ſurdis audítum, mutis loquélam, claudis greſſum, áridis ſoſpitátem. Eváſit diviná virtúte perícula; própriì córporis óbice flammas répulit; lepróſum mundávit óſculo; curávit óleo paralýticum; dæmones vicit; Angelos vidit; futúra prævídit. Noli in his ſapórem quærere, ſed miráre ſplendórem. Cœterùm ne putáveris ornátas quidem Mar-

tíni lámpades, ſed vácuas inveníri: non eſt fátua virgo, habet in vaſis óleum: habet vinum in phíalis, habet intra parópſides iſtas cibórum cópiam, delícias útique ſpirituáles: ut non módò vídeant & miréntur, ſed edant paúperes & ſaturéntur; atque in illis quidem Dóminum laudent; porrò in his vivant corda eórum. Ut ergo ſit jucúnda decóraque laudátio in admiratióne, étiam vivant ex imitatióne: & ut avídiùs ſumant delícias, ipſas quoque divítias curióſiùs contempléntur. Sic nimirùm inter ſplendórem & fervórem lucérnæ hujus, vicáriis quibúſdam affectibus diſcurréndum, ut nobis alter ex áltero commendétur, & ex mútua collatióne úterque complacítior fiat.

Oratio.

DEus, cujus múnere beátus Martínus Póntifex in omni ópere bono abundávit, & virtútibus atque miráculis coruſcávit; præſta, ut ejus qui tibi ſoli placére ſemper ſtúduit, exémplis informémur, & précibus adjuvémur; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti.

AD VESPERAS *Commemoratio de S. Melanio*, *Ant.* Ipſum. ℣. Beátus, *p.* xxiv. *Oratio*, ~~Da Eccléſiæ~~, *p.* xxviij. Dirige —

DIE XII.
IN FESTO SANCTI MELANII, Rhedonenſis Epiſcopi.

Simplex.

Omnia de Communi unius S. Pontificis; p. xxiij. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex antiq. Ecclef. Rhedon. Monum. Bolland. Lobin. & aliis.

MElánius, in Diœcéſi Venetenſi natus, & ſincéro Chriſtiánæ pietátis lacte à téneris enutrítus, ut ſalúti ſuæ totus vacáret, monáſticæ milítiæ ſe addíxit. Sancti Amándi Rhedonénſis Epíſcopi, qui prophético afflánte Spíritu, Melánium ſibi ſucceſſórem futúrum móriens prædíxerat, locum & ſedem accépit. Cùm ſummâ valéret dicéndi facultáte, ad prædicándam fidem & extirpándas éthnicæ impietátis relíquias à Clodovéo magno accítus fuit. Quo quidem in ópere non ſinè ubérrimo fructu versátus, alter cùm ſancto Remígio Reménſi Epíſcopo Francórum Apóſtolus dici méritò poteſt. Concílio Aurelianénſi primo intérfuit: & poſt innúmera ſigna & prodígia quibus refúlſit virtus ejus mirábilis, in Monaſtérium quod apud natále ſolum extrúxerat, abdicáto Epiſcopátu, ſecéſſit, bonū ſibi réputans, quoàd ultrà víveret, præſtolári cum ſiléntio Salutáre Dei: ad quem depóſitâ mortalitáte,

ſublátus eſt, anno quingentéſimo trigéſimo. Obſéquiis ejus intérfuit cum áliis præſúlibus non paucis Marſus Nanneténſis Antíſtes.

Oratio, De Eccléſiæ, *p.* xxviij.

DIE XIII.

IN FESTO

SANCTI LEONARDI,

In territorio Lemovicenſi Solitarii.

Omnia de Communi unius S. Monachi, *p.* xliv. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex Surio, Mabill. Bolland.

LEonárdus, Clodovéo Magno regnánte, nóbili ſtirpe génitus, beáti Remígii Reménſis Epíſcopi diſcípulus fuiſſe perhibétur. Ab uno è Clodovéi filiis & ſucceſſóribus in Régiam acceríitus, mox relictâ honórum viâ, tránſtulit cogitatiónes in aulam regni cœléſtis. Itaque Aureliam proféctus, apud ſanctum Maximínum Miciacénſem Abbátem ſanctitátis famâ tunc notiſſimum, aliquándiu cum fratre Liſárdo commorátus eſt. Deínde in ſylva Lemovicénſis regiónis, vitam egit ſolitáriam : unde egréſſus, Nobiliacénſe Monaſtérium cóndidit, multóſque ex cognátis & familiáribus ad religióſi inſtitúti profeſſiónem addûxit. Piis dénique opéribus, ac præcípuè ſummâ in captívos rediméndos caritáte ſpectábilis, mórtuus eſt in Dómino, anno ut créditur, quingentéſimo quinquagéſimo nono. A Lemovícibus ad Nanneténſes tranſiérunt ſancti Solitárii venerátio & cultus; unde in ejus honórem, Parochiálem in urbe inſtruxérunt & Deo dicárunt Eccleſiam.

Oratio, Omnípotens, *p.* xlviij.

DIE XV.

IN FESTO

SANCTI MACLOVII,

Primi Alethenſis in Aremorica Epiſcopi,

Semiduplex.

Omnia de Communi unius S. Pontificis, *p.* xxiij. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex variis Eccleſ. Aleth. & Pariſ. Monum.

MAclóvius, qui & Machútus & Machútes dicitur, ſanctórum Samſónis & Maglórii conſanguíneus, apud Carvánnam in Británnia majóri, ſub Brendáni Abbátis diſciplína à púero erudítus eſt. Defúncto Gummicáſtri Antíſtite, è cœnóbio per vim abdúctus, ad Epiſcopátum raptus eſt & ordinátus. Sed paulò pòſt conſcénſâ cum paucis navículâ, clàm ſubdúxit ſe : & Aremóricos petens, ad eam primùm applícuit inſulam in qua Aaron Abbas cum quibúſdam diſcípulis verſabátur. Is autor illi fuit ut pagánis in vicínia degéntibus verbum Dei prædicáret. Quod in advérſa inſula in

qua antiquiſſima civitas Aléthis ſita erat, ſédulò perfécit. Nec multò pòſt adjúnctis paucis quos illic repérerat Chriſtiánis, ingénti plebis à ſe convérſæ multitúdini ſollicitúdinem Epiſcopálem, utríſque rogántibus, exhíbuit. Aaróne Abbáte mórtuo, ejus étiam cœnóbium regéndum ſuſcépit, numerúmque Monachórum ad ſeptuagínta auxit. Verùm poſteà vexátus ab íncolis illíus regiónis, in Aquitániam ſe recépit: ibidémque, apud Arcum in Bráia Santonénſis pagi vicum, in cínere ac cilício expirávit, séptimo décimo Caléndas Novémbris. Corpus ejus in Aremóricam primò delátum, Danórum metu Paríſios tranſlátum eſt ad Eccléſiam Sancti Bartholomǽi, & ad utrámque Sancti Maglórii, demùm máxima ex parte in Abbátiam Sancti Victóris, ubi in capſa ǽrea aſſervátur.

Oratio, Dirige, *p.* xxvij.

DIE XVI.

IN FESTO SANCTI GREGORII, Turonenſis Epiſcopi.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius S. Pontificis, p. xxiij. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex Baron. Surio, Tillemont. Bolland. & aliis.

GRegórius, Arvernórum civitáte oriúndus, Senatóriâ nobilitáte clariſſimus, ſancti Gregórii Lingonénſis Epíſcopi nepos, ſanctórum Galli pátrui ſui, & Avíti, Arvernénſium Prǽſulum, curis ac documéntis in lítteris Eccleſiaſticiſque diſciplínis egrégiè inſtitútus eſt. Imitátor factus beáti Martíni, ut ſedi ejus, poſt mortem Sancti Euphrónii cognáti ſui imponerétur, adunátis ſuffrágiis fuit deſignátus. Ab hac verò dignitáte cùm refúgeret, tandem Sigebérti primi Auſtraſiórum Regis autoritáte compúlſus, ab Ægídio Reménſi Epíſcopo ordinári ſe vix paſſus eſt. Chilperícum primum Sueſſiónum Regem, qui ſcripto tractátu de ſanctíſſimæ Trinitátis myſtério, perſonárum diſtinctiónem tollens, in Sabelliánam hǽreſim impégerat, paſtoráli libertáte confutávit. Bella civília inter Francórum Reges imminéntia aut étiam exórta, legátus ipſe interpóſitus, non ſemel compréſſit. A Leudáſto Cómite Turónum Præfécto acérba multa conſtantíſſimè pértulit. Naſcéntem in Clero ſuo præfocávit hǽreſim Sadducæórum, qui negábant eſſe reſurrectiónem. Beatórum Apoſtolórum túmulos veneratúrus, Romam pétiit, ubi honorificentíſſimè à Sancto Gregório Magno ſuſcéptus eſt, & Cáthedrâ áureâ donátus. Francórum Hiſtóriam civílem & Eccleſiáſticam, libróſque de

Sanctórum vita & miráculis, aliaque utiliſſima ópera conſcripſit. Majórem civitátis ſuæ Baſílicam incéndio deſtrúctam inſtaurávit. Tot præclaris functus labóribus, & plúrimis inclytis miráculis, ad cœléſte præmium evolávit, anno Chriſti quingentéſimo nonagéſimo quinto, & juxta túmulum ſancti Martíni corpus ejus ſepúltum eſt.

Oratio.

DEus, qui beátum Gregórium Pontíficem miro virtútum ſplendóre coruſcáre feciſti; da nobis ejus feſta venerántibus, per bona ópera lucére coram homínibus, & per amórem coram te ardére; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus; Per ómnia.

DIE XIX.

IN FESTO SANCTÆ ELISABETH, Hungaror. Princip. & Viduæ.

Simplex.

Omnia de Communi unius S. Viduæ, p. lxxij. additis quæ ſequuntur.

LECTIO III.

Ex Surio & aliis.

ELíſabeth, Andréæ Hungarórum regis filia, Ludovíco, Hermánni Toríngiæ Landgrávii fílio, adhuc lactens deſponsáta eſt, & tandem ab eo, cùm núbilis facta eſſet, ſolémniter ducta. Tantos verò in pietáte Chriſtiána progréſſus jam ánteà fécerat, ut nihil viro juncta, de priſtino fervóre remítteret, præcípuo caritátis affectu paupéribus compátiens: quibus, abſénte viro, in magna annónæ inópia, omne ditiónis ſuæ fruméntum diſtríbuit: quorum étiam infirmitátibus cónſulens, noſocómium illis ad radícem montis in cujus vértice ſitum erat palátium, extrúxit. Mórtuo viro, ab iis qui fratri ejus Henríco nondùm ad regéndum idóneo à consíliis erant, contumelióſè hábita eſt, bonis ſpoliáta, & aulâ excédere coácta. Majóris autem paupertátis deſidério flagrans, in quodam Fratrum Minórum ſacéllo, die ſancto Paraſcéves, póſitis ſuper altáre nudum mánibus, ſolémni profeſſióne, ſéculi pompis, cognátis, ac ſibi ipſi renuntiávit. Facultátes autem quas Henrícus ipſi reſtitúerat, quáſque juſſu Pontíficis retínuit, páuperum neceſſitátibus ſublevándis impéndens, & victum lanifício cómparans, mirâ humilitáte ac patiéntiâ réliquum vitæ currículum egit, abſolvítque, anno milléſimo ducentéſimo trigéſimo primo. Eam, poſt triénnium, Gregórius nonus miráculis claram Sanctis adſcripſit.

Oratio, Deus in quem, p. lxxij.

DIE XXI.
IN PRÆSENTATIONE
B. M. Virginis,
SEU
COMMEMORATIONE
caſti Propoſiti Beatæ
Mariæ Virginis.
Duplex maj.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 7. toni d.
ORiétur ſtella ex Jacob, & consúrget virga de Iſraël. *Num.* 24. 17.

Ant. 1. g. Egrediétur virga de radíce Jeſſe, & flos de radíce ejus aſcéndet. *Iſ.* 11. 1.

Ant. 3. *a.* Partúriens páriet, & relíquiæ fratrum ejus converténtur. *Mich.* 5. 3.

Ant. 5. a. Gérminans germinábit, & exultábit læta-búnda & laudans; glória Líbani data eſt ei. *Iſ.* 35. 2.

Ant. 8. G. In diébus illis, ſalvábitur Juda, & Iſraël habitábit confidénter. *Jer.* 23. 6.

CAPITULUM. *Jer.* 33. 20. 21.

HÆc dicit Dóminus: Si írritum poteſt fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non ſit dies & nox in témpore ſuo, & pactum meum írritum eſſe póterit cum Dávid ſervo meo, ut non ſit ex eo Fílius qui regnet in throno ejus.

HYMNUS.

QUAM pulchrè gráditur
Fília Príncipis,
Templi cùm próperat límina tángere!
Prælúdit melióri
Quam mox ófferet hóſtiam.

E MATRIS grémio, Núminis in ſinum,
Infans non dúbiis páſſibus ádvolat:
Virgo Núminis ara,
Aris víctima ſíſtitur.

SPONSO membra Deo móllia dévovet:
Cordis virgínei dédicat íntima:
Verbo débita Mater
Verbo víſcera cónſecrat.

TECUM cuncta Deo pródiga dum voves,
Numen, Virgo, tui péctoris íncola,
Quanto fœ́nore penſat,
Terræ quæ bona déſpicis!

SIT ſupréma tibi glória, Trínitas:
Quo Virgo téneram ſe vovet hóſtiam,
Puri Flamen amóris,
Fac nos jam tibi vívere.
Amen.

℣. Quàm dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum! ℟. Concupíſcit, & déficit ánima mea in átria Dómini. *Pſ.* 83. 2. 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D.* Dábitur illi fidei donum eléctum, & ſors in templo Dei acceptíſſima. *Sap.* 3. 14.

Oratio, Deus, qui beátam Maríam, *infrà*, *ad Laudes*; *p.* 499.

COMPLETORIUM, *p.* cij. *cum Pſalmis de Feria.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Deum cùi

officium novum – sub ritu dup. maj.

præparátur habitátio, * Veníte, adorémus. 1. *Par.* 29. 1.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

Hymnus.

Infans pulſa recèns
matris ab úbere,
Abſcóndi tácitis quærit in
átriis.
Templum Virgo futúra,
Templi creſcit in ædibus.

In blanda réquie, plena
negótio,
Uni nota Deo vívere cógi-
tat:
Hîc pro lacte paréntis,
Sugit Núminis úbera.

Sic auróra novi núntia
lúminis,
Primo manè latet núbibus
óbſita,
Mox Solem paritúra,
Plenum qui réferat diem.

Sol in virgíneo péctore,
prǽviis
Ardórem rádiis súſcitat ín-
timum:
Hoc fecúnda calóre,
Virtus ínſita gérminat.

Ut fert prima novis mú-
nera fróndibus
Arbos, irrígui fontis in ál-
veo,
Fructum Virgo datúra,
Seſe flóribus índuit.

Sit ſupréma tibi glória,
Trínitas:
Quo Virgo téneram ſe vo-
vet hóſtiam,
Puri Flamen amóris,
Fac nos jam tibi vívere.
Amen.

Ant. 3. *a.* Dóminus fá-
ciens & formans te, ab úte-
ro auxiliátor tuus. *Iſ.* 44. 2.

Ant. 4. E. Oriétur in té-
nebris lux tua, & ténebræ
tuæ erunt ſicut merídies. *Iſ.*
58. 10.

Ant. 5. a. Eris quaſi hor-
tus irríguus, & ſicut fons
aquárum, cujus non defi-
cient aquæ. *Iſ.* 58. 11.

℣. Concupíſcet Rex decó-
rem tuum; ℟. Quóniam ip-
ſe eſt Dóminus Deus tuus.
Pſ. 44. 12.

*Prima Lectio de Scrip-
tura occurrente, tribus in
unam junctis.*

℟. *j.* Magna eris, * Et
nomen tuum nominábitur,
in univérſa terra. *Judith.* 11.
21. ℣. Spíritus ſanctus ſuper-
véniet in te. *Luc.* 1. 35. * Et
nomen.

Sermo ſancti Bernárdi
Abbátis.

Hom. 3. *De Laud. Virg.
Mar.* n. 7.

Lectio II.

O Virgo prudens! Quis
te dócuit Deo placére
virginitátem? Ubi audíeras,
Volo vos omnes eſſe, ſicut
& meipſum? Et, Bonum eſt
hómini, ſi ſic permáneat,
ſecúndùm meum consílium?
De virgínibus, inquit, præ-
céptum non hábeo, consí-
lium autem do. Tu verò,
non dicam præcéptum, ſed
nec consílium, nec exém-
plum: niſi quòd únctio do-
cébat te de ómnibus; ac Ser-
mo Dei vivus & éfficax, an-
tè tibi factus Magíſter quàm
Fílius, priùs inſtrúxerit men-
tem, quàm indúerit carnem.

Chriſto ergo dévoves te exhibére Vírginem : & neſcis quòd ipſi exhibéri te opórteat étiam Matrem. Eligis in Iſraël eſſe contemptíbilis, & ut illi pláceas cui te probáſti, maledíctum incúrrere ſterilitátis : & ecce maledíctio benedictióne commutátur, ſterílitas fecunditáte recompensátur.

℟. *ij.* Manus Dómini confortávit te ; * Et ídeò eris benedícta in ætérnum. *Judith.* 15. 11. ℣. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1. 42. * Et ídeò eris benedícta.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio III. *c.* 11. *v.* 27. *ad* 28.

Mariæ Beatitudo.

LOquénte Jeſu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi : Beátus venter qui te portávit. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lib. de ſanct. Virginitate. n. 3. 4.

BEátior María percipiéndo fidem Chriſti, quàm concipiéndo carnem Chriſti. Nam & dicénti cuídam, Beátus venter qui te portávit, ipſe reſpóndit : Imò beáti qui aúdiunt verbum Dei, & cuſtódiunt. Dénique frátribus ejus, id eſt, ſecúndùm carnem cognátis, qui non in eum credidérunt, quid prófuit illa cognátio ? Sic & matérna propínquitas nihil Maríæ profuíſſet, nisì felíciùs Chriſtū corde quàm carne geſtáſſet. Ipſa quoque virgínitas ejus ídeò grátior & accéptior, quia Chriſtus priúſquàm conciperétur, jam Deo dicátam de qua naſcerétur, elégit. Hoc índicant verba quæ ſibi fœtum annuntiánti Angelo María réddidit. Quómodo, inquit, fiet iſtud, quóniam virum non cognóſco ? Quod proféctò non díceret, nisì Deo Vírginem ſe antè vovíſſet.

℟. *iij.* Benedíctus Dóminus qui creávit cœlum & terram, * Qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum noſtrórum. *Judith.* 13. 24. ℣. María, inveníſti grátiam apud Deum. *Luc.* 1. 30. * Qui te. Glória. * Qui te.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Adjuvábit eam Deus, ℟. Manè dilúculo. *Pſ.* 45. 6.

Ant. 1. g. Benedícta tu à Deo tuo, in omni tabernáculo Jacob. *Judith.* 13. 31.

Ant. 5. a. Benedíxit te Dóminus in virtúte ſua ; quia per te ad níhilum redégit inimícos noſtros. *Judith.* 13. 22.

Ant. 6. F. Ecce ténebræ opérient terram, & calígo pópulos ; ſuper te autem oriétur Dóminus, & glória ejus in te vidébitur. *Iſ.* 60. 2.

Ant. 3. d. Non moriéris

Canticum Debboræ. *Judic. c. 5. v. 3. ad 13.*
Gratiarum actio poſt victoriam.

AUdite, Reges; aúribus percípite, Príncipes; * Ego ſum, ego ſum quæ Dómino canam; pſallam Dómino Deo Iſraël.

Dómine, cùm exíres de Seïr; * & transíres per regiónes Edom,

Terra mota eſt, * cœlíque ac nubes diſtillavérunt aquis..

Montes fluxérunt à fácie Dómini, * & Sínaï à fácie Dómini Dei Iſraël....

Ceſſavérunt fortes in Iſraël, & quievérunt, * donec súrgeret.... mater in Iſraël.

Nova bella elégit Dóminus, * & portas hóſtium ipſe ſubvértit.....

Salvátæ ſunt relíquiæ pópuli; * Dóminus in fórtibus dimicávit.

Glória Patri.

Ant. Non moriéris: non enim pro te, ſed pro ómnibus hæc lex conſtitúta eſt. *Eſth.* 15. 13.

Ant. 7. *d.* Vide colléctos filios tuos, ab oriénte ſole uſque ad Occidéntem. *Bar.* 5. 5.

Capitulum. *Apoc.* 12. 15. 16.

MIſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulíerem, aquam tanquam flumen, ut eam fáceret trahi à flúmine; & adjúvit terra mulíerem, & apéruit terra os ſuum, & abſórbuit flumen quod miſit draco de ore ſuo.

Hymnus.

QUis ore te puro ſatis,
Virgo, canat, Dei Parens?
Adéſte, puri Spíritus,
Veſtri ſit illud múneris.

Quis intret auguſtíſſima
Mentis tuæ ſacrária!
Dotes quis enárrans tuas,
Pertérritus non hæreat!

Dic, Virgo, quæ vis tráxerit
Patri coævum Fílium,
De Patris ætérni ſinu,
Mortális in Matris ſinum?

Ad hos honórum te gradus,
Non virginális te pudor,
Non éxtulit tantùm fides,
Nec igne fervens cáritas;

Sed, quæ ſibi nunquam placet,
Deo placens modéſtia:
Quâ tu tibi ſis vílior,
Hâc digna ſis Mater Dei.

Quam celſa, quæ ſe déprimens,
Altum Tonántem déprimit!
In te, ſuî jam non memor,
Deſcéndit è cœlo Deus.

Sit laus Patri; laus Fílio;
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Per quem ſacrâ ſe Fílius
Infúdit alvo Vírginis.
Amen.

℣. Semel jurávi in Sancto meo, ſi David méntiar: ℟. Semen ejus in ætérnum manébit. *Pſ.* 88. 36. 37.

Ad Benedíctus, *Ant.* 5. C. Non petíſti tibi dies multos, nec divítias, aut áni-

mas inimicórum tuórum ; ſed poſtuláſti tibi ſapiéntiam. 3. *Reg.* 3. 11.

Oratio.

DEus, qui beátam Maríam ſemper Vírginem, Spíritûs ſancti habitáculum, in Templo præſentári voluíſti ; præſta, quæſumus, ut ejus interceſſióne, in templo glóriæ tuæ præſentári mereámur ; Per Dóminum noſtrum . . . . . . in unitáte ejúſdem Spíritûs.

AD HORAS, *Doxologia.*

QUI natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

AD PRIMAM

Ant. Benedícta tu.

CAPITULUM. *Cant.* 4. 7. 8.

TOta pulchra es, amíca mea, & mácula non eſt in te. Veni de Líbano, ſponſa mea, veni de Líbano, veni ; coronáberis.

In ℟. *brevi.* ℣. Qui natus es de María Vírgine. *Matt.* 1. 16.

AD TERTIAM.

Ant. Benedíxit.

CAPITULUM. *Eccli.* 24. 42. 43.

EGo Sapiéntia dixi : Rigábo hortum meum plantatiónum, & inebriábo prati mei fructum : & ecce factus eſt mihi trames abúndans.

℟. *breve.* Conféſſio & pulchritúdo,* In conſpéctu ejus. ℟. Conféſſio. ℣. Sanctimónia & magnificéntia, in ſanctificatióne ejus. * In. Glória. ℟. Conféſſio. *Pſ.* 95. 6.

℣. In Deo ſalutáre meum, ℟. Et glória mea. *Pſ.* 61. 8.

AD SEXTAM.

Ant. Ecce.

CAPITULUM. *Judith.* 16. 7.

DOminus omnípotens nócuit inimícum, & trádidit eum in manus féminæ, & confódit eum.

℟. *breve.* Deus* Præcínxit me virtúte. ℟. Deus. ℣. Et póſuit immaculátam viã meam. * Præcínxit. Glória. ℟. Deus. *Pſ.* 17. 33.

℣. In hoc cognóvi, Dómine, quóniam voluíſti me ; ℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus ſuper me. *Pſ.* 40. 12.

AD NONAM.

Ant. Vide.

CAPITULUM. *Apoc.* 22. 3.

OMne maledíctum non erit ámpliùs ; ſed ſedes Dei & Agni in illa erunt, & ſervi ejus ſérvient illi.

℟. *breve.* Homo * Natus eſt in ea. ℟. Homo. ℣. Et ipſe fundávit eam Altíſſimus. * Natus. Glória. ℟. Homo. *Pſ.* 86. 5.

℣. Dómine, in voluntáte tua, ℟. Præſtitíſti decóri meo virtútem. *Pſ.* 29. 8.

AD VESPERAS.

Ant. 2. D. Nobíſcum eſt Deus, qui fecit virtútem in Iſraël. *Judith.* 13. 13.

Ant. 3. a. Dóminus póſuit caſtra ſua in médio pópuli ſui, ut erúperet nos de

manu ómnium inimicórum noſtrórum. *Judith.* 16. 4.

Ant. 1. f. Narréntur juſtítiæ Dómini & cleméntia in fortes Iſraël. *Judic.* 5. 11.

Ant. 5. a. Per manum féminæ, percúſſit inimícum Dóminus Deus noſter. *Judith.* 13. 19.

Ant. 6. F. Inter pedes ejus ruit, defécit, & mórtuus eſt. *Judith.* 5. 27.

Capitulum. *Iſ.* 66. 11.

SUgátis & repleámini ab úbere conſolatiónis ejus, ut mulgeátis, & delíciis affluátis ab omnímoda glória ejus.

Hymnus, Quàm pulchrè gráditur, *ſuprà*, *in I. Veſperis*, *p.* 495.

℣. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis: ℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum. *Pſ.* 44. 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Plenam mercédem recípias à Dómino Deo Iſraël, ad quem veníſti, & ſub cujus confugíſti alas. *Ruth.* 2. 12.

Oratio, Deus, qui beátam, *ſuprà*, *ad Laudes.*

Commemoratio de S. Cæcilia.

Ant. Infirma, ℣. Hæréditas, *p.* lviij. *Oratio*, Deus, qui inter cœ́tera, *p.* lxij.

Completorium, *p.* cij. *cum Pſalmis de Feria.*

Die XXII.

In Festo

SANCTÆ CÆCILIÆ, Virginis & Martyris.

Simplex.

Omnia de Communi unius S. Virginis Martyris, p. lvij. additis quæ ſequuntur.

Sermo ſancti Gregórii Papæ.

Lib. Sacram. in Præf. S. Cæcil.

Lectio III.

DEus in infirmitáte virtútem pérficit, & humáni géneris inimícum, non ſolùm per viros, ſed étiam per féminas vincit. Cujus múnere beáta Cæcília, & in virginitátis propóſito, & in confeſſióne fídei ſic roboráta eſt, ut nec ætátis lúbrico ab intentióne mutarétur, nec blandiméntis carnálibus demulcerétur, nec ſexûs fragilitáte deterrerétur, nec tormentórum immanitáte vincerétur: ſed ſervándo córporis ac mentis integritátem, cum Virginitátis & Martýrii palma, ætérnam mererétur adipíſci beatitúdinem. [Hæc una eſt ex quátuor celebérrimis Eccléſiæ Occidentális Virgínibus Martýrio coronátis, quarum nomen antíquitùs insértum eſt in Cánone Miſſæ. Corpus ejus in cœmetério Prætextáti, extra urbem, viâ Appiâ, vel inítio ſepúltum eſt, vel póſteà tranſlátum].

Oratio, Deus, qui inter cœ́tera, *p.* lxij.

Die XXIII.

In Festo

SANCTI CLEMENTIS, Papæ & Martyris.

Simplex.

Omnia de Communi unius

Martyris, p. ix. *additis quæ ſequuntur.*

Sermo ſancti Irenæi Epíſcopi & Mártyris.

Lib. 3. *cont. Hæreſ. Cap.* 3. n. 3.

LECTIO III.

POſt Anaclétum, tértio loco ab Apóſtolis, Epiſcopátum ſortítur Clemens, qui & vidit ipſos Apóſtolos & cóntulit cum eis, cùm adhuc inſonántem prædicatiónem Apoſtolórum, & traditiónem ante óculos habéret. Non ſolus, adhuc enim multi ſupérerant tunc ab Apóſtolis docti. Sub hoc ígitur Cleménte, diſſenſióne non módicâ inter eos qui Corínthi eſſent fratres factâ, ſcripſit quæ eſt Romæ Eccléſia potentíſſimas lítteras Corínthiis, ad pacem eos cóngregans, & répa-rans fidem eórum, & annúntians quam in recénti ab Apóſtolis accéperant traditiónem, annuntiántem unum Deum omnipoténtem, factórem cœli & terræ, plaſmatórem hóminis: qui indúxerit cataclýſmum, & advocáverit Abraham: qui edúxerit pópulum de terra Ægýpti: qui collocútus ſit Móyſi: qui legem diſpoſúerit & Prophétas míſerit: qui ignem præparáverit diábolo & ángelis ejus. Hunc Patrem Dómini noſtri Jeſu Chriſti ab Eccléſiis annuntiári, ex ipſa Scriptúra qui velint díſcere, poſſunt, & Apoſtólicam Eccléſiæ traditiónem intellígere: cùm ſit vetúſtior Epíſtola, his qui nunc falſò docent.

Oratio [illegible], *p.* xiv.

DIE XXIV.

IN FESTO

S. CHRYSOGONI, Martyris.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris, p. ix. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex Tillemont. Adon. Suid. & aliis.

CHryſógonus, poſt longa víncula, & cárceres Romæ pro Chriſti confeſſióne tolerátos, jubénte Diocletiáno, Aquiléiam perdúctus, poſtquàm ejúſdem nec blandítiis, nec minis à propóſito deterrérí pótuit, ad Aquas Gradátas ſecúri percúſſus eſt. Corpus ejus projéctum in mare & pauló pòſt invéntum, Zóilus Présbyter ſepelívit in ædibus ſuis. Vetus eſt Romæ títulus ſancti Chryſógoni, cujus méntio fit in Concílio Románo ſub Sýmmacho, & à Gregório magno in Epíſtolis. Hanc ædem Gregórius Papa tértius adornávit, & munéribus auxit. Ejus autem nomen, quod per Illýricum, & in Africa étiam célebre fuit, Cánoni Miſſæ quo tota jam Eccléſia Occidentális útitur, à primis tempóribus inſértum eſt.

Oratio, Da nobis, *p.* xiij.

DIE XXV.

IN FESTO

S. CATHARINÆ, Virginis & Martyris.

Semid. Simplex.

Omnia de Communi unius S. Virginis Martyris, p. lvij. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex variis Autor. Eccleſ.

CAtharínæ ſeu Æcatherínes, Vírginis & Mártyris, memóriam ſingulári cultu jamprídem venerátur Orientális Eccléſia: ejúſque corpus in Sina Arábiæ monte religióſè ſervátur. Paulus Latrénſis, nóbilis Anachoréta, qui médio ſéculo décimo óbiit, ejus feſtum diem ſummâ imprímis ſolemnitáte celebrábat. Sequénti ſéculo, Símeon in monte Sina Mónachus conſuétam Richárdi Normánniæ Ducis eleemóſynam quæſitúrus, Rotómagum venit: ac ſecum allátas beátæ Catharínæ Relíquias, in Monaſtério ſupra montem urbi vicínum ædificáto depóſuit. Inde cœpit beátæ Mártyris cultus per Gállias propagári.

Oratio, Omnípotens, p. lxij. (a) *Vers. Comm. & ſequent.*

Sermo ſancti Irenæi Epiſcopi & Mártyris.

Lib. 3. cont. Hereſ. Cap. 3. n. 2. 3.

LECTIO III.

MAxima & antiquiſſima & ómnibus cógnita à glorioſiſſimis duóbus Apóſtolis Petro & Paulo, Romæ fundáta & conſtitúta Eccléſia, eam habet ab Apóſtolis traditiónem, & annuntiátam homínibus fidem per ſucceſſiónem Epiſcopórum perveniéntem uſque ad nos; quam vindicántes, confúndimus omnes eos qui quoquómodo, vel per ſui placéntiam malam, vel vanam glóriam, vel per cæcitátem & malam ſenténtiam, præterquàm opórtet, cólligunt. Ad hanc enim Eccléſiam, propter potiórem principalitátem, necéſſe eſt omnem convenire Eccléſiam: hoc eſt, eos qui ſunt úndique Fidéles: in qua ſemper ab his qui ſunt úndique, conſerváta eſt ea quæ eſt ab Apóſtolis tradítio. Fundántes ígitur & inſtruéntes beáti Apóſtoli Eccléſiam, Lino Epiſcopátum adminiſtrándæ Eccléſiæ tradidérunt.

(a) *Oratio*, ~~Famulos~~, p. xiv.

DIE XXVI.

IN FESTO

SANCTI LINI, Papæ & Martyris.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris, p. ix. *additis quæ ſequuntur.*

DIE XXVII.

IN FESTO

S. HERMELANDI, Antricinenſis Abbatis in territorio Nannetenſi.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius S. Abbatis, p. xliv. *additis* quæ ſequuntur.

(a) Omnia ut ſunt & ad calcem —

LECTIO III.

Ex Antiq. Eccleſ. Nannet. Monum. & Lobineo.

HErmelándus, princeps Pincernárum Clotárii tértii, relíctâ aulâ, monáſticam vitam ampléxus eſt in Cœnóbio Fontanellénſi quod ſanctus Vandregíſilus condíderat, cuíque tunc præerat ſanctus Landobértus Abbas; deínde propter ſinguláres virtútes à ſancto Audoéno Préſbyter eſt ordinátus. Cùm autē ſanctus Paſchárius Nanneténſis Epíſcopus, Landobérti famâ commótus, ejus inſtitútum in diœcéſim ſuam vellet indúcere, ad eum miſſus eſt Hermelándus cum duódecim ſóciis, qui in Antrénſi, Lígeris ínſula Monaſtérium inſtrúxit. Conféctus sénio, nihil de diſciplínæ obſervántia remíſit: atque ut divínæ contemplatióni libériùs vacáret, præfectúram Monaſtérii depóſuit, & réliquum tempus egit in cella, juxta quam conſtrúxit oratórium in honórem ſancti Leodegárii Mártyris. Tandem prænuntiáto óbitûs ſui die, córporis & sánguinis Chriſti Sacraménto munítus, ſpíritum Deo réddidit, ineúnte século octávo, & in basílica ſancti Pauli Apóſtoli quam ædificáverat, ſepúltus eſt. Feſtum ſancti Hermelándi celebrábat olim Nanneténſis Eccléſia, die vigéſimâ quintâ Novémbris, quæ nunc feſto ſanctæ Catharínæ eſt impedíta.

Oratio, Deus, cujus múnere. *p.* xlviij.

DIE XXIX.

IN FESTO SANCTI SATURNINI, Toloſani Epiſcopi & Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius S. Martyris, p. ix. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex S. Greg. Tur. & Ruinart.

SAturnínus, à Románo Pontífice, unà cum ſex áliis Epíſcopis miſſus in Gállias, & Tolóſæ Pontifex conſtitútus, anno Conſulátûs Décii & Grati, multos ab idólis ad Chriſtum convértit; dæmónibus qui ibi colebántur ádeò terríbilis, ut fruſtrà ſacrifíciis animálium evocáti, orácula réddere ceſsáverint. Tam inexpectáto ſiléntio commóti Gentíles, ímpetu facto; Saturnínum in Capitólium urbis traxérunt, comminátì duríſſimam mortem, niſì more pátrio diis ſacra fáceret. Quod cùm renuíſſet, pedes ejus tauro alligárunt: qui ſanctum Prǽſulem per declíves gradus Capitólii raptátum, colliſo cápite, excúſſo cérebro, membríſque diſcérptis, interémit. Exánime corpus támdiu à tauro diſtráctum eſt, quoàd illud, rupto fune, mulíeres duæ in alta

ſcrobe condidérunt. Invéntum eſt póſteà ab Hilário Toloſáno; qui effóſſâ circùm humo, ſacras véritus Relíquias commovére, túmulum ſuperimpóſuit, & Oratórium extrúxit.

Oratio, Fac nos, *p.* xiv.

DIE XXX.

IN FESTO SANCTI ANDREÆ, Apoſtoli.

Duplex majus.

Omnia de Communi Apoſtolorum, p. j. *additis quæ ſequuntur.*

IN I. VESPERIS.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D.* Erat Andréas frater Simónis Petri, unus ex duóbus qui audíerant à Joánne, & ſecúti fúerant Jeſum. *Joan.* 1. 40.

Oratio, Omnípotens Deus, *infrà*, *ad Laudes*, *p.* 506.

Deinde fit Commemoratio de S. Saturnino.

Ant. Qui amat. ℣. Si conſiſtant. *p.* xv. *Oratio*, [illegible], *p.* xiv.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex Evang. Euſeb. Greg. Naz. Paulin. & aliis.

ANdréas, Joánnis ſeu Jonæ filius, Simónis qui póſtmodùm Petrus dictus eſt, frater, Bethsáidæ in Galiléa natus, unus fuit ex duóbus diſcípulis Joánnis Baptíſtæ, qui audiérunt eum de Jeſu dicéntem: Ecce Agnus Dei, & ſecúti ſunt Jeſum. Sciſcitáti ambo ubi manéret, invitáti cómites venére: apud quem cùm manſíſſent die illâ, invénit Andréas primùm fratrem ſuum Simónem, & dixit ei: Invénimus Meſsíam: & addúxit eum ad Jeſum. Ambos fratres, jam diſcípulos ſuos, nondùm tamen itínerum vitǽque perpétuos ſócios, cùm ámbulans póſteà Jeſus juxta mare Galiléæ vidíſſet mitténtes rete in mare, his vocávit verbis: Veníte poſt me, & fáciam vos fieri piſcatóres hóminum. Qui contínuò, relíctis rétibus, ſecúti voluntatem, ità ei adhæſérunt & placuérunt, ut inter duódecim, quos è diſcípulis ſuis elégit & Apóſtolos nominávit, primùm Simónem quem cognominávit Petrū, mox Andréam fratrem ejus, Matthǽus & Lucas recénſeant.

LECTIO V.

QUærénti Chriſto, unde emeréntur panes, ut manducáret multitúdo máxima quæ vénerat ad eum, dixit Andréas: Eſt puer unus hîc, qui habet panes quinque hordeáceos, & duos piſces; ſed hæc quid ſunt inter tantos? Jeſum, paucis ante Paſſiónem ſuam diébus, ſedéntem in monte Olivárū contra templum, & ſubverſiónem templi prædicéntem, interrogavérunt ſeparátim

Petrus,

Petrus, & Jacóbus, & Joánnes, & Andréas: Dic nobis quando iſta fient, & quod ſignum erit, quando hæc ómnia incípient conſummári? Quos ille, cùm ne ſeduceréntur, monuíſſet, ac prænuntiáſſet eis bella, terræ motus per loca, & fames, inítia dolórum, ſubjúnxit ſtatim: Vidéte voſmetipſos: tradent enim vos in concíliis, & in ſynagógis vapulábitis: & ante præſides & reges ſtábitis propter me, in teſtimónium illis: & in omnes gentes primùm opórtet prædicári Evangélium. Hoc Chriſti in præcépto Andréas, ut quod ſuum erat, impléret, poſt ejus Paſſiónem ac Reſurrectiónem, ſortítur Scythiam. In Epíro étiam, Achája & áliis provínciis, innúmeros Chriſto piſcátus eſt.

LECTIO VI.

Patras civitátem Achájæ célebrem fecit, & morte quam súbiit crucifixus, & túmulo. Hinc Conſtántius, circa annum trecentéſimum quinquagéſimum ſextum, impérii verò ſui vigéſimum, ut æmulam Romæ Conſtantinópolim Apoſtólicis corpóribus muníret, ſanctórum Andréæ & Lucæ córpora tránſtulit, & cum córpore ſancti Timóthei à ſe jam anno ſuperióre tranſláto, in Basílica ſanctórum Apoſtolórum, quam Conſtantínus ædificáverat, ut in ea Imperatóres humaréntur, collocávit. Toto itínere, & per omnes vias quâ córpora ſancta tranſiérunt, divínam manum mira ſigna operátam fuiſſe refert ſanctus Paulínus. Anno autem milléſimo ducentéſimo décimo, poſt Conſtantinópolim à Gallis captam, corpus ſancti Andréæ Petrus Capuánus Apoſtólicæ Sedis Legátus, Amálphim in pátriam ſuam, in regno Neapolitáno, deférri curávit: ubi pio Fidélium concúrſu honorátur.

IN III. NOCTURNO.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

LECTIO VII. *c. 4. v. 9. ad* 14.

Deus nos Apóſtolos noviſſimos oſténdit, tanquam morti deſtinátos: quia ſpectáculum facti ſumus mundo, & Angelis, & homínibus. Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudéntes in Chriſto: nos infirmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbilès. Uſque in hanc horam, & eſurímus, & ſitímus, & nudi ſumus, & cólaphis cǽdimur, & inſtábiles ſumus, & laborámus operántes mánibus noſtris: maledícimur, & benedícimus: perſecutiónem pátimur, & ſuſtinémus: blaſphemámur, & obſecrámus. Tanquam purgaménta hujus mundi facti ſumus, ómnium peripséma uſque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc ſcribo, ſed ut filios meos caríſſimos móneo.

De Epíſtola ejúſdem beáti Pauli Apóſtoli ad Philippénſes.

Lectio VIII. *c.* 3. *v.* 17. *ad finem.*

IMitatóres mei eſtóte, fratres, & obſerváte eos qui ità ámbulant, ſicut habétis formam noſtrã. Multi enim ámbulant, quos ſæpè dicébam vobis, (nunc autem & flens dico,) inimícos crucis Chriſti, quorum finis intéritus, quorum Deus venter eſt, & glória in confuſióne ipsórum, qui terréna ſápiunt. Noſtra autem conversátio in cœlis eſt: unde étiam Salvatórem expectámus Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum: qui reformábit corpus humilitátis noſtræ, configurátum córpori claritátis ſuæ, ſecúndùm operatiónem quâ étiam poſſit ſubjícere ſibi ómnia.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio IX. *c.* 4. *v.* 18. *ad* 22.

Andreæ vocatio.

AMbulans Jeſus juxta mare Galilǽæ, vidit duos fratres, Simónem qui vocátur Petrus, & Andréam fratrem ejus. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Hom. 5 *in Evang.* n. 1.

AUdíſtis, fratres cariſſimi, quia ad uníus juſſiónis vocem, Petrus & Andréas, relíctis rétibus, ſecúti ſunt Redemptórem. Nulla verò hunc fácere adhuc mirácula víderant: nihil ab eo de præmio ætérnæ retributiónis audíerant: & tamen ad unum Dómini præcéptũ, hoc quod poſſidére videbántur, oblíti ſunt. Quanta nos ejus mirácula vidémus, quot flagéllis affligimur, quantis minárum aſperitátibus deterrémur? & tamen vocántem ſequi contémnimus. In cœlo jam ſedet, qui de converſióne nos ádmonet; jam jugo fídei colla géntium ſúbdidit, jam mundi glóriam ſtravit, jam ruínis ejus crebreſcéntibus diſtricti ſui judícii diem propinquántem denúntiat: & tamen ſupérba mens noſtra non vult hoc ſponte deſérere, quod quotídie perdit invíta.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. d.

Invénit Andréas primùm fratrem ſuum Simónem, & dicit ei: Invénimus Meſſíam, quod eſt interpretátum Chriſtus, & addúxit eum ad Jeſum. *Joan.* 1. 41. 42.

Oratio.

OMnípotens Deus, qui beáto Andréæ Apóſtolo tuo, Chriſto confígi in cruce tribuíſti; præſta, quǽſumus, eódem intercedénte, ut terréna in nobiſmetípſis deſidéria crucifigéntes, tibi fírmiter adhærére valeámus; Per eúmdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. c.

Vidit Jeſus Simónem & Andréam fratrem ejus, mitténtes rétia in mare, erant enim

piſcatóres, & dixit eis Jeſus: Veníte poſt me. *Marc.* 1. 16, 17.

Commemoratio de S. Eligio, Noviomenſi Epiſcopo.

Ant. Ipſum, ℣. Beátus, *p.* xxiv. *Oratio*, Dírige, *p.* xxvij.

FESTA DECEMBRIS.

DIE I.

IN FESTO SANCTI ELIGII, Noviomenſis Epiſcopi.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius S. Pontificis, p. xxiij. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex vita S. Eligii, autore S. Audoëno.

ELígius, Lémovix, aurífaber indúſtrius, Paríſios ſe cóntulit, ubi perítiæ ſuæ famâ, Clotário ſecúndo innótuit. Sanctióris vitæ deſidério accénſus, ómnium ab adoleſcéntia delictórũ exomológeſim fecit corã Sacerdóte, & exínde in ópera pietátis omni ſtúdio incúbuit. A Dagobérto ad Aremoricórum Regem, pacis componéndæ causâ, miſſus, Reges ambos felíci fœ́dere ſociávit. Plúrima divérſis tempóribus, auro, argénto, & gemmis ornávit ſepúlcra Sanctórum. De Eccléſiæ diſciplína ſollícitus, ſimoníacã labem, quæ altas in Gállia radíces égerat, extirpávit. Tandem ad Novioménſem Epiſcopátum aſſúmptus, non modò ſalúti gregis ſibi commíſſi invigilávit, ſed & Flandros, & Fríſios, alióſque ad Septentrióne pópulos ad Chriſtum addúxit. Multa præclárè ſcripſit, ejécit dǽmones, futúra prædíxit: his aliíſque miráculis illúſtris, óbiit ſeptuagenárius, die último Novémbris, anno ſexcentéſimo quinquagéſimo nono, & Noviómi ſepúltus eſt.

Oratio, Dírige, *p.* xxvij.

VESPERÆ *à Capitulo de S. Franciſco Xaverio cum Commemoratione de S. Eligio.*

DIE II.

IN FESTO S. FRANC. XAVERII, Presbyteri.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius S. Presbyteri, p. xxxvij. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex ejus vita Scriptoribus.

FRanciſcus Xavérius, nóbilis Cántaber, Paríſiis emenſo Philosóphico ſtúdio, magiſtérium ártium conſecútus, mox Philosóphiæ Profeſſor, ac deínde Baccalaúreus, Theológiæ curſum abrúpit, ut ſe beáto Ignátio sócium adjúngeret. Tùm ſanctióris vitæ genus profitéri cœpit, non jejúniis modò

aliiſque córporis afflictatiónibus, & paúperum præsértim infirmórum curâ, quibus in xenodóchiis miniſtrábat, ſed & ſingulári Religiónis propagándæ ſtúdio, ſummâ in Epíſcopos & Presbýteros obſervántiâ, eóque in Deum fervóre caritátis, ut ejus incéndium in oratiónibus non ferens, sæpiùs exclamáret: Satìs eſt, Dómine, ſatìs eſt. Procuránte Joánne Luſitániæ Rege, à Paulo tértio Indiæ deſtinátus, multos paſſim toto Oriénte Chriſtiános ad meliórem frugem revocávit, & quamplúrimos pópulos ignorántiæ ténebris involútos ad Chriſti fidem addúxit. Nam præter Indos, Brachmánes, & Malábares, ipſe primus Parávis, Málaïs, Jaïs, Acénis, Mindánaïs, Malacénſibus & Japónibus, multis éditis miráculis, & exantlátis labóribus, Evangélii lucem íntulit. Perluſtrátâ tandem Japóniâ, ad Sinas profectúrus, in ínſula Sanciána óbiit, anno ætátis quadragéſimo quinto, Chriſti milléſimo quingentéſimo quinquagéſimo ſecúndo. Corpus ejus poſt menſes quindecim íntegrum & incorrúptum, Goam delátum eſt. Hunc, Indiárum Apóſtolum toto orbe appellátum, Gregórius décimus quintus Sanctis adſcrípſit, anno milléſimo ſexcentéſimo vigéſimo ſecúndo.

Oratio.

Deus, qui ad Fídei propagatiónem beátum Franciſcum Xavérium veréndo Sacerdótii miniſtério decoráſti; præſta, ut per quem pópulus tuus Evangélii verbum, & Domínici Córporis Sacraméntum ſuſcépit, ejus patrocínio, dignos utriúſque fructus percípiat; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

COMMUNE SANCTORUM.

PARS AUTUMNALIS.

COMMUNE APOSTOLORUM.

Si feſtum ſit Solemne minus aut infrà, Pſalmi dicuntur de Feria in omnibus Horis : ſi verò Feſtum ſit Annuale aut Solemne majus, in I. Veſperis & Completorio ſubſequente Pſalmi dicuntur pariter de Feria ; ſed in omnibus aliis Horis dicuntur Pſalmi de Dominica. Idémque obſervatur in aliis Communibus.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 2. toni D.

ISti ſunt quos miſit Dóminus, ut perámbulent terram. *Zach.* 1. 10.

Ant. 1. *g.* Sanctificábunt Sanctum Jacob, & Deum Iſraël prædicábunt. *Iſ.* 29. 23.

Ant. 8. G. Ædificábunt desérta à ſéculo, & ruínas antiquas érigent, & inſtaurábunt civitátes desértas. *Iſ.* 61. 4.

Ant. 7. d. Scient in Géntibus ſemen eórum, & germen eórum in médio populórum. *Iſ.* 61. 9.

Ant. 6. F. Omnes qui víderint eos, cognóſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedíxit Dóminus. *Iſ.* 61. 9.

CAPITULUM. *Iſ.* 16. 19.

HÆc dicit Dóminus : Mittam ex eis qui ſalváti fúerint, ad Gentes in mare, in Africam & Lydiam, tendéntes ſagíttam ; in Itáliam & Græciam ; ad ínſulas longè ; ad eos qui non audiérunt de me, & non vidérunt glóriam meam.

In Duplicibus majoribus & ſuprà.

℟. Mittet id quod ſalvátum fúerit de domo Juda, & quod réliquum eſt, radícem deórsùm, & fáciet fructum ſursùm : * Quia de Jerúſalem exíbunt relíquiæ, & ſalvátio de monte Sion. *Iſ.* 37. 31. 32. ℣. Scitóte quóniam propè eſt regnum Dei. *Luc.* 21. 31. * Quia. Glória. * Quia.

In Solemnibus minoribus aut ſuprà, reſumitur ℟. Mittet. *Et ſic in aliis Communibus.*

HYMNUS.

QUOS Chriſtus ténebras péllere méntibus,
(Gens biſséna novi lúmina fœderis)
Doctóres fidei mittit Apóſtolos,
Feſto cármine pángimus.

UT nubes plúviis denſa ſalúbribus,
Veri feta cohors tránſvolat æquora:
Chriſtum voce tonat: fálſaque córruunt,
Verbi fúlmine, númina.

VELOCES óperi quo páritur ſalus,
Plures per lácrymas, dum ſtérili ſacrum
Fundunt ſemen agro, ſpem ſimul áureæ
Meſſis córdibus ínſerunt.

NEC torménta movent impávidos mori:
Docti dura pati, móllia ſpérnere,
Fictas delícias, vánaque lúdicra
Mundi, quàm benè dócent!

HIS Chriſti réferunt dógmata móribus,
Naſcentiſque gregis partúrium fidem,
Quam, ne degéneri péctore décidat,
Fuſo ſánguine nútriunt.

HEU! noſtris ſua vox áuribus inſonans
Portátur, nec adhuc cordis ahéneam
Mollit durítiem: da per eos ſata,
Da, Numen, frúticet ſides.

SIT laus ſumma Patri, ſúmmaque Fílio:
Par ſit, ſancte, tibi glória, Spíritus,
Quo donánte, ferunt lumen Apóſtoli
Fines orbis ad últimos.
Amen.

℣. Annuntiábitur Dómino generátio ventúra; ℟. Et annuntiábunt cœli juſtítiam ejus pópulo qui naſcétur. *Pſ.* 21. 32.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. c. Pópulos vocábunt ad montem; ibi immolábunt víctimas juſtítiæ, qui inundatiónem maris quaſi lac ſugent, & theſáuros abſcónditos arenárum. *Deut.* 33. 19.

Oratio, ut in Proprio Sanctorum.

COMPLETORIUM *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Apoſtolórum Magiſtrum & Dóminum, * Veníte, adorémus. *Joan.* 13. 13.

Repetitur Invit. Apoſtolórum. *Et ſic in omnibus Communibus & omnibus Feſtis.*

Pſalmus, Veníte, *p.* 2.

Si Feſtum ſit Annuale, Solemne majus, aut Solemne minus, poſt ſingulos verſus Pſalmi Veníte, *repetitur ex integro Invitatorium. Si Feſtum ſit Duplex majus, aut Duplex minus, poſt primum verſum Pſalmi* Veníte, *repetitur Invita-*

torium ex integro ; poſt ſecundum verſum, fit tantùm Reclamatio, * Veníte, adorémus : *& ſic alternatim, ità ut factâ eâdem Reclamatione poſt* ℣. Sicut erat, *reſumatur integrum Invitatorium. Si tandem Feſtum ſit, aut Semiduplex, aut Simplex, poſt ſingulos verſus Pſalmi* Veníte, *fit tantummodo Reclamatio,* * Veníte, adorémus. *Quâ factâ poſt* ℣. Sicut erat, *repetitur Invitatorium integrum.*

Hæc dicta ſint pro ſingulis Communibus.

HYMNUS.

Supreme, quales, Arbiter,
Tibi miniſtros éligis,
Tuas opes qui vílibus
Vaſis amas committere!

Hæc nempè plena lúmine
Tu vaſa frangi præcipis:
Lux inde magna rúmpitur,
Ceu, nube ſciſsâ, fulgura.

Totum per orbem núntii,
Nubes velut, citi volant:
Verbo graves, Verbo Deo,
Tonant, coruſcant, pérpluunt.

Christum ſonant: verſæ ruunt
Arces ſupérbæ dæmonum:
Circùm tubis clangéntibus,
Sic verſa quondam mœnia.

Fac, Chriſte, cœléſtes tubæ
Somno graves nos éxcitent:
Accénſa de te lúmina
Pellant tenébras méntium.

Uni ſit & trino Deo
Supréma laus, ſummum decus,
De nocte qui nos ad ſuæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. *a.* Vocávit ad ſe Jeſus quos vóluit ipſe, & venérunt ad eum. *Marc.* 3. 13.

Ant. 5. a. Elégit duódecim ex ipſis, quos & Apóſtolos nominávit. *Luc.* 6. 13.

Ant. 6. *F.* Dixit eis Jeſus: Veníte poſt me, & fáciam vos fieri piſcatóres hóminum. *Marc.* 1. 17.

℣. Conſtítues eos Príncipes ſuper omnem terram; ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine. *Pſ.* 44. 17. 18.

Benedictiones habentur poſt Pſalterium, p. 101.

Tres primæ Lectiones de Scriptura occurrente, niſi Feſtum ſit Annuale aut Solemne majus; tunc enim habentur Lectiones propriæ. Et ſic in omnibus aliis Communibus.

℟. *j.* Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntiâ ſuâ à ſéculo. Dominántes in poteſtátibus ſuis, * Hómines magni virtúte, & prudéntiâ ſuâ prǽditi. *Eccli.* 44. 2. 3. ℣. Fecit Jeſus ut eſſent duódecim cum illo. *Marc.* 3. 14. * Hómines.

Si Feſtum ſit Annuale aut Solemne majus, factâ Reclamatione, dicitur Glória Patri. *Deinde repetitur Reclamatio. Et ſic in omnibus Reſponſoriis & omnibus Communibus.*

℟. ij. Antiqua ne intueámini; * Ecce ego fácio nova, & nunc orientur, utique cognoſcétis ea. Iſ. 43. 18. 19. ℣. Vos dixi amícos; quia ómnia quæcúmque audívi à Patre meo, nota feci vobis. Joan. 15. 15. * Ecce.

℟. iij. Non eſt inveſtigátio ſapiéntiæ ejus, qui dat laſſo virtútem, * Et his qui non ſunt, fortitúdinem & robur multíplicat. Iſ. 40. 28. 29. ℣. Ignobília mundi & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non ſunt. 1. Cor. 1. 28. * Et his. Glória. * Et his.

Si Feſtum ſit Annuale, Solemne majus, aut Solemne minus, poſt ℣. Glória, *reſumitur Reſponſorium. Et ſic in aliis Nocturnis, & in aliis Communibus.*

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Circuíbat Jeſus caſtélla in circúitu docens, & vocávit Duódecim, & cœpit eos míttere binos. *Marc.* 6. 6. 7.

Ant. 8. c. Dedit illis poteſtátem ſpirítuum immundórum, ut ejícerent eos. *Matt.* 10. 1.

Ant. 1. g. Miſit illos prædicáre regnum Dei, & ſanáre infirmos. *Luc.* 9. 2.

℣. Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini; ℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus. *Pſ.* 95. 3.

Benedictiones habentur poſt Pſalterium, p. 161. *Lectiones in Proprio Sanctorum.*

℟. iv. Diſpérſæ ſunt oves meæ, eò quòd non eſſet paſtor, & * Factæ ſunt in devoratiónem ómnium beſtiárum agri. *Ezech.* 34. 5. ℣. Ite ad oves quæ periérunt domûs Iſraël. *Matt.* 10. 6. * Factæ ſunt.

℟. v. Ite, ángeli velóces, ad gentem convúlſam & dilacerátam, * Ad pópulum terríbilem, poſt quem non eſt álius. *Iſ.* 18. 2. ℣. Ecce ego mitto vos ſicut oves in médio lupórum. *Matt.* 10. 16. * Ad pópulum.

℟. vj. Gaudéte & laudáte ſimul, desérta Jeruſalem: * Quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum. *Iſ.* 52. 9. ℣. Eúntes in mundum univérſum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. *Marc.* 16. 15. * Quia. Glória. * Quia.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 8. G. Prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte, & ſermónem confirmánte, ſequéntibus ſignis. *Marc.* 16. 20.

Ant. 2. D. Per manus Apoſtolórum fiébant ſigna & prodígia multa in plebe. *Act.* 5. 12.

Ant. 4. E. Erat manus Dómini cum eis, multúſque númerus credéntium convérſus eſt ad Dóminum. *Act.* 11. 21.

℣. Dóminus dabit verbum evangelizántibus, ℟. Virtúte multâ. *Pſ.* 67. 12.

Benedictiones habentur

poſt Pſalterium, p. 161. *Duæ Lectiones, cum Evangelio & Homilia, habentur in Proprio Sanctorum.*

℟. *vij.* Crevérunt, & quaſi germinántes multiplicáti ſunt, * Ac roboráti nimis implevérunt terram. *Exod.* 1. 7. ℣. Augebátur credéntium in Dómino multitúdo virórum ac mulíerum. *Act.* 5. 14. * Ac roboráti.

℟. *viij.* Aperíte portas, & * Ingrediátur gens juſta cuſtódiens veritátem: vetus error ábiit. *Iſ.* 26. 2. 3. ℣. Audiérunt Apóſtoli & fratres qui erant in Judæa, quóniam & Gentes recepérunt verbum Dei. *Act.* 11. 1. * Ingrediátur.

℟. *ix.* Hæréditas ſancta nepótes eórum, & in teſtaméntis ſtetit ſemen eórum; * Et filii eórum propter illos uſque in ætérnum manent. *Eccli.* 44. 12. 13. ℣. Lapidáti ſunt, ſecti ſunt, tentáti ſunt, in occiſióne gládii mórtui ſunt. *Hebr.* 11. 37. * Et filii. Glória, * Et filii.

Te Deum.

Quando Officium eſt trium tantùm Lectionum, Antiphona, ℣. & ℟℟℟. ſumuntur ſecundùm Feriam, id eſt: Feriâ II. & V. ſumuntur è I. Nocturno; Feriâ III. & VI. è II. Nocturno; Feriâ IV. & Sabbato è III. Nocturno. Et ſic in aliis Communibus.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotális.* Nimis honorificáti ſunt amíci tui, Deus; ℟. Nimis confortátus eſt principátus eórum. *Pſ.* 138. 17.

Ant. 6. F. Vos Sacerdótes Dómini vocabímini; Miníſtri Dei noſtri, dicétur vobis. *Iſ.* 61. 6.

Ant. 8. c. Sedébitis & vos ſuper ſedes duódecim, judicántes duódecim tribus Iſraël. *Matth.* 19. 28.

Ant. 8. G. Gaudébit cor veſtrum; & gáudium veſtrum nemo tollet à vobis. *Joan.* 16. 22.

Ant. 1. *g.* Vobis.

CANTICUM. *Iſaiæ c.* 52. *v.* 7. *ad* 10.

Laudantur prædicatores Evangelicæ pacis.

QUàm pulchri ſuper montes pedes annuntiántis & prædicántis pacem, * annuntiántis bonum!

Prædicántis ſalútem, * dicéntis Sion: Regnábit Deus tuus!

Vox ſpeculatórum tuórum levavérunt vocem, * ſimul laudábunt:

Quia óculo ad óculum vidébunt; * cùm convérterit Dóminus Sion.

Gaudéte & laudáte ſimul, desérta Jerúſalem; * quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum, redémit Jerúſalem.

Parávit Dóminus bráchium ſanctum ſuum, * in óculis ómnium géntium:

Et vidébunt omnes fines terræ Salutáre Dei noſtri.

Ant. Vobis datum eſt noſſe myſtérium regni Dei, cæteris autem, in parábolis. *Luc.* 8. 10.

Ant. 3. *a.* Rogáte dóminum meſſis, ut mittat operários in meſſem ſuam. *Matt.* 9. 38.

Si Officium ſit ſimplex, ſumitur ſola Antiphona quarta. Et ſic in aliis Communibus.

CAPITULUM. *Eph.* 4. 11. 12.

CHriſtus dedit quoſdam quidē Apóſtolos, quoſdam autem Prophétas, álios verò Evangeliſtas; álios autem Paſtóres & Doctóres, ad conſummatiónem ſanctórum, in opus miniſtérii, in ædificatiónem córporis Chriſti.

HYMNUS.

QUEM miſit in terras Deus,
Ut morte nos ſervet ſuâ,
Amóris hic fidos ſui
Vos éligit vicários.

OCCISUS Agnus à lupis,
Vos miſit agnos ad lupos;
Mores ferínos éxuunt,
Agni repéntè de lupis.

QUÆ victimárum cǽdibus
Tellus madébat ímpiis,
Veſtris eam ſudóribus,
Veſtro piáſtis ſánguine.

HOC rore facta pínguior,
Quot illa fructus prótulit!
Quæ, quanta ſurréxit ſeges!
Et iſta nos ſeges ſumus.

QUAM ſi bonus reſpéxeris,
Qui das rigátis créſcere,
Fruménta nos cœléſtibus
Matúra condes hórreis.

UNI ſit & trino Deo
Supréma laus, ſummum decus,
De nocte qui nos ad ſuæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Príncipes populórum congregáti ſunt, ℟. Cum Deo Abraham. *Pſ.* 46. 10.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Dediſti eis, Dómine, regna & pópulos, & partítus es eis ſortes; & poſſedérunt terram. 2. *Eſdr.* 9. 22.

Oratio ut in Proprio Sanctorum.

AD PRIMAM.

Hymnus. Jam lucis orto ſídere, *p.* 153. *Et ſic in aliis Communibus.*

Ant. 6. F. Vos Sacerdótes Dómini vocabímini; Miníſtri Dei noſtri, dicétur vobis. *Iſ.* 61. 6.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 12. 27. 28.

VOs eſtis corpus Chriſti, & membra de membro: & quoſdam quidem póſuit Deus in Eccléſia, primùm Apóſtolos, ſecúndò Prophétas, tértiò Doctóres.

℟. *breve.* Chriſte, Fili Dei vivi, &c. *ut in Pſalterio*, *p.* 153.

CANON *habetur ad calcem Breviarii.*

Cætera omnia ut in Pſal-

terio. Et ſic in aliis Communibus.

AD TERTIAM.

Hymnus. O fons amóris Spíritus, *p.* 157. *Et ſic in aliis Communibus.*

Ant. 8. c. Sedébitis & vos ſuper ſedes duódecim, judicántes duódecim tribus Iſraël. *Matt.* 19. 28.

CAPITULUM. *Sap.* 3. 8.

JUdicábunt natiónes, & dominabúntur pópulis, & regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

℟. *breve.* Annuntiavérunt cœli * Juſtítiam ejus. ℟. Annuntiavérunt. ℣. Et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus. * Juſtítiam. Glória. ℟. Annuntiavérunt. *Pſ.* 96. 6.

In Solemnibus minoribus & ſuprà, ac per Octavas Annualium & Solemnium majorum, in ℟. *brevi adduntur duo* Allelúia. *Et ſic ad Sextam & Nonam, illúdque obſervatur in omnibus Communibus.*

℣. Non ſunt loquélæ neque ſermónes, ℟. Quorum non audiántur voces eórum. *Pſ.* 18. 4.

Oratio quæ dicta fuit in Laudibus. Et ſic in aliis Communibus.

AD SEXTAM.

Hymnus. Jam ſolis áureum jubar, *p.* 157. *Et ſic in aliis Communibus.*

Ant. 8. *g.* Gaudébit cor veſtrum; & gaúdium veſtrum nemo tollet à vobis. *Joan.* 16. 22.

CAPITULUM. *Act.* 5. 41.

IBant gaudéntes à conſpéctu concílii; quóniam digni hábiti ſunt pro nómine Jeſu contuméliam pati.

℟. *breve.* Quis loquétur * Poténtias Dómini? ℟. Quis. ℣. Audítas fáciet omnes laudes ejus? * Poténtias. Glória. ℟. Quis loquétur. *Pſ.* 105. 2.

℣. Dómine Deus virtútum, quis ſímilis tibi? ℟. Potens es, Dómine; & véritas tua, in circúitu tuo. *Pſ.* 88. 9.

Oratio quæ dicta fuit in Laudibus. Et ſic in aliis Communibus.

AD NONAM.

Hymnus. Prono volútus ímpetu, *p.* 157. *Et ſic in aliis Communibus.*

Ant. 3. a. Rogáte dóminum meſſis, ut mittat operários in meſſem ſuam. *Matt.* 9. 38.

CAPITULUM. *Iſ.* 65. 23. 24.

SEmen benedictórum Dómini eſt, & nepótes eórum cum eis. Eritque: Antequàm clament, ego exáudiam: illis adhuc loquéntibus, ego áudiam, dicit Dóminus.

℟. *breve.* Dicent inter Gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis. ℟. Dicent. ℣. Magnificávit Dóminus fácere nobíſcũ. * Magnificávit. Glória. ℟. Dicent. *Pſ.* 125. 2. 3.

℣. Veníte, & vidéte ópera Dómini, ℟. Quæ

a 4

poſuit prodigia ſuper terram. Pſ. 45. 9.

Oratio quæ dicta fuit in Laudibus. Et ſic in aliis Communibus.

AD VESPERAS.

Ant. 1. D. Stultam fecit Deus ſapiéntiam hujus mundi. 1. Cor. 1. 20.

Ant. 2. D. Plácuit Deo per ſtultítiam prædicatiónis ſalvos fácere credéntes. 1. Cor. 1. 21.

Ant. 4. f. Quod ſtultum eſt Dei, ſapiéntius eſt homínibus: & quod infírmum eſt Dei, fórtius eſt homínibus. 1. Cor. 1. 25.

Ant. 3. a. Quæ ſtulta ſunt mundi, elégit Deus, ut confúndat ſapiéntes: & infirma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia. 1. Cor. 1. 27.

Ant. 5. C. Teſtaméntum ætérnum conſtítuit cum illis Deus: & juſtítiam, & judícia ſua oſténdit illis. *Eccli.* 17. 10.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 2. 7. 8.

LOquimur Dei ſapiéntiam in myſtério, quæ abſcóndita eſt, quam prædeſtinávit Deus ante ſécula in glóriam noſtrá, quam nemo príncipum hujus ſéculi cognóvit.

HYMNUS.

CŒLESTIS aulæ Príncipes,
Sacri Duces exércitûs,
Biſséna mundi Lúmina,
Olim futúri Júdices;
MERSIS gravi calígine,
Per vos dies renáſcitur;
Quos vanus error lúſerat,
Illúſtrat ipſa véritas.
NON vi, nec armis mílitum,
Fandi nec ullis ártibus;
Verbo ſed irríſæ crucis,
Chriſto rebélles ſúbditis.
QUIBUS gemébat ſúbditus
Rumpúntur orbis víncula;
Jam gaudet, excúſſo jugo,
Liber Dei ſub légibus.
VULGATA terris ómnibus,
Per vos Dei myſtéria;
Sic veſtra terris ómnibus
Præclára facta pérſonant.
UNI ſit & trino Deo
Supréma laus, ſummum decus,
De nocte qui nos ad ſuæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei: ℟. Et facta ejus intellexérunt. *Pſ.* 63. 10.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Glóriam adépti ſunt, & in diébus ſuis habéntur in laúdibus: qui de illis nati ſunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum. *Eccli.* 44. 7. 8.

Oratio ut in Proprio Sanctorum.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 2. D. Murus Civitátis habens fundaménta duódecim, & in ipſis, duódecim nómina duódecim Apoſtolórum Agni. *Apoc.* 21. 14.

Hymnus habetur vel in Pſalterio, vel in Proprio de Tempore.

Capitulum. *Eph.* 2. 19. 20.

FRatres, jam non eſtis hóſpites & ádvenæ, ſed eſtis cives Sanctórum & doméſtici Dei, ſuperædificáti ſuper fundaméntum Apoſtolórum & Prophetárum, ipſo ſummo angulári lápide Chriſto Jeſu.

℟. br. In manus, *p.* 159. *Ad* Nunc dimíttis, *Ant.* 1. a. Fundaméntum áliud nemo poteſt pónere, præter id quod póſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. 1. *Cor.* 3. 11.

Oratio & cætera omnia ut in Pſalterio, p. 160. *Et ſic in aliis Communibus.*

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 1. *toni. g.*

JUſtus, quaſi leo confidens, abſque terróre erit. *Prov.* 28. 1.

Ant. 2. *D.* In tentatióne, ámbulat cum eo ſapiéntia, & in primis éligit eum. *Eccli.* 4. 18.

Ant. 3. à. In tentatióne, Deus illum conſervábit, & liberábit à malis. *Eccli.* 33. 1.

Ant. 4. a. Firmábit illum, & iter addúcet diréctum ad illum, & lætificábit illum. *Eccli.* 4. 20.

Ant. 8. G. Uſque in tempus ſuſtinébit pátiens; & póſteà reddítio jucunditátis. *Eccli.* 1. 29.

Capitulum. *Eccli.* 2. 5. 6.

IN igne probátur aurum & argéntum, hómines verò receptíbiles in camíno humiliatiónis. Crede Deo, & recuperábit te: & dírige viam tuam, & ſpera in illum.

In Duplicibus majoribus & ſuprà.

℟. Benedíctus vir qui confídit in Dómino, * Et erit Dóminus fidúcia ejus. *Jer.* 17. 7. ℣. Qui credit in Filium Dei, habet teſtimónium Dei in ſe. 1. *Joan.* 5. 10. * Et erit. Glória. * Et erit.

Hymnus.

EX quo, ſalus mortálium,
Fluxit ſacer Dei cruor,
Homo redémptus æmulum
Deo litávit ſánguinem.

NON jam crucis Chriſti pudet;
Quin ſurgit ingens glória,
Deum fatéri mórtuum,
Pro mórtuo mori Deo.

HOC iſte plenus ſpíritu
Ridet minas, ridet neces,
Tuâque fretus dexterâ,
Tibi, Redémptor, mílitat.

PARATA ſpectans prǽmia,
Secúrus ad pœnas volat;
Sic pugnat, ut ſperet mori,
Et morte mortem víncere.

UNUS tot armátas manus
Stupénte laſſat júdice;
Et tortus ipſis, qui cadit,

Torquéntibus fit fórtior.

Da, Christe, tanti mílitis
Æquáre facta fórtia;
Da sustinére pro tuo,
Quodcúmque durum, nómine.

Sit laus Patri; laus Fílio
Testi fidéli, quo duce,
Torménta vincunt Mártyres;
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Justus, cùm cecíderit, non collidétur; ℟. Quia Dóminus suppónit manum suam. *Ps.* 36. 24.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. *a.* Bonus Dóminus, & confórtans in die tribulatiónis, & sciens sperántes in se. *Nah.* 1. 7.

Oratio ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.

Si eodem die occurrat Commemoratio alterius Martyris, fiet per Antiphonam ad Benedíctus, *infrà, &* ℣. *ex Laudibus, cum Oratione in Proprio Sanctorum designata. Quod servatur in omni alio Communi.*

Completorium *habetur post secundas Vesperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Deum qui fidéli usque ad mortem dat corónam vitæ, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 2. 10.

Psalmus, Veníte, *p.* 2.

Hymnus.

Felix morte tuâ, qui cruciátibus
Cælo difficilem rumpere amas viam,
Et signáre cruóre,
Quam Christo déderas fidem.

Pœnis victa quibus defíceret fides?
Tu pœnas avidâ mente præóccupas:
Cui non sufficit una,
Ambis innúmeras neces.

Te pro lege sua magnánimum mori,
Te Christus púgilem spectat ab æthere;
Ne succúmbere possis,
Tecum prælia sústinet.

Et nos delícias, vana per ótia,
Gens infida Deo, quærimus ánxii:
Quid torpémus? inértes
Sanguis Mártyris éxcitat.

Patri máxima laus; máxima Fílio;
Amborúmque sacro máxima Flámini,
Cujus róbore freti,
Vincunt fúnera Mártyres.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. J. Destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. 2. *Mach.* 6. 20.

Ant. 2. *D.* Propter opus Christi, usque ad mortem accéssit, tradens ánimam suam. *Philipp.* 2. 30.

Ant. 3. c. Gloriosíssimam mortem magìs quàm odíbilem vitam compléctens, voluntáriè præíbat ad supplícium. 2. *Mach.* 6. 19.

℣. Fortitúdinem meam ad te custódiam; ℟. Quia, Deus, suscéptor meus es. *Ps.* 58. 10.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Qui timet Dóminum, nihil trepidábit, & non pavébit; quóniam ipſe eſt ſpes ejus. * Timéntis Dóminum beáta eſt ánima ejus. *Eccli.* 34. 16. 17. ℣. Víncula & tribulatiónes me manent; ſed nihil horum véreor. *Act.* 20. 23. 24. * Timéntis.

℟. *ij.* Cum fidúcia ait: * E cœlo iſta poſsídeo; ſed propter Dei leges, nunc hæc ipſa deſpício, quóniam ab ipſo me ea receptúrum ſpero. 2. *Mach.* 7. 11. ℣. Non fácio ánimam meam pretioſiórem quàm me. *Act.* 20. 24. * E cœlo.

℟. *iij.* Deus à peccatóribus liberávit eum; * Deſcendítque cum illo in fóveam, & in vínculis non dereliquit illum. *Sap.* 10. 13. 14. ℣. Erat Deus cum eo, & erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus. *Act.* 7. 9. 10. * Deſcendítque. Glória. * Deſcendítque.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8. G. Certámen forte dedit illi Dóminus, ut vínceret, & ſciret quóniam ómnium poténtior eſt ſapiéntia. *Sap.* 10. 12.

Ant. 5. a. Non hæſitávit diffidéntiâ, ſed confortátus eſt fide, dans glóriam Deo. *Rom.* 4. 20.

Ant. 7. d. Et hic ítaque mundus óbiit, per ómnia in Dómino confidens. 2. *Mach.* 7. 40.

℣. Scápulis ſuis obumbrábit tibi Dóminus; ℟. Et ſub pennis ejus ſperábis. *Pſ.* 90. 4.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. *iv.* Cùm à morte poſſem liberári, duros córporis ſuſtíneo dolóres; ſecúndùm ánimam verò, * Propter timórem tuum, Dómine, libénter hæc pátior. 2. *Mach.* 6. 30. ℣. Pátior, ſed non confúndor; ſcio enim cui crédidi. 2. *Tim.* 1. 12. * Propter.

℟. *v.* Exémplum forte relínquam, ſi prompto ánimo ac fórtiter, * Pro graviſſimis ac ſanctiſſimis légibus, honéſtâ morte perfungar. 2. *Mach.* 6. 28. ℣. Magis éligens affligi cum pópulo Dei, quàm temporális peccáti habére jucunditátem. *Hebr.* 11. 25. * Pro.

℟. *vj.* Hanc tentatiónem ídeò permíſit Dóminus evenire illi, * Ut póſteris darétur exémplum patiéntiæ ejus. *Tob.* 2. 12. ℣. In labóribus plúrimis, in carcéribus abundántiùs, in plagis ſuprà modum, in mórtibus frequénter. 2. *Cor.* 11. 23. * Ut póſteris. Glória. * Ut póſteris.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 8. a. Honeſtávit illum Deus in labóribus, & complévit labóres illius. *Sap.* 10. 10.

Ant. 1. g. Mendáces oſténdit Deus qui maculavérunt illum, & dedit illi claritátem ætérnam. *Sap.* 10. 14.

Ant. 6. F. Abſque terróre requiéſcet, & abundántiâ perfruétur, timóre malórum ſubláto. *Prov.* 1. 33.

℣. Dicet Dómino: Suſcéptor meus es tu, ℟. Et refúgium meum. *Pſ.* 90. 2.

Duæ Lectiones cum Evangelio & Homilia, ut in Proprio Sanctorum.

℟. *vij.* Eruens liberábo te, & gládio non cades: ſed erit tibi ánima tua in ſalútem; * Quia in me habuíſti fidúciam, ait Dóminus. *Jer.* 39. 18. ℣. Quóniam ſerváſti verbum patiéntiæ meæ, & ego ſervábo te ab hora tentatiónis. *Apoc.* 3. 10. * Quia.

℟. *viij.* Nunc réquiem dedit Dóminus Deus meus mihi per circúitum; * Et non eſt Satan, neque occúrſus malus. 3. *Reg.* 5. 4. ℣. Oppréſſum à nefandórum injúria, ac luxurióſa converſatióne erípuit. 2. *Petr.* 2. 7. * Et non.

℟. *ix.* Probávit me Deus quaſi aurum quod per ignem tranſit; * Veſtígia ejus ſecútus eſt pes meus; viam ejus cuſtodívi, & non declinávi ex ea. *Job.* 23. 10. 11. ℣. Repóſita eſt mihi coróna juſtítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die juſtus judex. 2. *Tim.* 4. 8. * Veſtígia. Glória. * Veſtígia.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Ego cantábo fortitúdinem tuam, Dómine; ℟. Et exultábo manè miſericórdiam tuam. *Pſ.* 58. 17.

Ant. 4. A. Dóminus tecum, virórum fortíſſime. *Judic.* 6. 12.

Ant. 5. a. Non eſt Deus álius ut Deus rectíſſimi; Aſcénſor cœli auxiliátor tuus. *Deut.* 33. 26.

Ant. 7. d. Dóminus ipſe erit tecum; non dimíttet, nec derelínquet te. *Deut.* 31. 8.

Ant. 1. D. Deus.

CANTICUM. *Eccli. c.* 51. *v.* 1. *ad* 5.

Martyr Deum laudat, & gratias agit pro victoria reportata.

Confitébor tibi, Dómine Rex, * & collaudábo te Deum ſalvatórem meum.

Confitébor nómini tuo, * quóniam adjútor & protéctor factus es mihi:

Et liberáſti corpus meum à perditióne, à láqueo linguæ iníquæ, & à lábiis operántium mendácium: * & in conſpéctu aſtántium factus es mihi adjútor:

Et liberáſti me secúndùm multitúdinem miſericórdiæ nóminis tui, * à rugiéntibus præparátis ad eſcá,

De mánibus quæréntium ánimam meam, * & de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me.

Ant. Deus tuus quem colis semper, ipſe liberábit te. *Dan.* 6. 16.

Ant. 2. *D.* Ejíciet à fácie tua inimícum, dicétque: Contérere. *Deut.* 33. 27.

CAPITULUM. *Rom.* 5. 3. 4. 5.

GLoriámur in tribulatiónibus, ſciéntes quòd tribulátio patiéntiam operátur, patiéntia autem probatiónem, probátio verò ſpem, ſpes autem non confúndit.

HYMNUS.

ECquis magnánimus ſe pugil éxhibet?
Fit verbum gládius, fit clýpeus fides;
Athletámque Dei præparat árdua
Ad certámina véritas.

I NUNC, ſancte pugil, quò pia prælia,
Quò te magna vocant prǽmia mílitem:
Præſens Chriſtus adeſt: hoc duce, non cades,
Ni victâ morte fórtior.

FRUSTRA barbáries explícuit cruces;
Nil torménta movent, ore ſerénior,
Et fidens ánimi, promptus ad ómnia,
Pœnas inter ovat ſuas.

REGIS ante feros impávidus volat,
Teſtatúrque fidem; nil métuit mori;
Os viréſque, ſui polliciti memor,
Præſens ſuppéditat Deus.

ÆTERNUM, cita mors vívere Mártyri
Quod ſpondet, próperas, Martyr ovans mori;
Palmam dum móriens conſéqueris tibi,
Firmas, nóſque mori doces.

PATRI máxima laus, máxima Fílio,
Amborúmque ſacro máxima Flámini,
Qui dat Martýribus mille neces pati,
Et per fúnera víncere.
Amen.

℣. Dóminus exaudívit eum, ℟. Et de ómnibus tribulatiónibus ejus ſalvávit eum. *Pſ.* 33. 7.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. d. Hoc pro certo habet omnis qui te colit, Dómine, quòd vita ejus, ſi in probatióne fúerit, coronábitur. *Tob.* 3. 21.

Oratio.

ADéſto, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris; ut qui beáti Mártyris tui *N.* natalítiis gloriámur, nec minis injúſtè perſequéntium, nec ullis perturbémur advérſis; Per Dóminum.

Alia Oratio.

DA nobis, quæſumus, Dómine, intercedénte beáto *N.* Mártyre tuo, in tua fide & ſinceritáte conſtántiam; ut in caritáte divína firmáti, nullis ten-

tatiónibus ab ejus integritáte divellámur; Per Dóminum.

Si ſit Pontifex,

Oratio.

FAc nos, Dómine Deus, imitári ſacerdotálem conſtántiam beáti *N.* Mártyris tui atque Pontíficis; ut fidem ſervántes quam dócuit, ejúſdem corónæ consórtes efficiámur; Per Dóminum.

Alia Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui beáto *N.* dignam Mártyre atque Pontífice fidem & fortitúdinem tribuíſti; fac nos, ejus méritis, vitæ frágilis amórem abjícere, & ad te, qui ſolus vera vita es, felíciter perveníre; Per Dóminum.

Si facienda ſit Commemoratio alterius Martyris, fiet per Ant. ad Magníficat *&* ℣. *ex ſecundis Veſperis: Quod ſervatur in omni alio Communi.*

AD PRIMAM.

Ant. 4. A. Dóminus tecum, virórum fortíſſime. *Judic.* 6. 12.

CAPITULUM. *Apoc.* 6 2.

DAta eſt ei coróna; & exívit vincens, ut vínceret.

Cætera ut in Pſalterio, p. 153.

AD TERTIAM.

Ant. 5. a. Non eſt Deus álius ut Deus rectíſſimi; Aſcénſor cœli auxiliátor tuus. *Deut.* 33. 26.

CAPITULUM. *Apoc.* 3. 12.

QUi vícerit, fáciam illum colúmnam in templo Dei mei, & forâs non egrediétur ámpliùs, & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei.

℟. *breve.* Super ſalutáre tuum, Dómine, * Exultábit veheménter. ℟. Super. ℣. Deſidérium cordis ejus tribuíſti ei. * Exultábit. Glória. ℟. Super. *Pſ.* 20. 2. 3.

℣. Poſuíſti in cápite ejus corónam, ℟. De lápide pretióſo. *Pſ.* 20. 4.

AD SEXTAM.

Ant. 7. d. Dóminus ipſe erit tecum; non dimittet, nec derelínquet te. *Deut.* 31. 8.

CAPITULUM. *Sap.* 10. 16.

SApiéntia intrávit in ánimam ſervi Dei, & ſtetit contra reges horréndos, in porténtis & ſignis.

℟. *breve.* Adjútor meus, * Tibi pſallam. ℟. Adjútor. ℣. Quia, Deus, ſuſcéptor meus es. * Tibi. Glória. ℟. Adjútor. *Pſ.* 58. 18.

℣. Tu, Dómine, adjuvíſti me, ℟. Et conſolátus es me. *Pſ.* 85. 17.

AD NONAM.

Ant. 2. *D.* Ejíciet à fácie tua inimícum, dicétque: Contérere. *Deut.* 33. 27.

CAPITULUM. *Jer.* 20. 13.

CAntáte Dómino, laudáte Dóminum; quia liberávit ánimam pauperis de manu malórum.

℟. *breve.* Magna eſt * Glória ejus. ℟. Magna. ℣. In ſalutári tuo, Dómine. * Glória. Glória. ℟. Magna. *Pſ.* 20. 6.

℣. Glóriam & magnum decórem, ℟. Impónes ſuper eum. *Pſ.* 20. 6.

AD VESPERAS.

Ant. 8. g. Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit quóniam Jeſus eſt Fílius Dei? 1. *Joan.* 5. 5.

Ant. 1. a. Hæc eſt grátia, ſi propter Dei conſciéntiam, ſúſtinet quis triſtítias, pátiens injúſtè. 1. *Petr.* 2. 19.

Ant. 3. c. Qui certat in agóne, non coronátur, niſi legítimè certáverit. 2. *Tim.* 2. 5.

Ant. 2. *D.* Qui vícerit, non lædétur à morte ſecúnda. *Apoc.* 2. 11.

Ant. 6. F. Qui vícerit ſic, veſtiétur veſtiméntis albis. *Apoc.* 3. 5.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 9. 25.

OMnis qui in agóne conténdit, ab ómnibus ſe ábſtinet; & illi quidem, ut corruptíbilem corónam accípiant, nos autem incorrúptam.

HYMNUS.

JAm non te lácerant carníficum manus,
Inter qui récubas Cœlítuum choros:
Nunc pro cárcere cœco,
Fulgéntes hábitas domos.
NON jam víncla manus, non cóhibent pedes
Tu liber Súperûm regna perámbulas:
Quot plagis laniátus,
Cœlo tot rádiis nites.
NEC te dira fames, nec ſitis ámpliùs,
Nec probróſa premit te modò núditas:
Nunc te lúmine puro
Páſcit Chriſtus & índuit.
SIC tu Martýribus dexter ades, Deus,
Ut quos mors périmit, glória víndicet:
Confundíſque tyránnum,
Dum quos déprimit, élevas.
PATRI máxima laus; máxima Fílio;
Amborúmque ſacro máxima Flámini,
Cujus róbore freti,
Vincunt fúnera Mártyres. Amen.

℣. Si conſíſtant advérsùm me caſtra, ℟. Non timébit cor meum. *Pſ.* 26. 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. c. Qui amat ánimam ſuam, perdet eam; & qui odit ánimam ſuam in hoc mundo, in vitam ætérnam cuſtódit eam. *Joan.* 12. 25.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 4. a. Qui ſuſtinúerit in finem, hic ſalvus erit. *Matt.* 13. 13.

Hymnus conveniens.

CAPITULUM. *Jac.* 1. 2. 3. 4.

OMne gáudium exiſtimáte, fratres mei, cùm in tentatiónes várias

incidéritis, ſciéntes quòd probátio fidei veſtræ patiéntiam operátur, patiéntia autem opus perféctum habet.

℟. *breve.* In manus, *p.* 159.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.*

5. a. Beátus vir qui ſuffert tentatiónem; quóniam, cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. *Jac.* 1. 12.

Oratio & cætera omnia ut in Pſalterio, p. 160.

COMMUNE PLURIUM MARTYRUM.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 2. toni D.

JUſtítia rectórum liberábit eos: & in inſídiis ſuis capiéntur iníqui. *Prov.* 11. 6.

Ant. 3. *a.* Eligéntur, & dealbabúntur, & quaſi ignis probabúntur multi. *Dan.* 12. 10.

Ant. 4. f. Ruent in gládio, & in flamma, & in captivitáte. *Dan.* 11. 33.

Ant. 5. c. In paucis vexáti, in multis benè diſponéntur. *Sap.* 3. 5.

Ant. 1. a. Ruent, ut confléntur, & eligántur, & dealbéntur, uſque ad tempus præfinítum. *Dan.* 11. 35.

Capitulum. *Iſ.* 51. 7. 8.

NOlíte timére oppróbrium hóminum, & blaſphémias eórum ne metuátis; ſicut enim veſtiméntum, ſic cómedet eos vermis; & ſicut lanam, ſic devorábit eos tínea: ſalus autem mea in ſempitérnum erit.

In Duplicibus majoribus & ſuprà.

℟. Omnes qui placuérunt Deo, * Per multas tribulatiónes tranſiérunt fidéles. *Judith.* 8. 23. ℣. Datum eſt béſtiæ bellum fácere cum ſanctis. *Apoc.* 13. 7. * Per. Glória. * Per.

HYMNUS.

FORTES cadéndo Mártyres,
Quos empta fuſo ſánguine
Cœléſtis ornat púrpura,
Junctis canámus vócibus.

IMPLERE vos omnes decet
Paſſo Deo quod défuit;
Per tot neces læſo Patri
Fit plena Chriſtus hóſtia.

QUEM lictor inſánus ſitit,
Quem cœcus effúndit furor,
Amor ſacérdos pródigum
Chriſto cruórem cónſecrat.

ET ille, mixtus ſánguini
Quem fudit in ligno Deus,
Fundéntibus placábilem
Oráre non ceſſat Deum.

SIC, Chriſte, robur Mártyrum,
Certáre das & víncere;
Tuóſque múnerans, tua
Æquus corónas múnera.

QUO duce, vincunt Mártyres,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

℣. Viríliter ágite, & confortétur cor veſtrum,
℟. Omnes qui ſperátis in Dómino. *Pſ.* 30. 25.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. J. Agnóſcent qui derelícti ſunt, quóniam nihil mélius eſt, quàm timor Dei, & nihil dúlcius, quàm reſpícere in mandátis Dómini. *Eccli.* 23. 37.

Oratio ut infrà ad Laudes, nisì ſit propria.

COMPLETORIUM *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Dóminum legítimè certántes coronántem, * Veníte, adorémus. 2. *Tim.* 2. 5.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2.

HYMNUS.

CHRISTI Martýribus débita nos decet,
Virtútis mémores, prómere cántica,
Quos nec blandítiis, nec pótuit minis
Fallax víncere ſéculum.

CŒLESTIS pátriæ mens ínhians bonis,
Mundi ſpernit opes flúxaque gáudia:
Vitæ quin étiam, præ Dómini lucro,
Jactúram fácilem putant.

NON vultus métuunt carníficum truces:
Fetas ſupplíciis deſpíciunt manus:
Enſes, flagra, rotas, ómnia pérpeti
Victrix edócuit fides.

O INCREDIBILEM vim patiéntiæ!
Non, artus láceros qui crúciat dolor,
Extórquet gémitum, non querimóniam
Agnis mítibus élicit.

ERGO nunc própior, Chriſte, tibi ſedet
Palmis turba nitens uſque viréntibus,
Victorúmque gerens prǽmia, nóbiles
Multo ſánguine láureas.

SIT laus ſumma Patri, ſúmmaque Fílio:
Sit par, ſáncte, tibi glória, Spíritus,
Cujus præſídio prǽlia ſúſtinent
Contémptâ nece Mártyres. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Abſit à nobis, ut relinquámus Dóminum, & ſerviámus diis aliénis. *Joſ.* 24. 16.

Ant. 3. *à.* Paráti ſumus mori, magìs quàm pátrias Dei leges prævaricári. 2. *Mach.* 7. 2.

Ant. 2. D. Moriámur omnes in ſimplicitáte noſtra: & teſtes erunt ſuper nos cœlum & terra. 1. *Mach.* 2. 37.

℣. Non diſcédimus à te, Dómine; vivificábis nos; ℟. Et nomen tuum invocábimus. *Pſ.* 79. 19.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Invicem ſe hortabántur mori fórtiter, dicéntes: Dóminus Deus aſpi-

ciet veritátem, * Et conſolábitur in nobis. 2. *Mach.* 7. 5. 6. ℣. Módicùm paſſos Deus ipſe perficiet, confirmábit, ſolidabítque. 1. *Petr.* 5. 10. * Et conſolábitur.

℟. *ij.* Pótiùs eſt ab homínibus morti datos, ſpem expectáre à Deo, * Iterùm ab ipſo reſuſcitándos. 2. *Mach.* 7. 14. ℣. Vocávit nos in ætérnam ſuam glóriam in Chriſto Jeſu. 1. *Petr.* 5. 10. * Iterùm.

℟. *iij.* Propítius ſit nobis Deus. * Non eſt nobis útile relínquere legem & juſtítias Dei. 1. *Mach.* 2. 21. ℣. Quam dabit homo commutatiónem pro ánima ſua? *Matt.* 16. 26. * Non eſt. Glória. * Non eſt.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Convaluérunt ánimis, non ſolùm hómines, ſed & béſtias ferocíſſimas, & muros férreos paráti penetráre. 2. *Mach.* 11. 9.

Ant. 8. c. Ibant prompti, de cœlo habéntes adjutórem, & miſerántem ſuper eos Dóminum. 2. *Mach.* 11. 10.

Ant. 7. c. Tradidérunt córpora ſua, ne ſervírent, & ne adorárent omnem deum, excépto Deo ſuo. *Dan.* 3. 95.

℣. Multæ tribulatiónes juſtórum; ℟. Et de ómnibus his liberábit eos Dóminus. *Pſ.* 33. 20.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. *iv.* Tanquam aurum in fornáce * Probávit illos Deus, & quaſi holocáuſti hóſtiam accépit illos. *Sap.* 3. 6. ℣. Ludíbria & vérbera expérti, ínſuper & víncula & cárceres. *Hebr.* 11. 36. * Probávit.

℟. *v.* Noluérunt infríngere legem Dei ſanctam, & * Trucidári ſunt. 1. *Mach.* 1. 66. ℣. Egéntes, anguſtiáti, afflícti, quibus dignus non erat mundus. *Hebr.* 11. 37. 38. * Trucidári ſunt.

℟. *vj.* Et ſi coram homínibus torménta paſſi ſunt, * Spes illórum immortalitáte plena eſt. *Sap.* 3. 4. ℣. In multo experiménto tribulatiónis, abundántia gaúdii ipsórum fuit. 2. *Cor.* 8. 2. * Spes. Glória. * Spes.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. A. Módico nunc dolóre ſuſtentáto, ſub teſtaménto ætérnæ vitæ effécti ſunt. 2. *Mach.* 7. 36.

Ant. 7. d. Agnus qui in médio throni eſt, reget illos, & dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum. *Apoc.* 7. 17.

Ant. 1. *D.* Accípient regnum decóris, & diadéma ſpeciéi de manu Dómini. *Sap.* 5. 17.

℣. Salvábit eos Dóminus; ℟. Quia ſperavérunt in eo. *Pſ.* 36. 40.

Duæ Lectiones cum Evangelio & Homilia, ut in Proprio Sanctorum.

℟. *vij.* Venit Antíquus diérum, & judícium dedit

Sanctis Excélſi ; * Et tempus advénit, & regnum obtinuérunt Sancti. *Dan.* 7. 22. ℣. Non dilexérunt ánimas ſuas uſque ad mortem. *Apoc.* 12. 11. * Et tempus.

℟. *viij.* Viſi ſunt óculis inſipiéntium mori ; & * Æſtimáta eſt afflíctio, éxitus illórum ; & quod à nobis eſt iter, exterminium ; illi autem ſunt in pace. *Sap.* 3. 2. 3. ℣. Beáti qui perſecutiónem patiúntur propter juſtítiam, quóniam ipsórum eſt regnum cœlórum. *Matth.* 5. 10. * Æſtimáta.

℟. *ix.* Vitam illórum æſtimabámus insániam, & finem illórum ſinè honóre : * Ecce quómodo computáti ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illórum eſt ! *Sap.* 5. 4. 5. ℣. Nolíte amíttere confidéntiam veſtram, quæ magnam habet remuneratiónem. *Hebr.* 10. 35. * Ecce. Glória. * Ecce.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Non derelínquet Dóminus ſanctos ſuos ; ℟. In ætérnum conſervabúntur. *Pſ.* 36. 28.

Ant. 3. E. Qui própriâ voluntáte obtuliſtis vos diſcrímini, benedícite Dómino. *Judic.* 5. 9.

Ant. 4. a. Vobis donátum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credátis, ſed ut étiam pro illo patiámini. *Philipp.* 1. 29.

Ant. 2. D. Rapínam bonórum veſtrórum cum gáudio ſuſcepiſtis, cognoſcéntes vos habére melióres & manéntem ſubſtántiam. *Hebr.* 10. 34.

Ant. 1. f. Credéntes.

CANTICUM. *Sap. c.* 3. *v.* 1. *ad* 8.

Gloria Martyrum celebratur.

JUſtórum ánimæ in manu Dei ſunt, * & non tanget illos torméntum mortis.

Viſi ſunt óculis inſipiéntium mori ; * & æſtimáta eſt afflíctio, éxitus illórum ;

Et quod à nobis eſt iter, extermínium ; * illi autem ſunt in pace.

Et ſi coram homínibus torménta paſſi ſunt, * ſpes illórum immortalitáte plena eſt.

In paucis vexáti, in multis benè diſponéntur : * quóniam Deus tentávit eos, & invénit illos dignos ſe.

Tanquam aurum in fornáce probávit illos, & quaſi holocáuſti hóſtiam accépit illos ; * & in témpore erit reſpéctus illórum.

Fulgébunt Juſti, * & tanquam ſcintíllæ in arundinéto diſcúrrent.

Judicábunt natiónes, & dominabúntur pópulis ; * & regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Ant. Credéntes exultábitis lætítiâ inenarrábili & glorificátâ, reportántes finem fidei veſtræ, ſalútem animárum. 1. *Petr.* 1. 8. 9.

Ant. 6. F. Cùm Chriſtus apparúerit, vita veſtra, tunc & vos apparébitis cum ipſo in glória. *Coloſſ.* 3. 4.

CAPITULUM. *Apoc.* 6. 11.

DAtæ ſunt illis ſíngulæ ſtolæ albæ: & dictum eſt illis, ut requiéſcerent adhuc tempus módicum, donec compleántur consérvi eórum, & fratres eórum, qui interficiéndi ſunt, ſicut & illi.

HYMNUS.

QUAM, Chriſte, ſignáſti viam
Primus, profúſo sánguine,
Per hanc tuì te fórtiter
Ducem ſequúntur mílites.

FOSSUS manus, foſſus pedes,
Ovans ad aſtra tránſvolas,
Et membra trunci Mártyres,
Addunt triúmpho ſe tuo.

OMNES in oſtro ſpléndidi
Tuum tribúnal ámbiunt:
Accépta monſtrant vúlnera,
Et per tot ora súpplicant.

AUDIRE ſi nos réſpuis,
Quos críminum moles gravat,
Audi tuos, qui sánguinem
Fudére pro te, Mártyres.

FAC, ſi tyránnus déficit,
Ne blandiéndo mólliùs
Frangat volúptas péctora,
Ipſis tyránnis ſævior.

CUJUS ſub armis mílitant,
Mundúmque vincunt Mártyres,
Sit ſit laus Patri; laus Filio;
Par ſit tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Ad te, Dómine, clamavérunt; ℟. Et ſalvi facti ſunt. *Pſ.* 21. 6.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Dedíſti eos, Dómine, in manu hóſtium ſuórum, & affixérunt eos; & in témpore tribulatiónis ſuæ clamavérunt ad te, & tu de cœlo audíſti. 2. *Eſdr.* 9. 27.

Oratio.

EXaúdi nos, Dómine, Mártyrum tuórum *N.* & *N.* victórias celebrántes; ut córdibus ex eórum paſſióne ſuccénſis, in lege tua fidéliter ambulémus; Per Dóminum.

Alia Oratio.

MArtyris tui *N.* & Sociórum ſolémnia recenséntes, súpplices te, Dómine, deprecámur, ut in tua caritáte radicári & fundári, paſſiónes hujus témporis, glóriæ cœléſtis amóre, ánimo volénti ſuſtineámus; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 3. E. Qui própriâ voluntáte obtuliſtis vos diſcrímini, benedícite Dómino. *Judic.* 5. 9.

CAPITULUM. *Apoc.* 7. 14.

HI ſunt qui venérunt de tribulatióne magna, & lavérunt ſtolas ſuas, & dealbavérunt eas in sánguine Agni.

Cætera ut in Pſalterio, p. 153.

AD TERTIAM.

Ant. 4. a. Vobis donátum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credátis, ſed ut étiam pro illo patiámini. *Philipp.* 1. 29.

Capitulum. *Sap.* 10. 17.

REddidit Deus juſtis mercédem labórum ſuórum, & dedúxit illos in via mirábili; & fuit illis in velaménto diéi, & in luce ſtellárum per noctem.

℟. *breve.* Probáſti nos, Deus, * Igne nos examináſti. ℟. Probáſti. ℣. Sicut examinátur argéntum. * Igne. Glória. ℟. Probáſti. *Pſ.* 65. 10.

℣. Salváſti nos de affligéntibus nos; ℟. Et odiéntes nos confudíſti. *Pſ.* 43. 8.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Rapínam bonórum veſtrórum cum gaúdio ſuſcepíſtis, cognoſcéntes vos habére meliórem & manéntem ſubſtántiam. *Hebr.* 10. 34.

Capitulum. *Apoc.* 7. 15. 16.

QUi ſedet in throno, habitábit ſuper illos; non eſúrient neque ſítient ámpliùs, nec cadet ſuper illos ſol, neque ullus æſtus.

℟. *breve.* Propter te, Dómine; * Mortificámur totâ die. ℟. Propter. ℣. Æſtimáti ſumus ſicut oves occiſiónis. * Mortificámur. Glória. ℟. Propter. *Pſ.* 43. 22.

℣. Clamavérunt Juſti; ℟. Et Dóminus exaudívit eos. *Pſ.* 34. 18.

AD NONAM.

Ant. 6. F. Cùm Chriſtus apparúerit, vita veſtra, tùnc & vos apparébitis cum ipſo in glória. *Coloſſ.* 3. 4.

Capitulum. *Apoc.* 21. 4.

ABſtérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abiérunt.

℟. *breve.* Eúntes * Ibant & flebant. ℟. Eúntes. ℣. Mitténtes sémina ſua. * Ibant. Glória. ℟. Eúntes. *Pſ.* 125. 6.

℣. Veniéntes autem, vénient cum exultatióne, ℟. Portántes manípulos ſuos. *Pſ.* 125. 6.

AD VESPERAS.

Ant. 7. *d.* Vaſa ſiguli probat fornax, & hómines juſtos tentátio tribulatiónis. *Eccli.* 27. 6.

Ant. 1. a. In perpétuum vivent, & apud Dóminum eſt merces eórum, & cogitátio illórum apud Altíſſimum. *Sap.* 5. 16.

Ant. 6. F. Si ſuſtinébimus, & conregnábimus: ſi negavérimus, & ille negábit nos. 2. *Tim.* 2. 12.

Ant. 7. d. Sicut abúndant paſſiónes Chriſti in nobis, ità & per Chriſtum abúndat conſolátio noſtra. 2. *Cor.* 1. 5.

Ant. 2. D. Méliùs eſt benefaciéntes, ſi volúntas Dei velit, pati, quàm ma-

leſaciéntes. 1. *Petri* 3. 17.

CAPITULUM. 1. *Petr.* 4. 15. 16.

NEmo veſtrûm patiátur ut homicída, aut fur, aut malédicus, aut alienórum appetítor; ſi autem ut Chriſtiánus, non erubéſcat, gloríficet autem Deum in iſto nómine.

HYMNUS.

QUANTO, morte ſacrâ quos tibi dévoves,
Firmas, Chriſte, tuos róbore mílites!
Ad torménta rapit, non pávidos mori,
Quam das, ígnea cáritas.

TORTORIS rábies ſǽviat ímpotens;
Addat carcéribus férrea víncula;
Conſtánti púgiles péctore prǽlia,
Trunci córpore ſúſtinent.

ALTO de ſólio nunc, Deus, áſpice
Non indígna tuo Númine múnera.
Quot proſtráta jacent córpora Mártyrum,
Aſtant tot tibi víctimæ.

AD te, lethífero vúlnere ſaúcii,
Vectántur róſeo flúmine ſánguinis:
Eménſi, duce te, Chriſte, perícula,
Tangunt líttora pátriæ.

SED quid barbáries ímpia próficit?
Non hæc Chriſtíadas vúlnera déprimunt:
Gens exórta ſacro fúnere Núminis,
Creſcit ſánguine Mártyrum.

SIT laus ſumma Patri, ſúmmaque Fílio,
Sit par, ſancte, tibi glória, Spíritus,
Cujus præſídio prǽlia ſúſtinent,
Contémptâ nece Mártyres.
Amen.

℣. In te ſperavérunt, Dómine; ℟. Et non ſunt confúſi. *Pſ.* 21. 6.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. c. Mórtui ſunt in dolóribus péſſimis, in fame, & in gládio, & in emiſſióne. *Bar.* 2. 25.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 3. a. Omnes qui piè volunt vívere in Chriſto Jeſu, perſecutiónem patiéntur. 2. *Tim.* 3. 12.

Hymnus conveniens.

CAPITULUM. 1. *Petr.* 3. 13. 14.

QUis eſt qui vobis nóceat, ſi boni æmulatóres fuéritis? Sed & ſi quid patímini propter juſtítiam, beáti!

℟. *breve.* In manus, *p.* 159.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 6. F. Non egébunt lúmine lucérnæ, neque lúmine ſolis, quóniam Dóminus Deus illuminábit illos. *Apoc.* 22. 5.

Oratio & cætera omnia ut in Pſalterio, p. 160.

COMMUNE
UNIUS SANCTI PONTIFICIS.

IN I. VESPERIS.
Antiphona 5. toni a.

QUæsívit Dóminus ſibi virum juxta cor ſuum: & præcépit ei Dóminus ut eſſet dux ſuper pópulum ſuum. 1. *Reg.* 13. 14.

Ant. 6. F. Geſtábit judícium filiórum Iſraël in péctore ſuo, in conſpéctu Dómini ſemper. *Exod.* 28. 30.

Ant. 1. D. Legem requírent ex ore ejus, quia Angelus Dómini exercítuum eſt. *Malach.* 2. 7.

Ant. 7. *d.* Rogánte pro eis ſacerdóte, propítius erit eis Dóminus. *Levit.* 4. 20.

Ant. 1. g. Non egrediétur de Sanctis, ne pólluat Sanctuárium Dómini; quia óleum ſanctæ unctiónis Dei ſuper eum eſt. *Levit.* 12. 12.

Capitulum. 1. *Reg.* 2. 35.

SUſcitábo mihi Sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum & ánimam meam fáciet; & ædificábo ei domum fidélem; & ambulábit coram Chriſto meo cunctis diébus.

In Duplicibus majoribus & ſuprà.

℟. Hoc eſt quod locútus eſt Dóminus: * Sanctificábor in iis qui appropínquant mihi, & in conſpéctu omnis pópuli glorificábor. *Levit.* 10. 3. ℣. Scriptum eſt: Sancti éritis, quóniam ego Sanctus ſum. 1. *Petr.* 1. 16. * Sanctificábor. Glória. * Sanctificábor.

Hymnus.

CHriste, Paſtórum Caput atque Princeps,
Præſulis feſtam veneráta lucem,
Débitis ſupplex tua templa votis,
Turba frequéntat.

Ille non vano ténuit treméndam
Spíritu ſedem, próprio nec auſu;
Sed ſacrum juſſus, Dómino vocánte,
Sumpſit honórem.

Strenuum bello púgilem, ſupérni
Chríſmatis pleno tuus unxit intùs
Spíritus cornu; poſuítque ſanctam
Páſcere gentem.

Fit gregis paſtor, pater atque forma:
Lætus impéndit ſua séque; ſervus
Omnium, curis gravis, omnibúſque
Omnia factus.

Pro reis orat, réficit geméntes,
Erigit lapſos, tenebráſque pellit;
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hoſtem.

FAC ut illíus précibus juvémur,
Chriſte, fac Patrem, paritérque tecum
Spíritum, jugi celebrémus hymno,
Omne per ævum.
Amen.

℣. Beátus quem elegíſti & aſſumpsíſti, Dómine; ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Pſ.* 64. 5.

Ad Magníficat, Ant. 4. E. Ipſum elégit Dóminus ab omni vivénte, offérre ſacrificium Deo, incénſum, & bonum odórem, in memóriam placáre pro pópulo ſuo. *Eccli.* 45. 20.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

COMPLETORIUM *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Chriſtum Paſtórum Príncipem, * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 5. 4.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2.

HYMNUS.

CHRISTE, decréto Patris inſtitútus
Póntifex ſummo, tibi qui fidéles,
Quos legis, formas pópulis regéndis
Ipſe miníſtros;

HUNC juvat feſto celebráre cantu,
Qui, lìcèt magnis méritis abúndans,
Flens & invítus, duce te, treméndum
Sumpſit honórem.

NOVERAT quantis páteat períclis
Ille, qui ſummos ápices adéptus,
Omnium curas, ſibi raptus uni,
Súſtinet omnes.

FECERAT fervens amor inquiétum:
Quò gregis cari pia cura poſcit,
Advolat promptus; mora non eúntem
Ulla retárdat.

DUX iter, vitâ præeúnte, monſtrat;
Cómprobat factis ſua dicta magnis;
Et domum ſanctam bene oléntе Chriſti
Implet odóre.

LUX erat cæco, columen labánti,
Una ſpes lapſo, míſero levámen,
Próvidus cunctis pater, omnibúſque
Omnia factus.

CHRISTE, Paſtórum bonus ipſe Paſtor,
Qui greges paſcis próprio cruóre,
Fac ut ætérnæ ſúbeant opíma
Páſcua vitæ. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. g. Dedit illi Deus in præcéptis ſuis poteſtátem, in teſtaméntis judiciórum, docére Jacob teſtimónia, & in lege ſua lucem dare Iſraël. *Eccli.* 45. 21.

Ant. 2. D. Dedit illi coràm præcépta, & legem vitæ

vitæ & diſciplínæ, docére Jacob teſtaméntum ſuum, & judícia ſua Iſraël. *Eccli.* 45. 6.

Ant. 3. e. Coróna áurea ſuper mitram ejus, expréſſa ſigno ſanctitátis & glória honóris. *Eccli.* 45. 14.

℣. Elégit Dóminus ſervum ſuum, ℟. Páſcere hæreditátem ſuam. *Pſ.* 77. 70. 71.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. j. Hic dicit Dóminus: * Elégi eum ex ómnibus tríbubus Iſraël mihi in Sacerdótem, ut aſcénderet ad altáre meum, & adoléret mihi incénſum. 1. *Reg.* 2. 28. ℣. Non de ómnibus vobis dico: ego ſcio quos elégerim. *Joan.* 13. 18. * Elégi.

℟. *ij.* Speculatórem dedi te dómui Iſraël; * Aúdiens ergo ex ore meo ſermónem, annuntiábis eis ex me. *Ezech.* 33. 7. ℣. In mente habe quáliter accéperis & audíeris, & ſerva. *Apoc.* 3. 3. * Aúdiens.

℟. *iij.* Cùm párvulus eſſes in óculis tuis, * Caput in tríbubus Iſraël factus es, unxítque te Dóminus. 1. *Reg.* 15. 17. ℣. Labóra ſicut bonus miles Chriſti Jeſu. 2. *Tim.* 2. 3. * Caput. Glória. * Caput.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. f. Invocávit Dóminum omnipoténtem, in oppugnándo hoſtes circumſtántes úndique, in oblatióne Agni inviolàti. *Eccli.* 46. 19.

Ant. 5. G. In omni ópere, dedit confeſſiónem Sancto & Excélſo, in verbo glóriæ. *Eccli.* 47. 9.

Ant. 6. *D.* Exquiſívit omni modo exaltáre pópulum ſuum; & in diébus ejus proſperátum eſt in mánibus ejus. 1. *Mach.* 14. 35. 36.

℣. Véritas mea & miſericórdia mea cum ipſo; ℟. Et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. *Pſ.* 88. 25.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. *iv.* Rectórem te poſuérunt? noli extólli: * Eſto in illis quaſi unus ex ipſis, curam illórum habe. *Eccli.* 32. 1. 2. ℣. Senióem ne increpáveris, ſed óbſecra ut patrem, júvenes ut fratres, anus ut matres, juvénculas ut ſorores. 1. *Tim.* 5. 1. 2. * Eſto.

℟. *v.* Quia incidíſti in manum próximi tui, * Diſcúrre, feſtína, ſúſcita amícum tuum, ne déderis ſomnum óculis tuis. *Prov.* 6. 3. 4. ℣. Prǽdica verbum, inſta opportúnè, importúnè, árgue, óbſecra, íncrepa, in omni patiéntia & doctrína. 2. *Tim.* 4. 2. * Diſcúrre.

℟. *vj.* Accéde ad altáre, & ímmola pro peccáto tuo: * Offer holocáuſtum, & deprecáre pro te & pro pópulo. *Levit.* 9. 7. ℣. Debet Póntifex, quemádmodum pro pópulo, ità étiam & pro ſemetípſo offérre pro-

peccátis. *Hebr.* 5. 3. * Offer. Glória. * Offer.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. *Eccli.* 39. 13.

Ant. 3. *a.* In vita ſua ſuffúlſit domum, & in diébus ſuis corroborávit templum. *Eccli.* 50. 1.

Ant. 7. c. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Eccléſia. *Eccli.* 39. 14.

℣. Salvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum ; ℟. Exaúdiet illum de cœlo ſancto ſuo. *Pſ.* 19. 7.

Duæ Lectiones cum Evangelio & Homilia, ut in Proprio Sanctorum.

℟. *vij.* Super ſpéculam Dómini ego ſum, ſtans júgiter per diem : * Et ſuper cuſtódiam meam ego ſum, ſtans totis nóctibus. *Iſ.* 21. 8. ℣. Nocte & die non ceſſávi, cum lácrymis monens unumquémque veſtrûm. *Act.* 20. 31. * Et ſuper.

℟. *viij.* Abſit à me hoc peccátum in Dóminum, ut ceſſem oráre pro vobis, * Et docébo vos viam bonam & rectam. 1. *Reg.* 12. 23. ℣. Cùm liber eſſem ex ómnibus, ómnium me ſervum feci, ut plures lucrifácerem. 1. *Cor.* 9. 19. * Et docébo.

℟. *ix.* Quaſi ſtella matutína in médio nébulæ, & quaſi luna plena in diébus ſuis lucet, & quaſi ſol refúlgens, * Sic ille effúlſit in templo Dei. *Eccli.* 50. 6. 7. ℣. Sicut ſol lucet in virtúte ſua. *Apoc.* 1. 16. * Sic ille. Glória. * Sic ille.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Juſtitia ejus manet in séculum séculi ; ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Pſ.* 111. 9.

Ant. 3. c. Deus patrum noſtrórum præordinávit te, ut cognóſceres voluntátem ejus, & vidéres Juſtum, & audíres vocem ex ore ejus. *Act.* 22. 14.

Ant. 7. d. Cadat orátio noſtra in conſpéctu tuo, & ora pro nobis ad Dóminum Deum tuum. *Jer.* 42. 2.

Ant. 2. D. Nominábitur tibi nomen tuum à Deo in ſempitérnum : Pax juſtítiæ, & honor pietátis. *Bar.* 5. 4.

Ant. 5. a. Ora.

CANTICUM. *Eccli.* c. 50. *v.* 12. *ad* 17.

Pontificis encomium.

SAcérdos magnus, in aſcénſu altáris ſancti, * glóriam dedit ſanctitátis amíctum.

In accipiéndo autem partes de manu Sacerdótum, * & ipſe ſtans juxta aram.

Et circa illum coróna fratrum, * quaſi plantátio cedri in monte Líbano.

Sic circa illum ſtetérunt quaſi rami palmæ, * & omnes filii Aaron in glória ſua.

Oblátio autem Dómini in mánibus ipſórum, * coram omni ſynagóga Iſraël:

Et conſummatióne fungens in ara, * amplificáre oblatiónem excélſi Regis.

Porréxit manum ſuam in libatióne, * & libávit de sánguine uvæ.

Effúdit in fundaménto altáris odórem divínum * excélſo Príncipi.

Ant. Ora pro ſervis tuis ad Dóminum Deum tuum, ut non moriámur. 1. *Reg.* 12. 19.

Ant. 4. a. Circúmdabit te Deus diplóide juſtítiæ, & impónet mitram cápiti honóris ætérni. *Bar.* 5. 2.

CAPITULUM. *Eccli.* 45. 19.

FActum eſt illi in teſtaméntum ætérnum, & sémini ejus ſicut dies cœli, fungi ſacerdótio, & habére laudem, & glorificáre pópulum ſuum in nómine ejus.

HYMNUS.

JESU, Sacerdótum decus,
In hac die quâ glóriâ
Sanctum corónas Præſulem,
Votis adéſto súpplicum.

SUI probátus prǽmium
Amóris, & pignus tui,
A Patre tráditos tibi,
Accépit agnos páſcere.

HOS novit, & præit vocans
In tuta quemque páſcua;
Victúmque præbet: aúdiunt,
Sequúntur, & vivunt oves.

QUAM ſentit errántem, jugis
Hanc nocte quærit ac die,
Et gaudet invéntam ſuo
Portans ovíli réddere.

ARCET freméntes béſtias;
Lupi retúndit ímpetus,
Dolóſque fallit, vel mori
Caro parátus pro grege.

OFFERT frequéntem víctimam
Cum plebe Paſtor ínnocens;
Secúmque devótum gregem
Pius Sacérdos ímmolat.

SUPREME, Chriſte, Póntifex,
Jugis tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

℣. Glóriâ & honóre coronáſti eum, Dómine; ℟. Et conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum. *Pſ.* 8. 6. 7.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Dómine, propter fámulum tuum juxta cor tuum feciſti omnem magnificéntiam hanc, & nota eſſe voluíſti univérſa magnália. 1. *Par.* 17. 19.

Oratio.

DIrige oves tuas, Dómine, in viam ſalútis ætérnæ, quam beáti Pontíficis *N.* vita cum doctrína monſtrávit: & fac nos, eódem intercedénte, ſic ejus súbſequi veſtígia, ut cum ipſo coronári mereámur; Per Dóminum.

Alia Oratio.

DA Eccléſiæ tuæ, miſéricors Deus, ut mérita ſancti Epíſcopi *N.* pietátem tuam pro ipſa ſemper exórent, & fructum in nobis labórum ejus cuſtódiant; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 3. c. Deus patrum noſtrórum præordinávit te, ut cognóſceres voluntátem ejus, & vidéres Juſtum, & audíres vocem ex ore ejus. *Act.* 22. 14.

CAPITULUM. *Hebr.* 5. 4.

NEc quiſquam ſumit ſibi honórem, ſed qui vocátur à Deo tanquam Aaron.

Cætera ut in Pſalterio, p. 153.

AD TERTIAM.

Ant. 7. d. Cadat orátio noſtra in conſpéctu tuo, & ora pro nobis ad Dóminum Deum tuum. *Jer.* 42. 2.

CAPITULUM. *Hebr.* 5. 1.

OMnis Póntifex ex homínibus aſſúmptus, pro homínibus conſtitúitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut ófferat dona & ſacrifícia pro peccátis.

℟. *breve.* Introíbo * Ad altáre Dei. ℟. Introíbo. ℣. Ad Deum qui lætíficat juventútem meam. * Ad altáre. Glória. ℟. Introíbo. *Pſ.* 42. 4.

℣. Altária tua, Dómine virtútum, ℟. Rex meus & Deus meus. *Pſ.* 83. 4.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Nominábitur tibi nomen tuum à Deo in ſempitérnum: Pax juſtítiæ, & honor pietátis. *Bar.* 5. 4.

CAPITULUM. *Eccli.* 45. 8.

STátuit ei Dóminus teſtaméntum ætérnum, & dedit illi ſacerdótium gentis, & beatificávit illum in glória.

℟. *breve.* Immolávi * In tabernáculo ejus. ℟. Immolávi. ℣. Hóſtiam vociferatiónis. * In. Glória. ℟. Immolávi. *Pſ.* 26. 6.

℣. In Sancto appárui tibi, Dómine, ℟. Ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam. *Pſ.* 62. 3.

AD NONAM.

Ant. 4. a. Circúmdabit te Deus diplóide juſtítiæ, & impónet mitram cápiti honóris ætérni. *Bar.* 5. 2.

CAPITULUM. 1. *Mach.* 14. 4.

QUæſívit bona genti ſuæ, & plácuit illis potéſtas ejus, & glória ejus ómnibus diébus.

℟. *breve.* Pavit eos * In innocéntia cordis ſui. ℟. Pavit. ℣. Et in intelléctibus mánuum ſuárum dedúxit eos. * In innocéntia. Glória. ℟. Pavit. *Pſ.* 77. 72.

℣. Dedúxit eos in viam rectam; ℟. Ut irent in civitátem habitatiónis. *Pſ.* 106. 7.

AD VESPERAS.

Ant. 1. f. Laudémus viros glorióſos & paréntes noſtros in generatióne ſua. *Eccli.* 44. 1.

Ant. 2. *D.* Multi hómines miſericórdes vocántur; virum autem fidélem quis invéniet? *Prov.* 20. 6.

Ant. 7. d. Illi viri miſericórdiæ ſunt, quorum pietátes non defuérunt. *Eccli.* 44. 10.

Ant. 1. a. Córpora ipsórum in pace ſepúlta ſunt; & nomen eórum vivit in generatiónem & generatiónem. *Eccli.* 44. 14.

Ant. 6. F. In terra ſua duplícia poſſidébunt; lætítia ſempitérna erit eis. *Iſ.* 61. 7.

CAPITULUM. *Hebr.* 13. 17.

OBedíte Præpóſitis veſtris, & ſubjacéte eis: ipſi enim pervígilant, quaſi ratiónem pro animábus veſtris redditúri, ut cum gáudio hoc fáciant, & non geméntes.

HYMNUS.

SEDIBUS, Præſul, ſúperis recépte,
Advola terris: ſacra te repóſcunt,
Noſtra dum cantu tibi dedicáto
Templa resúltant.

PRO Deo vitam cúpidus paciſci,
Otium durus tibi denegáſti;
Prælium Chriſti benè præliári
Una volúptas.

SI reis vindex minitátur ira,
Súpplici defers prece vim Tonánti:
Et Deum, jugis grege pro tuéndo
Víctima, placas.

ERUDIS, vitâ præeúnte, Clerum;
Légibus ſacris pópulũ coérces:
Quas Deus dotes dedit, ad ſalúbrem
Cóntrahis uſum.

LAUDE non unâ, memoránde Præſul,
Nos ama patris ſtúdio benígni;
Et laborántem médiis perículis
Dírige plebem.

CHRISTE, Paſtórum bonus ipſe Paſtor,
Qui greges paſcis próprio cruóre,
Fac ut ætérnæ súbeant opíma
Páſcua vitæ. Amen.

℣. Sacerdótes Sion índuam ſalutári; ℟. Et ſancti ejus exultatióne exultábunt. *Pſ.* 131. 16.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Nomen eórum permáneat in ætérnum, pérmanens ad filios illórum ſanctórum virórum glória. *Eccli.* 46. 15.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 7. c. Lex veritátis fuit in ore ejus, & iníquitas non eſt invénta in lábiis ejus. *Malach.* 2. 6.

Hymnus conveniens.

CAPITULUM. 1. *Tim.* 4. 8. 9.

PIetas ad ómnia útilis eſt, promiſſiónem habens vitæ quæ nunc eſt, & futúræ. Fidélis ſermo,

& omni acceptióne dignus.
℟. *breve.* In manus, *p.*159.
Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 1. f. Induit eum Dóminus ſtolam glóriæ, & coronávit eum in vaſis virtútis. *Eccli.* 45. 9.
Oratio & cætera omniá, ut in Pſalterio, p. 160.

COMMUNE
UNIUS SANCTI DOCTORIS.

IN. I. VESPERIS.
Antiphona 1. *toni* f.

BEátus vir qui in ſapiéntia morábitur, & qui in juſtítia ſua meditábitur, & in ſenſu cogitábit circumſpectiónem Dei. *Eccli.* 14. 22.

Ant. 2. D. Cibábit illum Deus pane vitæ & intelléctûs, & aquâ ſapiéntiæ ſalutáris potábit illum. *Eccli.* 15. 3.

Ant. 5. a. Denudábit abſcónſa ſua illi, & theſaurizábit ſuper illum ſciéntiam, & intelléctum juſtítiæ. *Eccli.* 4. 21.

Ant. 6. F. Ipſe tanquam imbres mittet elóquia ſapiéntiæ ſuæ; & in oratióne confitébitur Dómino. *Eccli.* 39. 9.

Ant. 8. G. Palàm fáciet diſciplínam doctrínæ ſuæ, & in lege teſtáménti Dómini gloriábitur. *Eccli.* 39. 11.

CAPITULUM. *Prov.* 3. 13. 14. 15.

BEátus homo qui invénit ſapiéntiam, & qui ábfluit prudéntiâ; mélior *eſt acquisítio* ejus negotiatióne argénti, & auri primi & puríſſimi fructus ejus; pretióſior eſt cunctis ópibus; & ómnia quæ deſiderántur, huic non valent comparári.

In Duplicibus majoribus, & ſuprà.

℟. In médio Eccléſiæ apériet os ejus, & * Adimplébit illum Dóminus ſpíritu ſapiéntiæ & intelléctûs. *Eccli.* 15. 5. ℣. Ut innotéſcat Principátibus & Poteſtátibus in cœléſtibus per Eccléſiam multifórmis ſapiéntia Dei. *Eph.* 3. 10. * Adimplébit. Glória. * Adimplébit.

HYMNUS.

O Qui perpétuus nos
 mónitor doces,
Vox ætérna Patris, Chriſte, vicários
Doctóres, pátrias cùm rémeas domos,
 Nobis quàm benè súppetis!
Hi ſemper vígilant, ne
 quid adúlterum
Corrúmpat fidei virgíneum
 decus:
Lædi vel léviter non pátitur
 fides,

His cuſtódibus íntegra.
Infames ábolent rellíquias deûm;
Erróres ábigunt, crímina dédocent;
Chriſto reſtítuunt quos malè crédulos
Mendax lúſerat hǽreſis.
Patrum canítiem, tot venerábiles
Rugas objíciunt, unde nitet fides:
Quæ ſunt priſca, docent; quæ nova, súbruunt;
Servant depóſitum Dei.
Sit ſupréma tibi glória, Véritas,
Quæ per ſcripta Patrum, quando foris ſonas,
Nullo vocis egens, corda doces, ſono,
Et te méntibus ínſeris.
Amen.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine; ℟. Et de lege tua docúeris eum. *Pſ.* 93. 12.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. *F.* Qui docti fúerint, fulgébunt quaſi ſplendor firmaménti, & qui ad juſtítiam erúdiunt multos, quaſi ſtellæ in perpétuas æternitátes. *Dan.* 12. 3.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

Completorium *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Fontem ſapiéntiæ Verbum Dei in excélſis, *·Veníte, adorémus. *Eccli.* 1. 5.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2.

Hymnus.

O Qui pro grégibus das ánimam tuis,
Alto consílio quàm benè próvidos
Caro ponis ovíli,
Quos tu, Chriſte, vocas duces!
Hi juſto pópulos judício regunt;
Hi de fonte bibunt quem ſítiunt Deum;
Et de Númine pleni
In nos hi ſuperéffluunt.
Hi dum corda ſacris légibus ímbuunt,
Diſcúſſis ténebris, ſtat fidei decus;
Seſe pandit apérta,
Toto lúmine, véritas.
Facti forma, Deo quem páriunt, gregis,
Quæ ſermóne docent, móribus éxprimunt;
Cùm mandant, amor urget;
Cùm damnant, amor árguit.
Nusquam lenta tenent ótia déſides:
Noctes atque dies invígilant agro,
Subrépens inimícus,
Ne zizánia séminet.
Quas erráre vident à grege dévias,
Cautè ſollíciti, per juga móntium,
Per desérta, requírunt,
Et portant húmeris oves.
Tot qui conſtituit lúmina, laus Patri;
Doctórum cápiti, laus quoque Fílio;
Qui pinguédine mentes

b 4

Ungis, laus tibi, Spíritus. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. g. Os prudéntis quǽritur in Ecclésia, & verba illíus cogitábunt in córdibus ſuis. *Eccli.* 21. 20.

Ant. 2. D. In corde prudéntis requiéſcit ſapiéntia, & indóctos quoſque erúdiet. *Prov.* 14. 33.

Ant. 4. f. Sciéntia ſapiéntis tanquam inundátio abundábit, & consílium illíus ſicut fons vitæ pérmanet. *Eccli.* 21. 16.

℣. Fac, Dómine, erudítos corde, ℟. In ſapiéntia. *Pſ.* 89. 12.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Sápiens cor ſuum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum qui fecit illum, * Et in conſpéctu Altíſſimi deprecábitur. *Eccli.* 39. 6. ℣. Bonus homo de bono theſaúro cordis ſui profert bonum. *Luc.* 6. 45. * Et in.

℟. *ij.* Sápiens apériet os ſuum in oratióne, & pro delíctis ſuis deprecábitur; * Si enim Dóminus magnus volúerit, ſpíritu intelligéntiæ replébit illum. *Eccli.* 39. 7. 8. ℣. Póſtulet in fide nihil hǽſitans. *Jac.* 1. 6. * Si enim.

℟. *iij.* Sapiéntiam ómnium antiquórum exquíret sápiens, & * In Prophétis vacábit. *Eccli.* 39. 1. ℣. Prædicans regnum Dei, & docens quæ ſunt de Dómino Jeſu Chriſto. *Act.* 28. 31.* In Prophétis. Glória.* In Prophétis.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. *d.* Vóluit & ipſe ſcríbere áliquid horum quæ ad doctrínam & ſapiéntiam pértinent. *Prolog. Eccli.*

Ant. 1. a. Quæsívit verba utília, & conſcrípſit ſermónes rectíſſimos, ac veritáte plenos. *Eccle.* 12. 10.

Ant. 3. *a.* Gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, & in diébus peccatórum corroborávit pietátem. *Eccli.* 49. 4.

℣. Narrábo nomen tuum, Dómine, frátribus meis; ℟. In médio Ecclésiæ laudábo te. *Pſ.* 21. 23.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. *iv.* Optávi, & datus eſt mihi ſenſus; & invocávi, & venit in me ſpíritus ſapiéntiæ, & * Præpóſui illam regnis & ſédibus. *Sap.* 7. 7. 8. ℣. Exíſtimo ómnia detriméntum eſſe propter eminéntem ſciéntiam Jeſu Chriſti. *Philipp.* 3. 8. * Præpóſui.

℟. *v.* Lætátum eſt cor meum in ſapiéntia: ambulávit pes meus iter rectum; * A juventúte mea inveſtigábam eam. *Eccli.* 51. 20. ℣. Non in perſuaſibílibus humánæ ſapiéntiæ verbis, ſed in oſtenſióne ſpíritûs & virtútis. 1. *Cor.* 2. 4. * A juventúte.

℟. *vj.* Inextinguíbile eſt lumen ſapiéntiæ: * Vené-

runt autem mihi ómnia bona páriter cum illa. *Sap.* 7. 10. 11. ℣. Per Spíritum datur ſermo ſapiéntiæ. 1. *Cor.* 12. 8. * Venérunt. Glória. * Venérunt.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Implévit eum Dóminus Spíritu Dei, ſapiéntiâ, & intelligéntiâ, & ſciéntiâ, & omni doctrínâ. *Exod.* 35. 31.

Ant. 4. A. In fraude circumveniéntium illum, áffuit illi ſapiéntia, & honéſtum fecit illum. *Sap.* 10. 11.

Ant. 7. G. Collaudábunt multi ſapiéntiam ejus, & uſque in ſéculum non delébitur. *Eccli.* 39. 12.

℣. Bonum mihi lex oris tui, Dómine, ℟. Super míllia auri & argénti. *Pſ.* 118. 72.

Duæ Lectiones cum Evangelio & Homilia, ut in Proprio Sanctorum.

℟. *vij.* Reſtítuit ipſe fratres ſuos, & * Expugnávit inimícos Iſraël ab eis. 1. *Mach.* 14. 26. ℣. Enutrítus verbis fidei & bonæ doctrínæ. 1. *Tim.* 4. 6.* Expugnávit.

℟. *viij.* In lege Dómini congregatiónem judicávit, & vidit Deus Jacob; & * In fide ſua probátus eſt Prophéta. *Eccli.* 46. 17. ℣. Doctor géntium in fide & veritáte. 1. *Tim.* 2. 7. * In fide.

℟. *ix.* A Deo proféćta eſt ſapiéntia; * Sapiéntiæ enim Dei aſtábit laus, & in ore fidéli abundábit. *Eccli.* 15. 10. ℣. Si quis volúerit voluntátem ejus fácere, cognóſcet de doctrína utrùm ex Deo ſit. *Joan.* 7. 17. * Sapiéntiæ. Glória. * Sapiéntiæ.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Scrutábor legem tuam, Dómine, ℟. Et cuſtódiam illam in toto corde meo. *Pſ.* 118. 34.

Ant. 1. g. Erudítus es in juventúte tua, & implétus es quaſi flumen, ſapiéntiâ. *Eccli.* 47. 15. 16.

Ant. 7. d. Sicut érudit fílium ſuum homo, ſic Dóminus Deus tuus erudívit te. *Deut.* 8. 5.

Ant. 5. a. Sápiens es, ſicut habet ſapiéntiam Angelus Dei, ut intélligas ómnia. 2. *Reg.* 14. 20.

Ant. 2. D. Ad ínſulas.

CANTICUM. *Eccli. c.* 15. *v.* 3. *ad* 6.

Fons & præmium doctrinæ.

Cibábit illum Deus pane vitæ & intelléctûs, * & aquâ ſapiéntiæ ſalutáris potábit illum:

Et firmábitur in illo, & non flectétur; * & continébit illum, & non confundétur:

Et exaltábit illum apud próximos ſuos, * & in médio Eccléſiæ apériet os ejus:

Et adimplébit illum ſpíritu ſapiéntiæ & intelléctûs, * & ſtolâ glóriæ véſtiet illum.

Jucunditátem & exultatiónem theſaurizábit ſuper

illum, * & nómine ætérno hæreditábit illum.

Ant. Ad ínſulas longè divulgátum eſt nomen tuū, & diléctus es in pace tua. *Eccli.* 47. 17.

Ant. 3. *a.* Beáti ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & àúdiunt ſapiéntiam tuam! 3. *Reg.* 10. 8.

CAPITULUM. *Jac.* 3. 17.

QUæ desúrsùm eſt ſapiéntia, primùm quidem pudíca eſt, deínde pacífica, modéſta, ſuadíbilis, bonis consénticns, plena miſericórdiâ & frúctibus bonis.

HYMNUS.

VOs, ſuccénſa Deo
ſplendida lúmina:
Vos ſal, nos hómines quo
ſápimus Deum;
Ævum, pur*i* ánimo, móribus íntegri,
Quo condímur in álterum.

PER vos Rellígio cútaque véritas,
Per vos virgíneis fulget
hcnóribus:
Per vos Chriſtus amat
pándere dívites
Theſaúros ſapiéntiæ.

VESTRIS unda fluit
pura canálibus:
Chriſti floret ager, munda nitet ſeges:
Lac aptum púeris, & sólidum viris
Cauti ſufficitis cibum.

HI ſunt, ſumme Deus,
qui tibi mílitant;
Hi ſunt, qui ſtábiles ædíficant domos:
Unâ docta cohors arma
tenet manu,
Muros cónſtruit álterâ.

VICISTIS ſtýgias vos
quibus hæreses,
Hæc nos accípimus tela ſupérſtites:
His pugnámus adhuc, nec
dúbio éxitu,
His armis quoque víncimus.

SIT ſupréma tibi glória,
Véritas,
Quæ per ſcripta Patrum;
quando foris ſonas,
Nullo vocis egens, corda
doces, ſono,
Et te méntibus ínſeris.
Amen.

℣. Ignítum, Dómine, elóquium tuum veheménter; ℟. Et ſervus tuus diléxit illud. *Pſ.* 118. 140.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. f. Perféctio tua, Dómine, & doctrína tua viro ſancto tuo, quem probáſti. *Deut.* 33. 8.

Oratio.

DEus, qui pópulo tuo beátum *N.* ætérnæ ſalútis miniſtrum tribuíſti; præſta, ut quem Doctórem vitæ habúimus in terris, interceſsórem habére mereámur in cœlis; Per Dóminum.

Alia Oratio.

EXcita, Dómine, in Eccléſia tua Spíritum, quo beátus *N.* ſervívit; ut eódem nos repléti, ſtudeámus amáre quod amávit, & ópere exercére quod dócuit; Per Dóminum... in unitáte ejúſdem, &c.

AD PRIMAM.

Ant. 1. g. Erudítus es in juventúte tua, & implétus es quaſi flumen, ſapiéntiâ. *Eccli.* 47. 15. 16.

Capitulum. *Sap.* 6. 15.

QUi de luce vigiláverit ad ſapiéntiam, non laborábit; aſſidéntem enim illam fóribus ſuis invéniet.

Cœtera ut in Pſalterio, p. 153.

AD TERTIAM.

Ant. 7. d. Sicut érudit filium ſuum homo, ſic Dóminus Deus tuus erudívit te. *Deut.* 8. 5.

Capitulum. *Sap.* 7. 15. 16.

DEus ſapiéntiæ dux eſt, & ſapiéntium emendátor: in manu enim illíus, & nos, & ſermónes noſtri, & omnis ſapiéntia, & óperum ſciéntia, & diſciplína.

℟. *breve.* Lex Dómini immaculáta, * Convértens ánimas. ℟. Lex. ℣. Teſtimónium Dómini fidéle. * Convértens. Glória. ℟. Lex. *Pſ.* 18. 8.

℣. Juſtítiæ Dómini rectæ, ℟. Lætificántes corda. *Pſ.* 18. 8.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Sápiens es, ſicut habet ſapiéntiam Angelus Dei, ut intélligas ómnia. 2. *Reg.* 14. 20.

Capitulum. 1. *Tim.* 1. 6. 7. 8.

QUidam aberrántes convérſi ſunt in vanilóquium, voléntes eſſe legis doctóres, non intelligéntes, neque quæ loquúntur, neque de quibus affírmant. Scimus autem quia bona eſt lex, ſi quis eâ legítimè utátur.

℟. *breve.* Os juſti * Meditábitur ſapiéntiam. ℟. Os juſti. ℣. Et lingua ejus loquétur judícium. * Meditábitur. Glória. ℟. Os juſti. *Pſ.* 36. 30.

℣. Lex Dei ejus in corde ipſius; ℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus. *Pſ.* 36. 31.

AD NONAM.

Ant. 3. *a.* Beáti ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & áudiunt ſapiéntiam tuam! 3. *Reg.* 10. 8.

Capitulum. *Prov.* 8. 33. 34.

AUdíte diſciplínam, & eſtóte ſapiéntes, & nolíte abjícere eam. Beátus homo qui audit me, & qui vígilat ad fores meas quotídie, & obſérvat ad poſtes óſtii mei!

℟. *breve.* Judícia Dómini vera, * Juſtificáta in ſemetípſa. ℟. Judícia. ℣. Deſiderabília ſuper aurum. * Juſtificáta. Glória. ℟. Judícia. *Pſ.* 18. 10. 11.

℣. Servus tuus cuſtódit ea; ℟. In cuſtodiéndis illis retribútio multa. *Pſ.* 18. 12.

AD VESPERAS.

Ant. 8. G. Concupiſcéntia ſapiéntiæ dedúcit ad regnum perpétuũ. *Sap.* 6. 21.

Ant. 6. F. Quæcúmque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrínam ſcripta ſunt. *Rom.* 15. 4.

Iſraël lætítiâ magnâ. 1. *Mach.* 14. 11.

Ant. 6. F. Miráti ſunt in illo multi, & honoravérunt Deum. *Eccli.* 11. 13.

℣. Vidi prævaricántes, & tabeſcébam; ℟. Quia elóquia tua non cuſtodiérunt. *Pſ.* 118. 158.

Duæ Lectiones cum Evangelio & Homilia, ut in Proprio Sanctorum.

℟. *vij.* Avértit iram meã à filiis Iſraël, quia zelo meo commótus eſt contra eos, * Ut non ipſe delérem filios Iſraël in zelo meo. *Num.* 25. 11. ℣. Juſtitiæ quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitútus. *Hebr.* 11. 7. * Ut non.

℟. *viij.* Juſtórum sémita * Quaſi lux ſplendens procédit, & creſcit uſque ad perféctam diem. *Prov.* 4. 18. ℣. Sic lúceat lux veſtra coram homínibus, ut vídeant ópera veſtra bona. *Matt.* 5. 16. * Quaſi.

℟. *ix.* Eritis mihi in pecúlium de cunctis pópulis; mea eſt enim omnis terra: & vos * Eritis mihi in regnum ſacerdotále, & gens ſancta. *Exod.* 19. 5. 6. ℣. Vos genus eléctum, regále ſacerdótium, gens ſancta. 1. *Petr.* 2. 9.* Eritis. Glória. * Eritis.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Domus Aaron, benedícite Dómino; ℟. Domus Levi, benedícite Dómino. *Pſ.* 134. 19. 20.

Ant. 8. c. Vir Dei es tu, & verbum Dómini in ore tuo verum eſt. 3. *Reg.* 17. 24.

Ant. 1. g. Docuíſti multos, & manus laſſas roboráſti: vacillántes confirmavérunt ſermónes tui, & génua treméntia confortáſti. *Job.* 4. 3. 4.

Ant. 5. a. Exémplum eſto fidélium, in verbo, in converſatióne, in caritáte, in fide, in caſtitáte. 1. *Tim.* 4. 12.

Ant. 7. d. Scriptus es.

CANTICUM. *Malach.* *c.* 2. *v.* 5. *ad* 7.

Sacerdotis & Sacerdotii laudes celebrantur.

PActum meum fuit cum eo, vitæ & pacis: * & dedi ei timórem, & timuit me, & à fácie nóminis mei pavébat.

Lex veritátis fuit in ore ejus; * & iníquitas non eſt invénta in lábiis ejus:

In pace & in æquitáte ambulávit mecum, * & multos avértit ab iniquitáte.

Lábia enim Sacerdótis cuſtódient ſciéntiam; & legem requírent ex ore ejus; * quia ángelus Dómini exercítuum eſt.

Ant. Scriptus es in judíciis témporum lenire iracúndiam Dómini, conciliáre cor patris ad filium, & reſtitúere tribus Jacob. *Eccli.* 48. 10.

Ant. 7. G. Bonum depóſitum cuſtódi, per Spíritum ſanctum qui hábitat in nobis. 2. *Tim.* 1. 14.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 3. 7. 8.

NEque qui plantat, eſt áliquid, neque qui rigat, ſed qui increméntum dat, Deus: qui autem plantat, & qui rigat, unum ſunt: unuſquíſque autem própriam mercédem accípiet ſecúndùm ſuum labórē.

HYMNUS.

O SACERDOTUM veneránda jura!
Ceu vices Chriſti téneant, ſalútis
Arbitri, claudunt, reſerántque nobis
Atria cœli.

OMNE pendéntes ſcelus in ſtatéra,
Cùm reum ſolvunt, Deus ipſe ſolvit;
Cùm ligant ſontem, Deus ipſe ſontis
Víncula nectit.

QUAM manus morbis ádhibent perítas!
Cùm ſecant, ſemper pia dextra cædit;
Cùm fovent, ſemper pia lenit ungens
Vúlnera dextra.

VERBA dum promunt, pópulus fidélis
Excipit vocem, cúpidus docéri;
Nempè divínæ ſacra verba legis
Mente recóndunt.

IRRUENS prompti cohibére fulmen,
Stant ab advérſo, Dominúmque placant,
Víndices in nos quóties ab alto
Dépluit iras.

DUM Sacerdótes tua ſacra tractant,
Chriſte, fac ſacris quibus applicáſti,
Cónſonent mores, populíque fiat
Forma ſacérdos.

LUMINIS ſplendor, Patris una proles,
Chriſte, te pronus venerétur orbis,
Qui Sacerdótes per amóris almi
Flamen inúngis.
Amen.

℣. Exáltent eum in ecclésia plebis; ℟. Et in cáthedra ſeniórum laudent eum. *Pſ.* 106. 32.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. J. Dómine, ſit auris tua atténdens ad oratiónem ſervi tui, & ad oratiónem ſervórum tuórum qui volunt timére nomen tuum. 2. *Eſdr.* 1. 11.

Oratio.

DOmine Deus omnípotens, qui fámulum tuum *N.* ut ſacerdótio tibi fungerétur, à pópulo ſegregáſti; præſta, quæſumus, ut ejus exémpla ſectántes, exhibeámus nos in ómnibus fidéles miníſtros, & prærogatívæ dignitátis ſtudeámus adjúngere cúmulum ſanctitátis; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 8. c. Vir Dei es tu, & verbum Dómini in ore tuo verum eſt. 3. *Reg.* 17. 24.

CAPITULUM. 2. Tim. 4. 5.

VIgila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelíſtæ, miniſtérium tuum imple, ſóbrius eſto.

Cætera ut in Pſalterio, p. 153.

AD TERTIAM.

Ant. 1. g. Docuíſti multos, & manus laſſas roboráſti: vacillántes confirmavérunt ſermónes tui, & génua treméntia confortáſti. *Job.* 4. 3. 4.

CAPITULUM. 2. *Tim.* 2. 15. 16.

SOllícitè cura teípſum probábilem exhibére Deo, operárium inconfuſíbilem, rectè tractántem verbum veritátis: profána autem & vanilóquia devíta.

℟. *breve.* Veritátem tuã Dómine, * Et ſalutáre tuum dixi. ℟. Veritátem. ℣. Non abſcóndi miſericórdiã tuam. * Et ſalutáre. Glória. ℟. Veritátem. *Pſ.* 39. 11.

℣. Annuntiávi juſtítiam tuam, ℟. In eccléſia magna. *Pſ.* 39. 10.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Exémplum eſto fidélium, in verbo, in converſatióne, in caritáte, in fide, in caſtitáte. 1. *Tim.* 4. 12.

CAPITULUM. *Tit.* 2. 7. 8.

IN ómnibus teípſum præbe exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum ſanum irreprehenſíbile, ut is qui ex advérſo eſt, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. *breve.* Dabis eum, Dómine, * In benedictiónem. ℟. Dabis. ℣. In sǽculum sǽculi. * In benedictiónem. Glória. ℟. Dabis. *Pſ.* 20. 7.

℣. Fólium ejus non défluet. ℟. Et ómnia quæcúmque fáciet, proſperabúntur. *Pſ.* 1. 3.

AD NONAM.

Ant. 7. G. Bonum depóſitum cuſtódi, per Spíritum ſanctum qui hábitat in nobis. 2. *Tim.* 1. 14.

CAPITULUM. 1. *Tim.* 6. 20. 21.

DEpóſitum cuſtódi, devitans profánas vocum novitátes, & oppoſitiónes falſi nóminis ſciéntiæ.

℟. *breve.* Beátus vir qui non ábiit * In consílio impiórum. ℟. Beátus. ℣. Et in via peccatórum non ſtetit. * In consílio. Glória. ℟. Beátus. *Pſ.* 1. 1.

℣. Ad níhilum dedúctus eſt in conſpéctu ejus malígnus; ℟. Timéntes autem Dóminum gloríficat. *Pſ.* 14. 4.

AD VESPERAS.

Ant. 8. G. Probáti ſumus à Deo, ut crederétur nobis Evangélium. 1. *Theſſ.* 2. 4.

Ant. 2. D. Lóquimur, non quaſi homínibus placéntes, ſed Deo, qui probat corda noſtra. 1. *Theſſ.* 2. 4.

Ant. 1. a. Glória noſtra hæc eſt, teſtimónium conſciéntiæ noſtræ. 2. *Cor.* 1. 12.

Ant. 1. D. Beáti ſervi illi, quos, cùm vénerit Dóminus, invénerit vigilántes. *Luc.* 12. 37.

Ant. 7. d. Præcínget ſe, & fáciet illos diſcúmbere, & tránſiens miniſtrábit illis. *Luc.* 12. 37.

CAPITULUM. 1. *Theſſ.* 2. 13.

FRatres, grátias ágimus Deo ſinè intermiſſióne, quóniam cùm accepiſsétis à nobis verbum audítûs Dei, accepíſtis illud, non ut verbum hóminum, ſed, ſicut eſt verè, verbum Dei, qui operátur in vobis qui credidíſtis.

HYMNUS.

QUANTIS micas honóribus,
Cœlo Sacérdos áddite,
Cùm, præmiórum pródigus,
Totum tibi dat ſe Deus!

PARTIS labóre plúrimo
Quot clarus es virtútibus,
Tot fulgurántem glóriâ
Ornant corónæ vérticem.

QUOS parturíſti Númini,
Te filii nunc ámbiunt;
Tuóque lætis cántibus
Certant triúmpho plaúdere.

CHRISTUS tuum ſit prǽmium,
Quem conſecráſti víctimam;
Dehinc apérto Númine,
Te paſcet eſca Cœlitûm.

ADHUC ſacérdos, hóſtiam
Gratam Deo, nos dévove;
Undíſque merſos naúfragis,
Duc ad ſalútis líttora.

JESU, Sacérdos máxime,
Jugis tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempitérna sécula.
Amen.

℣. Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei, ℟. Tu es qui reſtítues hæreditátem meam mihi. *Pſ.* 15. 5.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. E. Hic eſt fratrum amátor, & pópuli Iſraël; hic eſt qui multùm orat pro pópulo. 2. *Mach.* 15. 14.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 7. c. Juſtítia nómine ætérno hæreditábit illum. *Eccli.* 15. 6.

Hymnus conveniens

CAPITULUM. *Eccli.* 35. 9.

SAcrificium juſti accéptū eſt, & memóriam ejus non obliviſcétur Dóminus.

℟. *breve.* In manus, *p.* 159.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 5. a. Dóminus ipſe eſt hæréditas ſacerdótum. *Deut.* 18. 2.

Oratio & cætera omnia ut in Pſalterio, p. 160.

COMMUNE
UNIUS SANCTI ABBATIS,
VEL MONACHI.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 1. *toni* D.

PОnet Dóminus desértum Sion quaſi delícias, & ſolitúdinem ejus quaſi hortum Dómini. *Iſ.* 51. 3.

Ant. 5. *a.* Gaúdium & lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio & vox laudis. *Iſ.* 51. 3.

Ant. 8. G. Germinábit ſicut lílium, & erúmpet radix ejus ut Líbani; ibunt rami ejus, & erit quaſi olíva glória ejus, & odor ejus ut Líbani; *Oſee.* 14. 6. 7.

Ant. 5. a. In cubílibus in quibus priùs dracónes habitábant, oriétur viror cálami & junci: & erit ibi sémita & via, & via ſancta vocábitur. *Iſ.* 35. 7. 8.

Ant. 1. a. Exultábit ſolitúdo, & florébit quaſi lílium: gérminans germinábit, & exultábit lætabúnda & laudans. *Iſ.* 35. 1. 2.

CAPITULUM. *Jer.* 51. 6.

FUgite de médio Babylónis, & ſalvet unuſquíſque ánimam ſuam: nolíte tacére ſuper iniquitátem ejus, quóniam tempus ultiónis eſt à Dómino; viciſſitúdinem ipſe retríbuet ei.

In Duplicibus majoribus, & ſuprà.

℟. Erit opus juſtítiæ pax,* Et cultus juſtítiæ ſiléntium, & ſecúritas uſque in ſempitérnum. *Iſ.* 32. 17. ℣. Deus elégit nos in Chriſto, ante mundi conſtitutiónem, ut eſsémus ſancti & immaculáti. *Eph.* 1. 4. * Et cultus. Glória. * Et cultus.

HYMNUS.

TUA beándos glóriâ,
Miris, Deus, probas modis,
Qui, dum lates, præséntior,
Votis amántûm páſceris.

PROCUL remóti, súpplices
Tendunt manus, & pátriam
Per vota, per ſuſpíria,
Cœlum ſalútant éxules.

TE ſola mors cùm det frui,
Seſe necant labóribus,
Seſe necant jejúniis,
Et, quâ licet, vellent mori.

QUAM morte promptâ férvidi
Emére palmam Mártyres,
Hic doctus in dies mori,
Longo repórtat fúnere.

QUI ſpontè desértum petis,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

Si ſit Abbas,

℣. Potens in terra erit ſemen ejus; ℟. Generátio rectórum benedicétur. *Pſ.* 111. 2.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. *F.* Multíplicans, inquit Dóminus, multiplicábo ſemen tuum, & non numerábitur præ multitúdine. *Gen.* 16. 10.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſì ſit propria.

Si non ſit Abbas,

℣. Pinguéſcent ſpecióſa deſérti; ℟. Et exultatióne colles accingéntur. *Pſ.* 64. 13.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. Sedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ, & in réquie opulénta. *Iſ.* 32. 18.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſì ſit propria.

Completorium *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Jeſum qui ductus eſt in deſértum à Spíritu, * Veníte, adorémus. *Matt.* 4. 1.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2.

HYMNUS.

O Pulchras ácies, cáſtraque fórtia,
Quæ ſpes, una fides, unus amor regit!
Omnes lege ſub una,
Uno ſub duce mílitant.

Heu! quantis rápiunt aſtra labóribus!
Pulſant perpétuis quǽſtibus æthera;
Per jejúnia longa,
Vires córporis átterunt.

Votis unánimes, vi quoque flétuum
Inſtant, & sócias ingéminant preces,
Et concórdibus armis,
Vim cœlo ſimul ínferunt.

Hæc vis grata Deo; ſic amat óptimus
Vinci, per lácrymas, per gémitus, Pater:
Sic duris reſerátur
Cœlum conditiónibus.

Fervent quando die cuncta tumúltibus,
Altùm turba ſilet; cǽtera dum tacent,
Hi per cántica rumpunt
Noctis longa ſiléntia.

Exercet vígiles contínuus labor;
Incúmbunt óperi non résides manus;
Tellus culta colónis
Victum ſuppéditat ſuis.

Quin regína ſuî mens quoque ſúbditur,
Rectoríſque ſtudet nútibus óbſequi,
Nil ſervat ſibi juris,
Capto libérior jugo.

Patri máxima laus; máxima Fílio;
Amborúmque ſacro máxima Flámini,
Mundum deſpiciéntes
Puro qui flatu récreat.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. g. Expándit alas ſuas Dóminus, & aſsúmpſit eum, atque portávit in húmeris ſuis. *Deut.* 32. 11.

Ant. 7. d. Circumdúxit eum, & dócuit, & cuſtodívit quaſi pupíllam óculi ſui. *Deut.* 32. 10.

Ant. 8. c. Dixit ad illum Deus: Exi de terra tua, & de cognatióne tua; & veni in terram quam monſtrávero tibi. *Act.* 7. 3.

℣. Scápulis ſuis obumbrábit tibi Deus; ℟. Et ſub pennis ejus ſperábis. *Pſ.* 90. 4.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Salva ánimam tuam: * Noli reſpícere poſt tergum, nec ſtes in omni circà regióne, ſed in monte ſalvum te fac. *Gen.* 19. 17. ℣. Mundus totus in maligno póſitus eſt. 1. *Joan.* 5. 19. * Noli.

℟. *ij.* Sta in ſorte propoſitiónis, & oratiónis altíſſimi Dei: * In partes vade séculi ſancti, cum vivis & dántibus confeſſiónem Deo. *Eccli.* 17. 24. 25. ℣. Omne quod eſt in mundo, concupiſcéntia carnis eſt, & concupiſcéntia oculórum, & ſupérbia vitæ. 1. *Joan.* 2. 16. * In partes.

℟. *iij.* Egrédere de terra tua, & de cognatióne tua, & de domo patris tui; * Et veni in terram quam monſtrábo tibi. *Gen.* 12. 1. ℣. Si vis perféctus eſſe, vade, vende quæ habes, & da paupéribus. *Matt.* 19. 21. * Et veni. Glória. * Et veni.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 2. *D.* Dixit patri ſuo & matri ſuæ: Néſcio vos, & frátribus ſuis: Ignóro vos. *Deut.* 33. 9.

Ant. 8. G. Non hábuit ánimi ſui triſtítiam, & non éxcidit à ſpe ſua. *Eccli.* 14. 2.

Ant. 7. *d.* Abjécit veſtiméntum ſuum à ſe, & indútus eſt ſacco, & ſedit in cínere. *Joan.* 3. 6.

℣. In umbra alárum tuárum ſperábo, Dómine, ℟. Donec tránſeat iníquitas. *Pſ.* 56. 2.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. *iv.* Secéſſerat in deſértum locum, ibíque inter feras, * Vitam in móntibus cum ſuis agébat. 2. *Mach.* 5. 27. ℣. Mortificátus quidem carne, vivificátus autem ſpíritu. 1. *Petr.* 3. 18. * Vitam.

℟. *v.* De labóre mánuū ſuárum, * Victum quem cónſequi póterat, deferébat. *Tob.* 2. 19. ℣. In omni oratióne & obſecratióne, cum gratiárum actióne. *Philipp.* 4. 6. * Victum.

℟. *vj.* Opéruit cilício carnem ſuam, jejunavítque, & * Dormívit in ſacco, & ambulávit demíſſo cápite. 3. *Reg.* 21. 27. ℣. In vigíliis multis, in fame & ſiti, in jejúniis multis. 2. *Cor.* 11. 27. * Dormívit Glória. * Dormívit.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Erat cor unum & ánima una; nec quiſ-

quam eórum quæ poſſidébat, áliquid ſuum eſſe dicébat; ſed erant illis ómnia commúnia. *Act.* 4. 32.

Ant. 1. a. Poſſeſſiónes & ſubſtántias vendébant, & dividébant illa ómnibus, próut cuíque opus erat. *Act.* 2. 45.

Ant. 6. F. Plorábant, & jejunábant, & orábant in conſpéctu Dómini. *Bar.* 1. 5.

℣. Ecce quàm bonum & quàm jucúndum, ℟. Habitáre fratres in unum! *Pſ.* 132. 1.

Duæ Lectiones cum Evangelio & Homilia, ut in Proprio Sanctorum.

℟. *vij.* Iter fecérunt per desérta quæ non habitabántur, * Et in locis desértis fixérunt caſas. *Sap.* 11. 2. ℣. In ſolitudínibus errántes, in móntibus & ſpelúncis, & in cavérnis terræ. *Hebr.* 11. 38. * Et in.

℟. *viij.* Perdúxit eos Dóminus tanquam gregem in deſérto, & * Edúxit eos in ſpe, & non timuérunt. *Pſ.* 77. 52. 53. ℣. Confiténtes quia peregríni & hóſpites ſunt ſuper terram. *Heb.* 11. 13. * Edúxit.

℟. *ix.* Reliquérunt quæcúmque habébant in civitáte: * Tunc deſcendérunt multi, quæréntes judícium & juſtítiam in deſértum. 1. *Mach.* 2. 28. 29. ℣. Grátia magna erat in ómnibus illis. *Act.* 4. 33. * Tunc. Glória. * Tunc.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Qui timent Dóminum, ſperavérunt in Dómino; ℟. Adjútor eórum & protéctor eórum eſt. *Pſ.* 113. 11.

Ant. 1. g. In ſolitúdine, ipſe vidíſti, portávit te Dóminus Deus tuus, ut ſolet homo geſtáre párvulum fílium ſuum. *Deut.* 1. 31.

Ant. 4. c. Dóminus Deus tuus ipſe eſt ductor tuus, & non dimíttet, nec derelínquet te. *Deut.* 31. 6.

Ant. 5. a. Abundáre te fáciet Dóminus Deus tuus in cunctis opéribus mánuum tuárum. *Deut.* 30. 9.

Ant. 1. a. Edúxit.

CANTICUM JEREMIÆ.

Thren. c. 3. *v.* 24. *ad* 28.

Quærentium Deum beatitudo.

PArs mea Dóminus, dixit ánima mea; * proptéreà expectábo eum.

Bonus eſt Dóminus ſperántibus in eum, * ánimæ quæréntí illum.

Bonum eſt præſtolári cum ſiléntio * ſalutáre Dei.

Bonum eſt viro, * cùm portáverit jugum ab adoleſcéntia ſua.

Sedébit ſolitárius, & tacébit,*quia levávit ſuper ſe.

Ant. Edúxit rivos de petra duríſſima, & cibávit te manná in ſolitúdine, quod neſciérunt patres tui. *Deut.* 8. 15. 16.

Ant. 8. g. Plenam mercédem recípias à Dómino

Deo Iſraël, ad quem veníſti, & ſub cujus confugíſti alas. *Ruth.* 2. 12.

CAPITULUM. *Hebr.* 13. 13. 14.

EXeámus ad Jeſum extra caſtra, impropérium ejus portántes, non enim habémus hîc manéntem civitátem, ſed futúram inquírimus.

HYMNUS.

QUid tu, relíctis úrbibus,
Mortálium consórtia
Timens fugis? quid tu vides,
Solúſque tecum cógitas?

MENTIS volátu líbero,
Percúrris ætérnas domos;
Et quæ negas mortálibus,
Transfers Deo commércia.

PRÆSENS choris cœléſtibus,
Sacro quiétus ótio,
Totus tuéndo Númini,
Totus coléndo tù vacas.

QUAM pura, qui te díligunt,
O Chriſte, libant gaúdia!
Te propter antris ábditos
Sinu recóndis in tuo.

QUI ſpontè desértum petis,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

Si ſit Abbas,

℣. Veníte, fílii, audíte me; ℟. Timórem Dómini docébo vos. *Pſ.* 33. 12.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D. * Dedíſti mihi, Dómine, clýpeum ſalútis tuæ, & manſuetúdo tua multiplicávit me. 2. *Reg.* 22. 36.

Oratio.

DEus, cujus múnere, beátus *N.* Abbas, ut Chriſtum Fílium tuum libériùs ſequerétur, ómnia relíquit; da cunctis sémitam mandatórum tuórum ingréſſis, ut nec retrò reſpíciant, nec in via hæreant; ſed ad te ſinè offenſióne curréntes, vitam ætérnam, ad quam vocáti ſunt, apprehéndant; Per eúmdem Dóminum.

Si non ſit Abbas,

℣. Aſcenſiónes in corde ſuo diſpóſuit, ℟. In valle lacrymárum. *Pſ.* 83. 6. 7.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. E. Inveníſti, Dómine, cor ejus fidéle coram te; & percuſſíſti cum eo fœdus. 2. *Eſdr.* 9. 8.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, terréna pro te calcántium merces magna nimis; da nobis exémplo & interceſſióne beáti *N.* cujus ſolémnia celebrámus, temporália ómnia deſpícere, & ad ætérna totâ mentis intentióne feſtináre; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 1. *g.* In ſolitúdine, ipſe vidíſti, portávit te Dóminus Deus tuus, ut ſolet homo geſtáre párvulum fílium ſuum. *Deut.* 1. 31.

CAPITULUM. *Ezech.* 34. 25. 26.

FAciam cum eis pactum pacis, & ceſsáre fáciam béſtias péſſimas de terra; & qui

qui hábitant in desérto, ſecúri dórmient in sáltibus; & ponam eos in circúitu collis mei benedictiónem.

Cætera ut in Pſalterio, p. 153.

AD TERTIAM.

Ant. 4. c. Dóminus Deus tuus ipſe eſt ductor tuus, & non dimíttet, nec derelínquet te. *Deut.* 31. 6.

CAPITULUM. *Jer.* 17. 8.

ERit quaſi lignum quod tranſplantátur ſuper aquas, quod ad humórem mittit radíces ſuas: & non timébit cùm vénerit æſtus.

℟. *breve.* Abſcóndit me Dóminus * In tabernáculo ſuo. ℟. Abſcóndit. ℣. In die malórum protéxit me.* In. Glória. ℟. Abſcóndit. *Pſ.* 26. 5.

℣. Fólium ejus non défluet; ℟. Et ómnia quæcúmque fáciet, proſperabúntur. *Pſ.* 1. 3.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Abundáre te fáciet Dóminus Deus tuus in cunctis opéribus mánuum tuárum. *Deut.* 30. 9.

CAPITULUM. *Deut.* 32. 12. 13.

DOminus ſolus dux ejus fuit, & non erat cum eo deus aliénus; conſtítuit eum ſuper excélſam terram, ut coméderet fructus agrórum.

℟. *breve.* Beáta gens, * Cujus eſt Dóminus Deus ejus. ℟. Beáta. ℣. Pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi. * Cujus. Glória. ℟. Beáta. *Pſ.* 32. 12.

℣. Pinguéſcent ſpecióſa desérti; ℟. Et exultatióne colles accingéntur. *Pſ.* 64. 13.

AD NONAM.

Ant. 8. g. Plenam mercédem recípias à Dómino Deo Iſraël ad quem veníſti, & ſub cujus confugíſti alas. *Ruth.* 2. 12.

CAPITULUM. *Oſee.* 2. 18.

PErcútiam cum eis fœdus in die illa, cum béſtia agri, & cum vólucre cœli, & cum réptili terræ; & arcum, & gládium, & bellum cónteram de terra, & dormíre eos fáciam fiduciáliter.

℟. *breve.* Clamávi ad te, Dómine; * Dixi: Tu es ſpes mea. ℟. Clamávi. ℣. Pórtio mea in terra vivéntium. * Dixi. Glória. ℟. Clamávi. *Pſ.* 141. 6.

℣. Fáciet Dóminus judícium ínopis, ℟. Et vindíctam paúperum. *Pſ.* 139. 13.

AD VESPERAS.

Ant. 8. c. Quid prodeſt hómini, ſi mundum univérſum lucrétur, ánimæ verò ſuæ detriméntum patiátur? *Matt.* 16. 26.

Ant. 2. D. Qui in carne ſunt, Deo placére non poſſunt. *Rom.* 8. 8.

Ant. 6. F. Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixérunt cum vítiis & concupiſcéntiis. *Gal.* 5. 24.

Ant. 3. *à.* Qui dicit ſe in Chriſto manére, debet, ſicut ille ambulávit, & ipſe ambuláre. 1. *Joan.* 2. 6.

Ant. 5. a. Ubi fúerit ſupérbia, ibi erit & contumélia; ubi autem eſt humílitas, ibi & ſapiéntia. *Prov.* 12. 2.

CAPITULUM. *Hebr.* 12. 11.

OMnis diſciplína, in præsénti quidem vidétur non eſſe gaúdii, ſed mœróris; póſteà autem fructum pacatíſſimum exercitátis per eam reddet juſtítiæ.

HYMNUS.

FELICES némorum
pángimus íncolas,
Certo consílio quos Deus
ábdidit,
Ne contágio ſecli
Mores lǽderet íntegros.

UT te poſsídeant, quem
sítiunt, Deum,
Urbes, regna, ſuos, ſe
quoque déſerunt;
Totus víluit orbis,
Dum cœléſtia cógitant.

NUDI, prompti, álacres,
líberi ab ómnibus,
Ad luctam púgiles ócius
ádvolant;
Ut vaſtum mare tranent,
Prudéntes onus éxuunt.

ÆTERNAS ut opes,
cértaque gaúdia
Secúri rápiant, ómnia lúdicra
Sano péctore temnunt,
Confiſi melióribus.

ILLIS ſumma fuit glória, déſpici;
Illis divítiæ, paupériē pati;
Illis ſumma volúptas,
Longo ſupplício mori.

FAC nos, ſumme Deus,
quæ pátimur mala,
In pœnam ſcélerum ferre
libéntiùs;
Et, tellúre relíctâ,
Immortália quǽrere.

ÆTERNUS ſit honos
ingénito Patri,
Sit par unígenæ glória Fílio;
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus. Amen.

Si ſit Abbas,

℣. Juſtus ut palma florébit; ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. *Pſ.* 91. 13.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Circa illum coróna fratrum, quaſi plantátio cedri in monte Líbano; ſic circa illum ſtetérunt, quaſi rami palmæ. *Eccli.* 50. 13. 14.

Si non ſit Abbas,

℣. Dívites eguérunt & eſuriérunt; ℟. Inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono. *Pſ.* 33. 11.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. d. Céntuplum accípiet, & vitam ætérnam poſſidébit. *Matt.* 19. 29.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 8. *g.* Bonum eſt viro, cùm portáverit jugum ab adoleſcéntia ſua. *Thren.* 3. 27.

Hymnus conveniens.

CAPITULUM. *Mich.* 2. 10.

SUrgite & ite; quia non habétis hîc réquiem.

℟. *breve.* In manus. *p.* 159.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.*

2. D. Si quis díligit mundum, non eſt cáritas Patris in eo. 1. *Joan.* 2. 15.

Oratio & cætera omnia ut in Pſalterio, p. 160.

COMMUNE
UNIUS SANCTI LAICI.

IN I. VESPERIS.

Antiphona. 1. *toni. D.*

TEnébit juſtus viam ſuá, & mundis mánibus addet fortitúdinem. *Job.* 17. 9.

Ant. 7. G. Timénti Dóminum benè erit, & in diébus conſummatiónis illíus benedicétur. *Eccli.* 1. 19.

Ant. 3. *a.* Timor Dómini delectábit cor, & dabit lætítiam, & gáudium, & longitúdinem diérum. *Eccli.* 1. 12.

Ant. 1. a. Fortitúdo símplicis via Dómini, & pavor his qui operántur malum. *Prov.* 10. 29.

Ant. 8. G. Qui confídit in divítiis ſuis, córruet; juſti autem, quaſi virens fólium, germinábunt. *Prov.* 11. 28.

CAPITULUM. *Eccli.* 31. 8. 9.

BEátus dives qui invéntus eſt ſinè mácula, & qui poſt aurum non ábiit, nec ſperávit in pecúnia & theſaúris! Quis eſt hic? & laudábimus eum, fecit enim mirabília in vita ſua.

In Duplicibus majoribus & ſuprà.

℟. Qui timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus; * Et qui díligunt illum, conſervábunt viam illíus. *Eccli.* 2. 18. ℣. Qui ſervat verbum ejus, verè in hoc cáritas Dei perfécta eſt. 2. *Joan.* 1. 5. * Et qui. Glória. * Et qui.

HYMNUS.

QUANDO, Sancte, tibi ſacra redit dies,
Feſtos Relligio ſólvere nos jubet
Cantus, & mémoris prómere quâ licet,
Senſus péctoris íntimos.

TE ſincéra fides, vívida te magis
Alléctat píetas, hanc puer in ſacris
Non ceſſas ávidus díſcere páginis,
Hanc multâ prece flágitas.

DURATURA diu ſic ſólidæ domûs
Fundaménta jacis, quam neque flúminum
Sternat dilúvies, nec fera diſſipet
Ventórum violéntia.

O QUAM ſimplícium candor amábilis
Morum! Quàm métuens vel mínimæ pudor
Labis! Quantus amor cú-

raque paúperum !
Quàm corpus dapis
ábſtinens !
Sit laus ſumma Patri,
ſummáque Fílio :
Sit par, alme, tibi laus
quoque, Spíritus,
Quo donánte, piis córdibus
émicat
Virtútum ſeges ómnium. Amen.

℣. Beátus vir cujus eſt nomen Dómini ſpes ejus, ℟. Et non reſpéxit in vanitátes & insánias falſas. *Pſ.* 39. 5.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Erit illi glória ætérna, qui pótuit tránſgredi, & non eſt tranſgréſſus, fácere mala, & non fecit. *Eccli.* 31. 10.

Oratio ut infrà ad Laudes, nisì ſit propria.

Completorium *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Remuneratórem inquiréntibus ſe Deum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 11. 6.

Pſalmus, Veníte, p. 2.

HYMNUS.

Summi puſíllus grex Patris,
Timóre mentem sólvite;
Sui patérnus vos amor
Vult eſſe regni cómpotes.
En regnat inter Cœlites,
Qui vixit olim século
Ignótus, exóſus ſibi,
Qui pauper, & ſciens pati.
Angusta pœniténtiæ
Ingréſſus & viam crucis,
Per dura Chriſtum prælia,
Per damna, non timet ſequi.
Carnem terit jejúniis;
Linguam domat ſiléntio;
In paúperum, parcus ſibi,
Abſcóndit & ſpargit ſinu.
Sapore verbi páſcitur;
Totóque legem péctore
Scrutátus, orat pérvigil,
Mens celſa versátur polo.
Hac ſurgit ad cœlum viâ;
Et nos eâdem da, Pater,
Da, Nate, da cum Spíritu,
Ad te veníre sémitâ. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. f. Turris fortíſſima nomen Dómini; ad ipſum currit juſtus, & exaltábitur. *Prov.* 18. 10.

Ant. 8. G. Benedíctio Dei in mercédem juſti feſtínat, & in hora velóci procéſſus illíus fructíficat. *Eccli.* 11. 24.

Ant. 4. A. Deridétur juſti ſimplícitas, lampas contémpta apud cogitatiónes dívitum, paráta ad tempus ſtatútum. *Job.* 12. 4. 5.

℣. Beátus vir qui timet Dóminum; ℟. In mandátis ejus volet nimis. *Pſ.* 111. 1.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Interrogáte de sémitis antíquis quæ ſit via bona, & ambuláte in ea, * Et inveniétis refrigérium animábus veſtris. *Jer.* 6. 16. ℣. Tóllite jugum meum ſuper vos. *Matt.* 11. 29. * Et inveniétis.

℟. *ij*. Hæc eſt veſtra ſapiéntia & intelléctus coram pópulis, * Ut audiéntes univérſa præcépta hæc, dicant; En pópulus ſápiens & intélligens, gens magna. *Deut*. 4. 6. ℣. Unuſquíſque veſtrûm próximo ſuo pláceat in bonum ad ædificatiónem. *Rom*. 15. 2. * Ut audiéntes.

℟. *iij*. Operámini opus veſtrum ante tempus, * Et dabit vobis mercédem veſtram in témpore ſuo. *Eccli*. 51. 38. ℣. Abundánter miniſtrábitur vobis intróitus in ætérnum regnum Dómini noſtri. 2. *Petr*. 1. 11. * Et dabit. Glória. * Et dabit.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Erat vir ille ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo. *Job*. 1. 1.

Ant. 1. a. De omni corde ſuo laudávit Dóminum, & diléxit Deum qui fecit illum. *Eccli*. 47. 10.

Ant. 5. a. Non prætériit de univérſis mandátis, nec unum quidem verbum quod júſſerat Dóminus. *Joſ*. 11. 15.

℣. Lex Dei ejus in corde ipſíus, ℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus. *Pſ*. 36. 31.

Lectiones ut in proprio Sanctorum.

℟. *iv*. Immóbilis in Dei timóre permánſit, * Agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ ſuæ. *Tob*. 2. 14. ℣. Expectábat & ipſe regnum Dei. *Luc*. 23. 51. * Agens.

℟. *v*. Non eſt invéntus ſímilis illi in glória, * Qui conſervávit legem Excélſi, & fuit in teſtaménto cum illo. *Eccli*. 44. 20. ℣. Hic beátus in facto ſuo erit. *Jac*. 1. 25. * Qui conſervávit.

℟. *vj*. Stabilíta ſunt bona illíus in Dómino, * Et eleemóſynas illíus enarrábit omnis ecclésia ſanctórum. *Eccli*. 31. 11. ℣. Multùm laborávit in Dómino. *Rom*. 16. 12. * Et eleemóſynas. Glória. * Et eleemóſynas.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Cùm requíreret Dóminum, diréxit eum in ómnibus. 2. *Par*. 26. 5.

Ant. 4. f. Oculus Dei reſpéxit illum in bono, & eréxit eum ab humilitáte ipſíus. *Eccli*. 11. 13.

Ant. 8. c. Símilem illum fecit in glória Sanctórum, & magnificávit eum. *Eccli*. 45. 2.

℣. Lux orta eſt juſto, ℟. Et rectis corde lætítia. *Pſ*. 96. 11.

Duæ Lectiones cum Evangelio & Homilia, ut in Proprio Sanctorum.

℟. *vij*. Auris áudiens beatificábat me, & óculus videns teſtimónium reddébat mihi; * Eò quòd liberáſſem páuperem vociferántem & pupíllum cui non eſſet adjútor. *Job*. 29. 11. 12. ℣. In me clarificábant Deú. *Gal*. 1. 24. * Eò quòd.

℟. *viij*. Quàm magnus

qui invenit ſapiéntiam & ſciéntiam! ſed * Non eſt ſuper timéntem Dóminum. *Eccli.* 25. 13. ℣. Símilis eſt hómini ædificánti domum, qui fodit in altum, & póſuit fundaméntum ſuper petram. *Luc.* 6. 48. * Non eſt.

℟. *ix.* Panis ei datus eſt, aquæ ejus fidéles ſunt; * Regem in decóre ſuo vidébunt óculi ejus. *Iſ.* 33. 16. 17. ℣. Habet vitam ætérnam, & in judícium non venit. *Joan.* 5. 24.* Regem. Glória. * Regem.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Prævenísti eum, Dómine, ℟. In benedictiónibus dulcédinis. *Pſ.* 20. 4.

Ant. 5. a. Oratiónes tuæ & eleemóſynæ tuæ aſcendérunt in memóriam in conſpéctu Dei. *Act.* 10. 4.

Ant. 1. *D.* Exaudíta eſt orátio tua, & eleemóſynæ tuæ commemorátæ ſunt in conſpéctu Dei. *Act.* 10. 31.

Ant. 2. D. Communicátio fidei tuæ évidens fiat, in agnitióne omnis óperis boni. *Philem.* 6.

Ant. 7. c. Non arctabúntur.

CANTICUM. *Eccli. c.* 2. *v.* 8. *ad.* 13.

Timoris Domini præmia recenſentur.

QUi timétis Dóminum, crédite illi; * & non evacuábitur merces veſtra.

Qui timétis Dóminum, ſperáte in illum; * & in oblectatiónem véniet vobis miſericórdia.

Qui timétis Dóminum, dilígite illum; * & illuminabúntur corda veſtra.

Reſpícite, filii, natiónes hóminum; * & ſcitóte quia nullus ſperávit in Dómino, & confúſus eſt.

Quis enim permánſit in mandátis ejus, & derelíctus eſt? * aut quis invocávit eum, & deſpéxit illum?

Quóniam pius & miſéricors eſt Deus, & remíttet in die tribulatiónis peccáta; * & protéctor eſt ómnibus exquiréntibus ſe in veritáte.

Ant. Non arctabúntur greſſus tui, & currens non habébis offendículũ. *Prov.* 4. 12.

Ant. 2. *D.* Indues juſtítiam quaſi podérem honóris, & inhabitábis cum ea, & próteget te in ſempitérnum, & in die agnitiónis invénies firmaméntum. *Eccli.* 27. 9.

CAPITULUM. *Gal.* 6. 8.

QUæ ſemináverit homo, hæc & metet; quóniam qui séminat in carne ſua, de carne & metet corruptiónem: qui autem séminat in ſpíritu, de ſpíritu metet vitam ætérnam.

HYMNUS.

NON parta ſolo ſánguine
Ornat Beátos púrpura;

Sunt incruénta, quæ ſuos
Habent triúmphos, prælia.
Non iſte flámmas, non cruces,
Non ſentit uncos péctines
Crudélis & durus ſibi,
Se morte lentâ cónficit.
Si lictor illi défuit,
Si vincla, fuſtes, úngulæ;
Paráta pro Chriſto mori,
Hoc ſupplet omne cáritas.
Corpus ſubégit cáſtitas,
Et líberam mentem fides:
Amor ſupérnis ígnibus
Totam litávit hóſtiam.
Venis apértis ómnibus,
Qui vellet ultrò erúmpere,
Fraudátus optátâ viâ,
It fuſus in fletum cruor.
Da, Chriſte, ſic nos vívere,
Diſcámus ut ſemper mori:
Da, poſt brevis vitæ dies,
Vitæ perénnis gaúdia.
Æterna Juſtórum quies,
Tibi, beáta Trínitas,
Sit ſumma laus, ſummum decus,
In ſempitérna sécula.
Amen.

℣. Dilígite Dóminum, omnes ſancti ejus; ℟. Quóniam veritátem requíret Dóminus. *Pſ.* 30. 24.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. a. Ambulávit, Dómine, in conſpéctu tuo in veritáte, & juſtítia, & recto corde tecum: cuſtodíſti ei miſericórdiam tuam grandem. 3. *Reg.* 3. 6.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, miſéricors Deus, ut quam fidélis ſervus tuus *N.* accépit à juſto Júdice corónam, eámdem & nos, ejus interceſſióne, poſt conſummátum ritè curſum, recípere mereámur; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 5. a. Oratiónes tuæ & eleemóſynæ tuæ aſcendérunt in memóriam in conſpéctu Dei. *Act.* 10. 4.

Capitulum. *Eccli.* 17. 18.

ELeemóſyna viri quaſi ſignáculum cum ipſo, & grátiam hóminis quaſi pupíllam conſervábit.

Cætera ut in Pſalterio, p. 153.

AD TERTIAM.

Ant. 1. *D.* Exaudíta eſt orátio tua, & eleemóſynæ tuæ commemorátæ ſunt in conſpéctu Dei. *Act.* 10. 31.

Capitulum. *Act.* 10. 2.

ERat religióſus ac timens Deum cum omni domo ſua, fáciens eleemóſynas multas plebi, & déprecans Deum ſemper.

℟. *breve.* Diſpérſit * Dedit paupéribus. ℟. Diſpérſit. ℣. Juſtítia ejus manet in séculum séculi. * Dedit. Glória. ℟. Diſpérſit. *Pſ.* 111. 9.

℣. Cornu ejus exaltábitur in glória; ℟. Peccátor vidébit, & iraſcétur. *Pſ.* 111. 9. 10.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Communicátio fídei tuæ évidens fiat,

in agnitióne omnis óperis boni. *Philem.* 6.

Capitulum. *Philipp.* 2. 12. 13.

CUm metu & tremóre veſtram ſalútem operámini: Deus eſt enim qui operátur in vobis, & velle, & perfícere, pro bona voluntáte.

℟. *breve.* In memória ætérna * Erit juſtus. ℟. In memória. ℣. Ab auditióne mala non timébit. * Erit. Glória. ℟. In memória. *Pſ.* 111. 7.

℣. Ecce ſic benedicétur homo, ℟. Qui timet Dóminum. *Pſ.* 127. 4.

AD NONAM.

Ant. 2. *D.* Indues juſtítiam quaſi podérem honóris, & inhabitábis cum ea, & próteget te in ſempitérnum, & in die agnitiónis invénies firmaméntum. *Eccli.* 27. 9.

Capitulum. 1. *Petr.* 3. 10. 11.

QUi vult vitam dilígere, & dies vidére bonos, coérceat linguam ſuam à malo, & lábia ejus ne loquántur dolum; declínet à malo, & fáciat bonum; inquírat pacem, & ſequátur eam.

℟. *breve.* Juſtus * Ut palma florébit. ℟. Juſtus. ℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.* Ut palma. Glória. ℟. Juſtus. *Pſ.* 91. 13.

℣. Jucúndus homo qui miſerétur & cómmodat, ℟. Diſpónet ſermónes ſuos in judício, quia in ætérnum non commovébitur. *Pſ.* 111. 5. 6.

AD VESPERAS.

Ant. 4. f. Non eſt diſcípulus ſuper magíſtrum; perféctus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magíſter ejus. *Luc.* 6. 40.

Ant. 7. d. Regnum cœlórum vim pátitur, & violénti rápiunt illud. *Matt.* 11. 12.

Ant. 2. D. Inítium viæ bonæ, fácere juſtítiam: accépta eſt autem apud Deum, magis quàm immoláre hóſtias. *Prov.* 16. 5.

Ant. 1. a. Qui in hoc ſervit Chriſto, placet Deo, & probátus eſt homínibus. *Rom.* 14. 18.

Ant. 8. c. Quæ pacis ſunt, ſectémur; & quæ ædificatiónis ſunt, in ínvicem cuſtodiámus. *Rom.* 14. 19.

Capitulum. *Jac.* 1. 27.

REligio munda & immaculáta apud Deum & Patrem hæc eſt, viſitáre pupíllos & víduas in tribulatióne eórum, & immaculátum ſe cuſtodíre ab hoc ſǽculo.

Hymnus.

QUi te, Deus, ſub íntimo
Amans recépit péctore,
Non ille terras ámpliùs
Suſpírat, oblítus ſuî.

Quid ergo gaudes néctere
Triſtes moras amántibus?
Terris retárdas éxules,
Cives polo quos déſtinas.

Hinc fervet in dies amor,
In vota toti díffluunt;
Ad aſtra feſtinántibus

Sit pœna vita lóngior.

Vix iſte tardi córporis
Pondus moléſtum ſuſtinet;
Mortis diem præóccupat,
Ardens Deo ſe júngere.

Æterna Juſtórum quies,
Tibi, beáta Trínitas;
Sit ſumma laus, ſummum decus,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

℣. Beáti omnes qui timent Dóminum. ℟. Qui ámbulant in viis ejus. *Pſ.* 127. 1.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. C. Nemo mittens manum ſuam ad arátrum & reſpíciens retro, aptus eſt regno Dei. *Luc.* 9. 62.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 3. *a.* Opus juſti ad vitam: fructus autem ímpii ad peccátum. *Prov.* 10. 16.

Hymnus conveniens.

Capitulum. *Coloſſ.* 3. 2. 3.

Quæ ſurſum ſunt, ſápite, non quæ ſuper terram: mórtui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcóndita cum Chriſto in Deo.

℟. *breve.* In manus, *p.* 159.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 6. F. Locútus eſt Jeſus, dicens: Ego ſum lux mundi: qui ſéquitur me, non ámbulat in ténebris. *Joan.* 8. 12.

Oratio & cætera omnia ut in Pſalterio, p. 160.

COMMUNE UNIUS SANCTÆ VIRGINIS.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 3. *toni* a.

Quid bonum Dómini eſt, & quid pulchrum ejus, niſi fruméntum electórum, & vinum gérminans vírgines? *Zach.* 9. 17.

Ant. 4. c. Bonórum labórum glorióſus eſt fructus; & quæ non cóncidat, radix ſapiéntiæ. *Sap.* 3. 15.

Ant. 6. F. Immortális eſt memória illíus; quóniam & apud Deum nota eſt, & apud hómines. *Sap.* 4. 1.

Ant. 1. f. Dábitur ei fídei donum eléctum, & ſors in templo Dei acceptíſſima. *Sap.* 3. 14.

Ant. 8. *g.* Lucérna ſplendens ſuper candelábrum ſanctum, & ſpécies faciéi ſuper ætátem ſtábilem. *Eccli.* 26. 22.

Capitulum. *Oſee.* 2. 19. 20.

Sponſábo te mihi in ſempitérnum: & ſponſábo te mihi in juſtítia & judício, & in miſericórdia, & in miſeratiónibus: & ſponſábo te mihi in fide; & ſcies quia ego Dóminus.

In Duplicibus majoribus & ſuprà.

℟. Cuſtodítio legum conſummátio incorruptiónis eſt; * Incorrúptio autem facit eſſe próximum Deo. *Sap.* 6. 19. 20. ℣. Beáti mundo

corde, quóniam ipſi Deum vidébunt. *Matt.* 5. 8. * Incorrúptio. Glória. * Incorrúptio.

Si ſit Martyr,

HYMNUS.

ADESTE, Sponſæ Vírgines,
Chriſti gregis pars óptima,
O vos, furóris víctimæ!
O vos, amóris hóſtiæ!
ADESTE, ſolémnis dies
Hæc conſecráta Vírgini,
Quæ dúplicem geſtat ſuo
Tinctam cruóre laúream.
INTER choros cantántium
Agno litáto, Vírginum,
Hæc jure fuſi ſánguinis,
Virgo ſedet non última.
QUÆ córpori pœnæ nocent,
Illas amans ampléctitur;
His nempè pœnis líbera,
Mortále corpus éxuit.
PRIMIS ab annis quam ſibi
Amóre Chriſtus júnxerat,
Illi fidem ſervat tenax,
Deo ſupérba cónjuge.
AMAT roſas & lília
Sponſus rubens & cándidus;
Martyr dedit Sponſo roſas,
Dedítque Virgo lília.
SIT laus Patri, laus Fílio;
Sit par tibi laus, Spíritus,
Qui corda pura Vírginum
Puris adúris ígnibus.
Amen.

℣. Hæréditas immaculatórum in ætérnum erit; ℟. Non confundéntur in témpore malo. *Pſ.* 36. 18. 19.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. *F.* Infírma mundi elégit Deus; ut confúndat fórtia. 1. *Cor.* 1. 27.

Oratio infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

Si non ſit Martyr,

HYMNUS.

VOS, ô Virgínei, cum cítharis, chori,
Agni delíciæ, pars gregis óptima,
Sponſum virgíneo progénitum ſinu
Puris tóllite láudibus.
VIRGO blandítias inter amábiles,
Faſtus, alta petens, deſpicit óbvios;
Ardet digna Deo cónjuge, nóbiles
Toto péctore núptias.
PURUM ne máculent pectus imágines,
In ſe tota, ſui córporis ímmemor,
Mens ſeſe récipit, nil óculi vident,
Surdis nil ſonat áuribus.
ÆGRO vix ſua ſunt pábula córpori,
Ardet mille modis ante diem mori:
Quidquid mors rápiet, jam ſibi præripit;
Unus ſit Deus omnia.
FAC, ô Chriſte! tuæ Vírginis æmulos
Hâc nos ire tibi, quâ gráditur viâ;
Qui gens ſancta ſumus, móribus íntegris
Fac ſoli tibi vívere.
DA te, ſumme Pater, tóllere láudibus;
Da te, Chriſte, ſequi, láurea Vírginum;

Fac incénſa tuis, Spíritus, árdeant
Flammis frígida péctora. Amen.

℣. Afferéntur in lætítia & exultatióne; ℟. Adducéntur in templum Regis. *Pſ.* 44. 16.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Hæc dicit Dóminus: Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen mélius à fíliis & filiábus, nomen ſempitérnũ. *Iſ.* 56. 5.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

COMPLETORIUM *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Agnum quem ſequúntur Vírgines,* Veníte, adorémus. *Apoc.* 14. 4.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2.

Si ſit Martyr,

HYMNUS.

VIRGINUM robur, Deus, atque cuſtos,
Sexus imbéllis, médios per enſes,
Dum faves, quas non ſúperat viríli
Péctore mortes!

PRO tuis aris animóſa Virgo
Molle dat pœnis laceráre corpus;
Non ſuos ſentit, memor ô! tuórum,
Chriſte, dolórum.

NON graves plagæ, válidi nec ictus,
Integram poſſunt violáre mentem:
Quin ſacri cr... obſtinátus
Ardor amóri...

SPONSA dilécta... túra Sponſo,
Déſpicit ruptum corpus:
Eſt ſuus truncis ho... venúſtas
Eſt ſua membrís...

SUMMA laus Patri nitóque Verbo
Et tibi compar, utri... Nexus;
Fac tibi ſemper place... uni,
Móribus æquis. Am...

Si non ſit Martyr,

HYMNUS.

CŒLESTIS aula p...ditur;
En Sponſus. Omnes óbvi...
Exíte ſponſo Vírgini;
Exíte, ſponſæ Vírgines.

HÆC nuptiális eſt dies,
Quæ, longa poſt ſuſpíria,
Dat ómnibus, dat ſíngulis
Jam pléniùs frui Deo.

QUÆ caſta vobis gaúdia,
Quos afflet ignes, dícite:
Ab ore cujus púrior
Torrens volúptas éffluit?

HUNC propter unum víluit
Supérba regum púrpura:
Dotáta quæ ſponſo Deo,
Quid Virgo terris ...biat?

O VIRGINALES nuptiæ,
Per quas caro fit ſpíritus!
O dulce vinclum, júngitur
Quo mens Deo, menti Deus!

SIT laus Patri; laus Fílio;
Sit par tibi laus, Spíritus...

Divína qui perénnibus
Firmas ſigíllis fœ́dera.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Omnis ponderátio non eſt digna continéntis ánimæ. *Eccli.* 26. 20.

Ant. 7. d. Viæ ejus, viæ pulchræ, & omnes sémitæ illíus pacíficæ. *Prov.* 3. 17.

Ant. 1. f. Qui díligit cordis mundítiam, propter grátiam labiórum ſuórum, habébit amícum Regem. *Prov.* 22. 11.

℣. Beáti immaculáti in via, ℟. Qui ámbulant in lege Dómini! *Pſ.* 118. 1.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum: * Aquæ multæ non potuérunt extínguere caritátem. *Cant.* 8. 6. 7. ℣. Quòd nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me. *Gal.* 2. 20. * Aquæ.

℟. *ij.* Incoinquináta quæ neſcívit thorum in delícto, * Habébit fructum in reſpectióne animárum ſanctárum. *Sap.* 3. 13. ℣. Qui adhǽret Dómino, unus Spíritus eſt. 1. *Cor.* 6. 17. * Habébit.

℟. *iij.* In perpétuum coronáta * Triúmphat, incoinquinatórum certáminum prǽmium vincens. *Sap.* 4. 2. ℣. Beátus qui vígilat, & cuſtódit veſtiménta ſua. *Apoc.* 16. 15. * Triúmphat. Glória. * Triúmphat.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Omnium óculis gratióſa & amábilis videbátur. *Eſth.* 2. 15.

Ant. 7. d. Os ſuum apéruit ſapiéntiæ, & lex cleméntiæ in lingua ejus. *Prov.* 31. 26.

Ant. 4. f. Suſpéxit ad cælum; erat enim cor ejus fidúciam habens in Dómino. *Dan.* 13. 35.

℣. Deus meus, impollúta via ejus; ℟. Protéctor eſt ómnium ſperántium in ſe. *Pſ.* 17. 31.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. *iv.* Præclárior erat univérſæ terræ Iſraël; * Erat étiam virtúti cáſtitas adjúncta. *Judith.* 16. 25. 26. ℣. Omne opus bonum ſubſecúta eſt. *Tim.* 1. 5. 10. * Erat.

℟. *v.* Véniant mihi miſeratiónes tuæ, Dómine, & vivam; * Quia lex tua meditátio mea eſt. *Pſ.* 118. 77. ℣. Magnificábitur Chriſtus in córpore meo. *Philipp.* 1. 20. * Quia.

℟. *vj.* Totus deſiderábilis, talis eſt diléctus meus, * Et ipſe eſt amícus meus, fíliæ Jerúſalem. *Cant.* 5. 16. ℣. Vivo jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. *Gal.* 2. 20. * Et ipſe. Glória. * Et ipſe.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 5. a. Lumen ejus símile lápidi pretióſo, tanquam lápidi jáſpidis, ſicut cryſtállum. *Apoc.* 21. 11.

Ant. 4. a Cláritas Dei illuminávit eam; & lucérna ejus eſt Agnus. *Apoc.* 21. 23.

Ant. 2. D. O quàm pulchra eſt caſta generátio cum claritáte! *Sap.* 4. 1.

℣. Corónat te Dóminus in miſericórdia. ℟. Et miſeratiónibus. *Pſ.* 102. 4.

Duæ Lectiones cum Evangelio & Homilia, ut in Proprio Sanctorum.

℟. *vij.* Ingréſſus ſum pactum tecum, ait Dóminus Deus: * Et facta es mihi. *Ezech.* 16. 8. ℣. Scient quia ego diléxi te. *Apoc.* 3. 9. * Et facta es.

℟. *viij.* Dedi inaúrem ſuper os tuum, & círculos áuribus tuis, * Et corónam decóris in cápite tuo. *Ezech.* 16. 12. ℣. Dabit tibi Dóminus in ómnibus intelléctum. 2. *Tim.* 2. 7. * Et.

℟. *ix.* Induit me Deus veſtiméntis ſalútis, & * Induménto juſtítiæ circúmdedit me, quaſi ſponſum decorátum coróna, & quaſi ſponſam ornátam monílibus ſuis. *Iſ.* 61. 10. ℣. Potens eſt depóſitum meum ſerváre in illum diem. 2. *Tim.* 1. 12. * Induménto. Glória. * Induménto.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Júvenes & vírgines, ſenes cum junióribus, ℟. Laudent nomen Dómini. *Pſ.* 148. 12.

Ant. 6. F. Lauda, filia Sion: júbila, Iſraël; lætáre & exúlta in omni co Jerúſalem. *Soph.*

Ant. 5. a. Dóm tuus ipſe eſt vita longitúdo diérum *Deut.* 30. 20.

Ant. 2. D. Ipſe tuus, qui poſsédit te, & creávit te. *Deut.*

Ant. 3. *a.* Sit Dó

CANTICUM. *Iſaiæ.* *v.* 10. *ad finem.*

Virgo Deo gratias a donis ſibi collati

GAudens gaudébo i mino, * & exult ánima mea in Deo meo.

Quia índuit me veſtim tis ſalútis, * & indum juſtítiæ circúmdedit me

Quaſi ſponſum decorá coróna, * & quaſi ſponſa ornátam monílibus ſuis.

Sicut enim terra profert germen ſuum, * & ſicut hortus ſemen ſuum gérminat,

Sic Dóminus Deus germinábit juſtítiam & laudem, * coram univérſis géntibus.

Ant. Sit Dóminus Deus tuus benedíctus, cui complacuíſti, & póſuit te ſuper thronum. 3. *Reg.* 10. 9.

Ant. 1. a. Dominábitur tui qui fecit te; Dóminus exercítuum nomen ejus. *Iſ.* 54. 5.

CAPITULUM. *Sap.* 8. 21.

SCivi quóniam áliter non poſſem eſſe cóntinens, niſi Deus det: & hoc ipſum erat ſapiéntiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum.

Si ſit Martyr,

Hymnus.

QUID ſacram, Virgo generóſa Martyr,
Ambiunt frontem dúplices corónæ?
Nempè non unum gémino repórtas
Hoſte triúmphum.

MOLLIOR fregit neque te volúptas;
Impotens flexit neque te tyránnus;
Tu graves pœnas, paritérque blandos
Vincis amóres.

LILIIS Sponſus récubat rosíſque:
Tu, tuo ſemper benè fida Sponſo,
Et roſas, Martyr, ſimul & dedíſti
Lília, Virgo.

SUMMA laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar utriúſque Nexus;
Fac tibi ſemper placeámus uni,
Móribus æquis.
Amen.

℣. Deus præcínxit me virtúte, ℟. Et póſuit immaculátam viam meam. *Pſ.* 17. 33.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. a. Confírma me, Dómine, Deus Iſraël, & réſpice in hac hora ad ópera mánuum meárum. *Judith.* 13. 7.

Oratio.

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in ſexu frágili victóriam martýrii contuliſti; concéde propítius, ut qui beátæ *N.* Vírginis & Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur; Per Dóminum noſtrum.

Alia Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, cujus múnere beáta *N.* in virginitátis propóſito, & in confeſſióne fidei roboráta, virginitátis ac martýrii palmam adépta eſt; da nobis ità córporis ac mentis integritátem ſerváre, ut nec blandítiis carnis, nec malórum acerbitáte vincámur; Per Dóminum.

Si non ſit Martyr,

Hymnus.

O VIRGO, pectus cui ſacrum
Amóris expers ímprobi,
Intùs ſuis ardóribus
Sanctus perúſſit Spíritus!

NON te volúptas dúlcibus
Fallax venénis mólliit,
Solas amántem pérſequi
Cœléſtis Agni núptias.

SIC ille Natus Vírgine
Suo decóre céperat;
Ut ejus ardens ígnibus
Mundána cuncta témneres.

BEATA cui nunc, Cœlitûm
Inter canéntium choros,
Cœlo licet perénnibus
Sponſi potíri gaúdiis.

ÆTERNE Sponſe Vírginum,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

℣. Lætábor & exultábo in te; ℟. Pſallam nómini tuo, Altíſſime. *Pſ.* 9. 3.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. J. Tu ſcis, Dómine, quia nunquam concupívi virum, & mundam ſervávi ánimam meam ab omni concupiſcéntia. *Tob.* 3. 16.

Oratio.

FIdéles tuos, quæſumus, Dómine, intercedénte beátâ *N.* Vírgine tuâ, córpore páriter & mente puríſica; ut tuâ inſpiratióne compúncti, nóxias delectatiónes vitáre prævaleant; atque ut eárum non capiántur illécebris, tuâ ſemper ſuavitáte paſcántur; Per Dóminum.

Alia Oratio.

DEus, qui habitáculum tuum in corde pudíco conſtituíſti; concéde, ut qui fidélis ſponſæ tuæ *N.* puritátem húmili venerámur obſéquio, piæ devotiónis ſequámur exémplo; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 6. F. Lauda, fília Sion: júbila, Iſraël; lætáre & exúlta in omni corde, fília Jeruſalem. *Soph.* 3. 14.

CAPITULUM. 2. *Reg.* 22. 20. 21.

QUia complácui ei, retríbuet mihi Dóminus ſecúndùm juſtítiam meam; & ſecúndùm mundítiam mánuum meárum reddet mihi.

Cætera ut in Pſalterio, p. 153.

AD TERT[IAM].

Ant. 5. a. Dóm[inus] tuus ipſe eſt vita [tua, &] longitúdo diérum [tuorum]. *Deut.* 30. 20.

CAPITULUM. 1. *Cor*[inth. 7. 37.]

QUi matrimónio [jungit] vírginem ſuam [bene] facit; & qui non [jungit] méliùs facit.

℟. *breve.* Mihi * [adhæ]rére Deo bonum eſt. [Mi]hi. ℣. Pónere in D[ómino] Deo ſpem meam. * [Adhæ]rére. Glória. ℟. Mih[i]. [*Pſ.*] 72. 28.

℣. Fiat cor meum im[macu]látum in juſtificatión[ibus] tuis, Dómine; ℟. Ut n[on] confúndar. *Pſ.* 118. 80.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Ipſe eſt Pat[er] tuus qui poſſédit te, & [fe]cit & creávit te. *Deut.* 32. 6.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 7. 7. 8.

UNuſquíſque próprium donum habet ex Deo, álius quidem ſic, álius verò ſic: dico autem non nuptis & víduis: Bonum eſt illis, ſi ſic permáneant.

℟. *breve.* Dóminus cuſtódit te, * Dóminus protéctio tua. ℟. Dóminus. ℣. Super manum déxteram tuam. * Dóminus. Glória. ℟. Dóminus. *Pſ.* 120. 5.

℣. Per diem ſol non uret te, ℟. Neque luna per noctem. *Pſ.* 120. 6.

AD NONAM.

Ant. 1. a. Dominábitur tuî qui fecit te; Dóminus exercítuum nomen ejus. *Iſ.* 54. 5.

CAPITULUM. *Joſ.* 13. 33.

DOminus Deus Iſraël ipſe eſt poſſéſſio ejus, ut locútus eſt illi.

℟. *breve.* Pſallam & intélligam * In via immaculáta. ℟. Pſallam. ℣. Quando vénies ad me. * In via. Glória. ℟. Pſallam. *Pſ.* 100. 1. 2.

℣. Quæ eſt expectátio mea? ℟. Nónne Dóminus? *Pſ.* 38. 8.

AD VESPERAS.

Ant. 8. *g.* Qui ſine uxóre eſt, ſollícitus eſt quæ Dómini ſunt, quómodo pláceat Deo. 1. *Cor.* 7. 32.

Ant. 2. D. Qui cum uxóre eſt, ſollícitus eſt quæ ſunt mundi, quómodo pláceat uxóri, & divíſus eſt. 1. *Cor.* 7. 33.

Ant. 3. *a.* Virgo cógitat quæ Dómini ſunt, ut ſit ſancta córpore & ſpíritu. 1. *Cor.* 7. 34.

Ant. 5. a. Quæ nupta eſt, cógitat quæ ſunt mundi, quómodo pláceat viro. 1. *Cor.* 7. 34.

Ant. 1. g. Non omnes cápiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. *Matt.* 19. 11.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 7. 25.

DE virgínibus præcéptum Dómini non hábeo; consílium autem do, tanquam miſericórdiâ conſecútus à Dómino, ut ſim fidélis.

Si ſit Martyr,

HYMNUS.

FEſtis læta ſonent æthera cántibus;
Nunc aptáte tubas, ſúmite týmpana,
Cœtus Angélici; dícite Vírginem,
Chriſti dícite Mártyrem.

VEſtris illa fuit débita cóetibus,
Quæ mortális adhuc, nóbilis ǽmula,
Ut vos exprímeret, dedídicit genus,
Virgo córporis immemor.

SEd quid cogis, amor! fórtiter ámbiit
Sponſo virgíneum fúndere ſánguinem;
Oblíti méminit tunc benè córporis,
Præclárum ſítiens necis.

SIc, quâ parte minor, vos ſuperéminet,
Immortále genus, quæ pótuit mori,
Et per damna ſui córporis, íntegram
Teſtári Dómino fidem.

PAtri máxima laus, máxima Fílio,
Amborúmque ſacro máxima Flámini,
Per quem magnánimæ prǽlia ſúſtinent,
Spreto fúnere, Vírgines.
Amen.

℣. Secúndùm puritátem mánuũ meárũ; ℟. Retríbuet mihi Dóminus. *Pſ.* 17. 21.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. *D.* Fecíſti viríliter; & confortátum eſt cor tuum, eò quòd caſtitátem amáveris. *Judith.* 15. 11.

Si non ſit Martyr,

HYMNUS.

NON vana diléctum gregem
Pavére mundi gaúdia;

Nec pura fallax péctora
Imágo luſit séculi.
Sed hæc tuárum própria
Sunt, Chriſte, ſponsárum bona,
Te ſemper, & tecum tuis
In te potíri gaúdiis.
Castis viciſſim tu tibi
In córdibus thorum ſtruis;
Intérque flammas íntimo
Amans quiéſcis in ſinu.
Hic unus eſt ſponſis amor,
Unúſque tecum ſpíritus,
Beáſque Sponſus ſingulas,
In téque transfórmas, Deus.
Te deprecámur súpplices,
Noſtris ut addas sénſibus,
Neſcíre prorsùs ómnia
Corruptiónis vúlnera.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Sit par tibi laus, Spíritus,
Divína qui perénnibus
Firmas ſigíllis fœdera.
Amen.

℣. Conféſſio & pulchritúdo in conſpéctu ejus; ℟. Sanctimónia & ma... gr... tia in ſanctificatió... *Pſ.* 95. 6.

Ad Magníficat, *An*... Venit ſponſus; & q... rátæ erant, intravéru... eo ad núptias, & cla... jánua. *Matt.* 25. 10.

AD COMPLETORI...

Ant. 1. g. Gaúdio g... propter vocem Sponſi... 3. 29.

Hymnus convenien...

Capitulum. *Eccli.* 39.

FLoréte, flores, quaſi ... lium, & date odóre... & frondéte in grátiam, ... collaudáte cánticum, & benedícite Dóminum in opéribus ſuis.

℟. *breve.* In manus, p. 159.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 5. a. In reſurrectióne, neque nubent, neque nubéntur, ſed erunt ſicut Angeli Dei. *Matt.* 22. 30.

Oratio & cætera omnia ut in Pſalterio, p. 160.

COMMUNE
UNIUS SANCTÆ MULIERIS.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 1. *toni* a.

SIcut ſol óriens mundo in altíſſimis Dei, ſic mulíeris bonæ ſpécies, in ornaméntum domûs ejus. *Eccli.* 26. 21.

Ant. 4. f. Domus & divítiæ dantur à paréntibus; à Dómino autem própriè uxor prudens. *Prov.* 19. 14.

Ant. 2. D. Múlier fortis obléctat virum ſuum, & annos vitæ illíus in pace implébit. *Eccli.* 26. 2.

Ant. 7. D. Grátia ſuper grátiam, múlier ſancta & pudoráta. *Eccli.* 26. 19.

Ant. 3. a. Fundaménta ætérna ſuper petram ſóli-

curam non habet, fidem negávit. 1. *Tim.* 5. 8. * De nocte.

℟. *v.* Manum ſuam miſit ad fórtia, & dígiti ejus apprehendérunt fuſum; * Manum ſuam apéruit ínopi, & palmas ſuas exténdit ad paúperem. *Prov.* 31. 19. 20. ℣. Hæc erat plena opéribus bonis, & eleemóſynis quas faciébat. *Act.* 9. 36. * Manum.

℟. *vj.* Erat hæc in ómnibus famoſiſſima, quóniam * Timébat Deum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum. *Judith.* 8. 8. ℣. In opéribus bonis teſtimónium habens. 1. *Tim.* 5. 10. * Timébat. Glória. * Timébat.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Multæ fíliæ congregavérunt divítias; tu ſupergréſſa es univérſas. *Prov.* 31. 29.

Ant. 7. *d.* Deus patrum noſtrórum det tibi grátiam, & omne consílium tui cordis ſuâ virtúte corróboret. *Judith.* 10. 8.

Ant. 8. *g.* Deus oſténdet ſplendórem ſuum in te, omni qui ſub cœlo eſt. *Bar.* 5. 3.

℣. Anima ejus in bonis demorábitur, ℟. Et ſemen ejus hæreditábit terram. *Pſ.* 24. 13.

Duæ Lectiones cum Evangelio & Homilia, ut in Proprio Sanctorum.

℟. *vij.* Nunquam cum ludéntibus miſcui me, neque cum his qui in levitáte ámbulant partícipem me prǽbui; * Virum autem cum timóre tuo, Dómine, non cum libídine mea, conſénſi ſuſcípere. *Tob.* 3. 17. 18. ℣. Curſum conſummávi, fidem ſervávi. 2. *Tim.* 4. 7. * Virum.

℟. *viij.* Manus Dómini confortávit te; & * Ideò eris benedícta in ætérnum. *Judith.* 15. 11. ℣. O Múlier! magna eſt fides tua. *Matt.* 15. 28. * Ideò.

℟. *ix.* Tu glória Jerúſalem, * Tu lætítia Iſraël, tu honorificéntia pópuli noſtri. *Judith.* 15. 10. ℣. Fides tua te ſalvam fecit. *Luc.* 7. 50. * Tu lætítia. Glória. * Tu lætítia.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Laudatiónem Dómini loquétur os meum; ℟. Et benedícat omnis caro nómini ſancto ejus. *Pſ.* 144. 21.

Ant. 1. f. Gloriétur ſuper te Jerúſalem, & ſit nomen tuum in número ſanctórum & juſtórum. *Judith.* 10. 8.

Ant. 3. *a.* Addúcet Dóminus fílios tuos ad te, portátos in honóre, ſicut fílios regni. *Bar.* 5. 6.

Ant. 4. f. Gaudébit ſuper te Dóminus Deus tuus in lætítia, ſilébit in dilectióne ſua, exultábit ſuper te in laude. Soph. 3. 17.

Ant. 8. d. Indue te.

CANTICUM. *Prov. c. 31. v. 26. ad finem.*

Mulieris fortis encomium.

OS ſuum apéruit ſapiéntiæ (múlier fortis,) * & lex cleméntiæ in lingua ejus.

Conſiderávit sémitas domûs ſuæ, * & panem otióſa non comédit.

Surrexérunt filii ejus, & beatíſſimâ prædicavérunt; * vir ejus, & laudávit eam.

Multæ fíliæ congregavérunt divítias: * tu ſupergréſſa es univérſas.

Fallax grátia, & vana eſt pulchritúdo: * múlier timens Dóminum ipſa laudábitur.

Date ei de fructu mánuum ſuárum: * & laudent eam in portis ópera ejus.

Ant. Indue te decóre & honóre ejus, quæ à Deo tibi eſt, ſempitérnæ glóriæ. *Bar.* 5. 1.

Ant. 5. a. Ora pro nobis, quóniam múlier ſancta es. *Judith.* 8. 29.

CAPITULUM. 1. *Tim.* 2. 15.

SAlvábitur múlier per filiórum generatiónem, ſi permánſerit in fide, & dilectióne, & ſanctificatióne cum ſobrietáte.

HYMNUS.

ARDET Deo quæ fémina,
Latére fruſtrà cógitat:
Quot indigéntes súblevat,
Tot próditur præcónibus.

PRODESSE quærit ómnibus,
Curis honéſtis ánxia;
Patróna, cuſtos vírginum,
Secúnda mater órphanis.

PANNIS laténtem vílibus,
Chriſtum fovébat hóſpitem:
Quas dura ſubſtráxit ſibi,
Opes refúndit pródiga.

PACEM domi, pacem foris,
Alto colit ſiléntio;
Lites amat compónere,
Ut una mens ſit ómnibus.

SIT laus Patri, laus Filio;
Par ſit tibi laus, Spíritus;
Qui robur addis féminis,
Tu noſtra firma péctora.
Amen.

Si ſit Martyr,

℣. Miſericórdia tua, Dómine, ſubſequétur me, ℟. Omnibus diébus vitæ meæ. *Pſ.* 22. 6.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam adjútor & protéctor factus es mihi, & liberáſti corpus meum à perditióne. *Eccli.* 51. 2. 3.

Oratio.

DEus, cujus grátiâ, virtus in infirmitáte perfícitur; largíre nobis, quǽſumus, beátæ *N.* Mártyris tuæ triúmphum recoléntibus, ut quæ à te accépit, ut vinceret, à te quoque vincéndi grátiam nobis obtíneat; Per Dóminum.

Si non ſit Martyr,

℣. Anima mea Dómino vivet; ℟. Et ſemen meum sérviet ipſi. *Pſ.* 21. 31.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D. * Invéni grátiam apud óculos tuos, Dómine mi, qui conſolátus es me, & locútus es ad cor ancíllæ tuæ. *Ruth.* 2. 13.

Oratio.

TUórum corda fidélium, Deus miſerátor, illúſtra; & beátæ *N.* précibus ac méritis, fac nos terréna deſpícere, & amáre cœléſtia; Per Dóminum noſtrum.

AD PRIMAM.

Ant. 1. f. Gloriétur ſuper te Jerúſalem, & ſit nomen tuum in número ſanctórum & juſtórum. *Judith.* 10. 8.

CAPITULUM. 1. *Tim.* 2. 8. 9.

VOlo viros oráre in omni loco levántes puras manus, ſinè ira & diſceptatióne: ſímiliter & mulíeres in hábitu ornáto, cum verecúndia & ſobrietáte ornántes ſe, & non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veſte pretióſa.

Cœtera ut in Pſalterio, p. 153.

AD TERTIAM.

Ant. 3. *a.* Addúcet Dóminus fílios tuos ad te, portátos in honóre, ſicut fílios regni. *Bar.* 5. 6.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 11. 3.

VOlo vos ſcire quòd omnis viri caput Chriſtus eſt: caput autem mulíeris vir, caput verò Chriſti Deus.

℟. *breve.* Dómine Deus ſalútis meæ, * In die clamávi. ℟. Dómine. ℣. Et nocte coram te. * In die. Glória. ℟. Dómine. *Pſ.* 87. 2.

℣. Apud me orátio Deo vitæ meæ; ℟. Dicam Deo: Suſcéptor meus es. *Pſ.* 41. 9. 10.

AD SEXTAM.

Ant. 4. f. Gaudébit ſuper te Dóminus Deus tuus in lætítia, ſilébit in dilectióne ſua, exultábit ſuper te in laude. *Soph.* 3. 17.

CAPITULUM. 1. *Petr.* 3. 1. 2.

MUlíeres súbditæ ſint viris ſuis: ut & ſi qui non credunt verbo, per mulíerum converſatiónem ſinè verbo lucrifiant, conſiderántes in timóre caſtam converſatiónem veſtram.

℟. *breve.* Exultábo & lætábor * In miſericórdia tua Dómine. ℟. Exultábo. ℣. Quóniam reſpexíſti humilitátem meam. * In. Glória. ℟. Exultábo. *Pſ.* 30. 8.

℣. Ad ómnia mandáta tua dirigébar; ℟. Omnem viam iníquam ódio hábui. *Pſ.* 118. 128.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Ora pro nobis, quóniam múlier ſancta es. *Judith.* 8. 29.

CAPITULUM. *Eccli.* 35. 21. 22.

ORátio humiliántis ſe nubes penetrábit; & donec propínquet, non conſolábitur; & non diſcédet, donec Altíſſimus aſpíciat; & Dóminus non elongábit.

℟. *breve.* Benedíxit * Fíliis tuis in te. ℟. Benedíxit. ℣. Qui póſuit fines tuos pacem. * Fíliis. Glória. ℟. Benedíxit. *Pſ.* 147. 13. 14.

℣. Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; ℟. Quóniam audíſti verba oris mei. *Pſ.* 137. 1.

AD VESPERAS.

Ant. 3. *a.* Sicut múlier de viro, ità & vir per mulíerem: ómnia autem ex Deo. 1. *Cor.* 11. 12.

Ant. 1. a. Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccléſiæ. *Eph.* 5. 23.

Ant. 5. a. Viri debent diligere uxóres ſuas ut córpora ſua: qui ſuam uxórem diligit, ſeipſum díligit. *Eph.* 5. 28.

Ant. 1. g. Unuſquiſque uxórem ſuam ſicut ſeipſum díligat: uxor autem tímeat virum ſuum. *Eph.* 5. 33.

Ant. 7. c. Adam primus formátus eſt, deínde Eva: & Adam non eſt ſedúctus; múlier autem ſedúcta in prævaricatióne fuit. 1. *Tim.* 2. 13. 14.

CAPITULUM. 1. *Tim.* 2. 11. 12.

MUlier in ſiléntio diſcat cum omni ſubjectióne; docére autem mulíeri non permítto, neque dominári in virum, ſed eſſe in ſiléntio.

HYMNUS.

O JAM beáta, quæ ſuo
Tandem ſolútâ córpore,
Vinclis perenniòribus
Uni Deo conjúngitur.

PER quos gradus cœlum petit,
Hâc ire vos omnes docet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos, ſolútæ Cónjuges.

INSIGNIS & nos féminæ
Sequi decet veſtígia;
Magnum vel ipſis quæ fuit
Virtútis exémplum viris.

QUEIS arſit illa, fac, Deus,
Flagrémus & nos ígnibus;
Eóque quo te vis coli
Amóre, fac mens te colat.

DIVINA Proles féminæ,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

Si ſit Martyr,

℣. Adhæſit ánima mea poſt te, Dómine; ℟. Me ſuſcépit déxtera tua. *P.* 62. 9.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Dilatátum eſt os meum ſuper inimícos meos; quia lætáta ſum in ſalutári tuo, Dómine. 1. *Reg.* 2. 1.

Si non ſit Martyr,

℣. Propter nomen tuum, Dómine, ℟. Vivificábis me in æquitáte tua. *Pſ.* 142. 11.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Orábat Dóminum Deum Iſraël, ut dirígeret viam ejus. *Judith.* 12. 8.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 6. F. Bona eſt negotiátio ejus; non extinguétur in nocte lucérna ejus. *Prov.* 31. 18.

Hymnus conveniens.

CAPITULUM. *Eccli.* 36. 26.

QUi póſſidet mulíerem bonam, ínchoat poſſeſſiónem: adjutórium ſecúndùm illum eſt, & colúmna ut réquies.

℟. *breve.* In manus, p. 159.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 1. a. Cum eléctis féminis

gráditur timor Dómini, & cum juſtis & fidélibus agnóſcitur. *Eccli.* 1. 16.

Oratio & cætera omnia ut in Pſalterio, p. 160.

COMMUNE UNIUS SANCTÆ VIDUÆ.

Omnia dicuntur ut ſuprà, p. lxv. *in Communi unius ſanctæ Mulieris, exceptis quæ ſequuntur.*

IN I. VESPERIS.

Poſt Hymnum, ℣. Dóminus pupillum & víduam ſuſcípiet; ℟. Et vias peccatórum diſpérdet. *Pſ.* 145. 9.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. g. Quæ vere vídua eſt & deſoláta, ſperet in Deum, & inſtet obſecratiónibus & oratiónibus nocte ac die. 1. *Tim.* 5. 5.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

AD LAUDES MATUTINAS.

Poſt Hymnum, ℣. Exultáte in conſpéctu ejus, ℟. Patris orphanórum & Júdicis viduárum. *Pſ.* 67. 5. 6.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Dómine mi, qui Rex noſter es ſolus, ádjuva me ſolitáriam, & cujus, præter te, nullus eſt auxiliator álius. *Eſth.* 14. 3.

Oratio.

Deus, in quem ſperat omnis ánima, quæ longè à te éxulans in terris, ſe verè víduam ſentit ac deſolátam; tríbue nobis, quǽſumus, ut exémplo beátæ *N.* obſecratiónibus & oratiónibus nocte ac die inſtántes, cœléſtium conſolatiónum mereámur eſſe partícipes; Per Dóminum noſtrum.

AD VESPERAS.

Poſt Hymnum, ℣. Dirupiſti, Dómine, víncula mea; ℟. Tibi ſacrificábo hóſtiam laudis. *Pſ.* 115. 16. 17.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Non diſcedébat de templo, jejúniis & obſecratiónibus sérviens nocte ac die. *Luc.* 2. 37.

COMMUNE PATRONI, VEL PATRONÆ, *VEL ETIAM* PLURIUM PATRONORUM.

Feſtum Patroni primarii particularis cujuſdam Eccleſiæ celebratur ritu Annuali, cum Octava ſecundi Ordinis.

Officium fit de Communi conveniente, ſervato ritu Annuali, cum Lectionibus ſequentibus, niſi habeatur in Proprio Sanctorum Officium proprium.

Pſalmi pro I. Veſperis & Completorio ſubſequente ſumuntur è Feria occurrente: pro omnibus aliis Horis, è Dominica, ut in Pſalterio, niſi aſſignentur alii in Proprio Sanctorum.

IN I. NOCTURNO.

De Libro ſecúndo Machabæórum.

LECTIO I. *c.* 15. *v.* 7. *ad* 10.

MAchabǽus ſemper confidébat cum omni ſpe auxílium ſibi à Deo affutúrum: & hortabátur ſuos ne formidárent ad advéntum natiónum, ſed in mente habérent adjutória ſibi facta de cœlo, & nunc ſperárent ab Omnipoténte ſibi affutúram victóriam. Et allócutus eos de Lege & Prophétis, ádmonens étiam certámina quæ fécerant priùs, promptióres conſtítuit eos: & ità ánimis eórum eréctis, ſimul oſtendébat Géntium falláciam, & juramentórum prævaricatiónem.

LECTIO II. *v.* 11. *ad* 13.

SIngulos autem illórum armávit, non clýpei & haſtæ munitióne, ſed ſermónibus óptimis & exhortatiónibus, expóſito digno fide ſómnio, per quod univérſos lætificávit. Erat autem hujuſcémodi viſus: Oníam, qui fùerat ſummus Sacérdos, virum bonum & benígnum, verecúndum viſu, modéſtum móribus, & elóquio decórum, & qui à púero in virtútibus exercitátus ſit, manus protendéntem, oráre pro omni pópulo Judæórum: poſt hoc apparuíſſe & álium virum, ætáte & glóriâ mirábilem, & magni decóris habitúdine circa illum.

LECTIO III. *v.* 14. *ad* 17.

REſpondéntem verò Oníam dixíſſe: Hic eſt fratrum amátor, & pópuli Iſraël: hic eſt, qui multùm orat pro pópulo & univérſa ſancta civitáte, Jeremías Prophéta Dei. Extendíſſe autem Jeremíam dextram, & dediſſe Judæ gládium aúreum, dicéntem: Accipe ſanctum gládium munus à Deo, in quo dejícies adversários pópuli mei Iſraël. Exhortáti itaque Judæ ſer-

mónibus bonis valde, de quibus extólli poſſet ímpetus, & ánimi júvenum confortári, ſtatuérunt dimicáre & confligere fórtiter, ut virtus de negótiis judicáret.

IN II. NOCTURNO.

Si non ſint Lectiones propriæ.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

In vigil. SS. Petri & Pauli. n. 2.

LECTIO IV.

TRia ſunt quæ in feſtivitátibus Sanctórum vigilánter conſideráre debémus: auxílium Sancti, exémplum ejus, confuſiónem noſtram. Auxílium ejus; quia qui potens in terra fuit, poténtior eſt in cœlis ante fáciem Dómini Dei ſui. Si enim, dum hîc víveret, miſértus eſt peccatóribus, & orávit pro eis; nunc tantò ámpliùs, quantò vériùs agnóſcit miſérias noſtras, orat pro nobis Patrem: quia beáta illa pátria caritátem ejus non immutávit, ſed augmentávit: neque enim quia impaſſíbilis omnínò, ídeò & incompaſſíbilis factus eſt.

LECTIO V.

DEbémus étiam atténdere exémplum ejus: quia quándiu in terris viſus eſt, & cum homínibus converſátus eſt, non declinávit ad déxteram, neque ad ſiníſtram, ſed viam régiam ténuit, donec veníret ad illum qui dicit: Ego ſum via, véritas & vita. Intuémini humilitátem óperum ejus, auctoritátem verbórum ejus; & tunc vidébitis quómodo tam verbo quàm exémplo, lúxerit inter hómines; quália nobis veſtígia derelíquerit, ut ambulémus per ea, & non errémus in eis. Verè juxta Prophétam: Sémita juſti recta eſt, rectus callis juſti ad ambulándum.

LECTIO VI. n. 3.

SEd & diligentióri intúitu confuſiónem noſtram inſpiciámus: quia homo ille símilis nobis fuit paſſíbilis, ex eódem luto formátus ex quo & nos. Quid ergo eſt quòd non ſolùm difficile, ſed & impoſſíbile crédimus, ut faciámus ópera quæ fecit? Confundámur, fratres, & contremiſcámus. Hómines iſti fuérunt, qui præceſſérunt nos, qui tam mirabíliter proceſſérunt per vias vitæ, ut vix eos hómines fuiſſe credámus. Sic ergo in Sanctórum feſtivitátibus, & gaudére, & confúndi debémus: gaudére, quia Patrónos præmíſimus: confúndi, quia eos imitári non póſſumus.

IN III. NOCTURNO.

De Epíſtola ſecúnda beáti Pauli Apóſtoli ad Coríntbios.

LECTIO VII. *c.* 4. *v.* 11. *ad finem.*

SEmper nos qui vívimus, in mortem tradímur propter Jeſum; ut & vita

Jeſu manifeſtétur in carne noſtra mortáli. Ergo mors in nobis operátur, vita autem in vobis. Habéntes autem eúmdem Spíritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: Crédidi, propter quod locútus ſum, & nos crédimus, propter quod & lóquimur, ſciéntes quóniam qui ſuſcitávit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitábit, & conſtítuet vobíſcum. Omnia enim propter vos; ut grátia abúndans, per multos in gratiárum actióne abúndet in glóriam Dei. Propter quod non defícimus: ſed licèt is qui foris eſt, noſter homo corrumpátur: tamen is qui intùs eſt, renovátur de die in diem. Id enim, quod in præsénti eſt momentáneum & leve tribulatiónis noſtræ, ſupra modum in ſublimitáte ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis, non contemplántibus nobis quæ vidéntur, ſed quæ non vidéntur: quæ enim vidéntur, temporália ſunt: quæ autem non vidéntur, ætérna ſunt.

LECTIO VIII. *c.* 5. *v.* 1. *ad* 9.

SCimus enim quóniam ſi terréſtris domus noſtra hujus habitatiónis diſſolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam ætérnam in cœlis. Nam & in hoc ingemíſcimus, habitatiónem noſtram quæ de cœlo eſt, ſuperíndui cupiéntes; ſi tamen veſtíti, non nudi inveniámur. Nam & qui ſumus in hoc tabernáculo, ingemíſcimus graváti: eò quòd nólumus expoliári, ſed ſuperveſtíri; ut abſorbeátur quod mortále eſt, à vita. Qui autem éfficit nos in hoc ipſum, Deus, qui dedit nobis pignus Spíritûs. Audéntes ígitur ſemper ſciéntes quóniam dum ſumus in córpore, peregrinámur à Dómino: (per fidem enim ambulámus, & non per ſpéciem.) Audémus autem, & bonam voluntátem habémus magìs peregrinári à córpore, & præséntes eſſe ad Dóminum. Et ídeò conténdimus, ſive abséntes, ſive præséntes, placére illi.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

LECTIO IX. *c.* 11. *v.* 5. *ad* 10.

Oratio perſeverans omnia impetrat.

DIxit Jeſus diſcípulis ſuis: Quis veſtrûm habébit amícum, & ibit ad illum médiâ nocte, & dicet illi: Amíce, cómmoda mihi tres panes? Et réliqua.

Homília ſancti Basílii Epíſcopi.

Conſtit. Monaſt. c. 1. *n.* 4.

HOc exémplum idcircò nobis à Dómino propónitur, ut dóceat nos in fide firmos eſſe ac pertináces. Exémplum enim ſumit ab hómine ad hóminem, ut diſcas nunquam deſperáre; ut, cùm petíeris, nec accé-

peris, non deſiſtas tamen, quoàd accípias, ſi modò, quæ Deus vult póſtules: neque díxeris: Peccátor ſum, & ídeò non exaúdior. Verùm enim verò ne ſpem abjíceres, idcírcò ait: Et ſi non propétreà quòd ejus amícus ſit, dabit illi; propter improbitátem tamen ejus, dabit illi quotquot habet neceſsários. Opórtet ítaque divínum auxílium flagitáre: flagitándum autem eſt, non ſégniter, neque mente huc & illuc divagánte: síquidem quiſquis eſt ejúſmodi, non ſolùm non conſecutúrus eſt quæ petet, imò verò Dóminum magis exaſperábit.

DIEBUS

INTRA OCTAVAM.

Tres Antiphonæ, ℣. & ℟℟℟. ſumuntur ex Officio Nocturno diei, ſecundùm Feriam.

Lectio I. de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis. Lectio II. & III. ut infrà pro qualibet die.

In Laudibus & Veſperis Pſalmi dicuntur ſub ſola Antiphona quarta. Cœtera omnia ut in die, juxta ritum Octavarum ſecundi Ordinis.

DOMINICA *intra Octavam occurrente, totum Officium fit de Dominica, incipiendo à primis Veſperis, cum Commemoratione Octavæ in utriſque Veſperis & Laudibus, ſed abſque Lectione.*

DIE SECUNDA

Intra Octavam.

De Libro Proverbiórum.

LECTIO II. *c. 3. v. 1. ad 12.*

FIli mi, ne oblivíſcaris legis meæ, & præcépta mea cor tuum cuſtódiat: longitúdinem enim diérum, & annos vitæ, & pacem appónent tibi. Miſericórdia & véritas te non déſerant, circúmda eas gútturi tuo, & deſcríbe in tábulis cordis tui: & invénies grátiam & diſciplínam bonam, coram Deo & homínibus. Habe fidúciam in Dómino ex toto corde tuo, & ne innitáris prudéntiæ tuæ. In ómnibus viis tuis cógita illum, & ipſe díriget greſſus tuos. Ne ſis ſápiens apud temetípſum: time Deum, & recéde à malo: sánitas quippe erit umbílico tuo, & irrigátio óſſium tuórum. Honóra Dóminum de tua ſubſtántia, & de primítiis ómnium frugum tuárum da ei: & implebúntur hórrea tua ſaturitáte, & vino torculária tua redundábunt. Diſciplínam Dómini, fili mi, ne abjícias: nec defícias cùm ab eo corríperis: quem enim díligit Dóminus, córripit: & quaſi pater in fílio, complacet ſibi.

Sermo ſancti Gregórii Nyſséni.

Oratio de ſancto Theodoro.

LECTIO III.

COnſideráte, hujus puri cultûs miníſtri ſtudióſi, quanta res ſit juſtus, quámque multas conſequátur

muneratiónes : & cógnito pietátis fructu, imitámini consílium, & aſpiráte ad ánimum & voluntátem eórum, qui ità præ cœteris honorántur. Cui regum talis honor habétur? Quis eſt ex iis qui ſupra modum inter hómines excéllere viſi ſunt, qui tali memóriâ celebrétur? Quis Imperatórum, qui urbes munítas cepérunt, natiónes innúmeras ſubjecérunt, ádeò decantátus, & famâ celebrátus eſt?

DIE TERTIA

Intra Octavam.

De Libro Proverbiórum.

LECTIO II. *c.* 3. *v.* 13. *ad* 22.

BEátus homo qui ínvenit ſapiéntiam, & qui áffluit prudéntiâ : mélior eſt acquiſítio ejus negotiatióne argénti, & auri primi & puríſſimi fructus ejus : pretióſior eſt cunctis ópibus : & ómnia quæ deſiderántur, huic non valent comparári. Longitúdo diérum in déxtera ejus, & in ſiníſtra illíus divítiæ & glória. Viæ ejus viæ pulchræ, & omnes sémitæ illíus pacíficæ. Lignum vitæ eſt his qui apprehénderint eam : & qui tenúerit eam, beátus. Dóminus ſapiéntiâ fundávit terram, ſtabilívit cœlos prudéntiâ. Sapiéntiâ illíus erupérunt abýſſi, & nubes rore concréſcunt. Fili mi, ne éffluant hæc ab óculis tuis : cuſtódi legem atque *consílium : & erit vita ánimæ tuæ, & grátia* faúcibus tuis.

Sermo ſancti Joánnis Chrysóſtomi.

De Martyribus.

LECTIO III.

QUi Sanctórum mérita religióſâ caritáte mirátur, quíque Juſtórum glórias frequénti laude collóquitur, eórum mores ſanctos atque juſtítiam imitétur : quóniam quem deléctat Sancti alicújus méritum, delectáre debet par circa Dei cultum obſéquium. Quare aut imitári debet, ſi laudat; aut laudáre non debet, ſi imitári detréctat : ut qui álium laudat, laudábilem ſe reddat; & qui Sanctórum mérita admirátur, mirábilis ipſe vitæ ſanctitáte reddátur. Nam ſi proptéreà juſtos fideléſque dilígimus, quòd in ipſis juſtítiam fidémque ſuſpícimus, póſſumus nos quoque eſſe quod ſunt, ſi faciámus ipſi quod fáciunt.

DIE QUARTA

Intra Octavam.

De Libro Proverbiórum.

LECTIO II. *c.* 4. *v.* 1. *ad* 9.

AUdíte, filii, diſciplínam patris, & atténdite ut ſciátis prudéntiam. Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquátis. Nam & ego filius fui patris mei, tenéllus, & unigénitus coram matre mea : & docébat me atque dicébat : Suſcípiat verba mea cor tuum, cuſtódi præcépta mea, & vives. Póſſide ſapiéntiam, póſſide prudéntiam : ne oblíviſcáris, neque declínes

verbis oris mei. Ne dimíttas eam, & custódiet te: dílige eam, & conſervábit te. Princípium ſapiéntiæ, póſſide ſapiéntiam: & in omni poſſeſſióne tua, acquíre prudéntiam. Arripe illam, & exaltábit te: glorificáberis ab ea, cùm eam fúeris amplexátus. Dabit cápiti tuo augménta gratiárum, & coróna ínclytâ próteget te.

Sermo ſancti Hierónymi Presbýteri.

Adversùs Vigilantium.

LECTIO III.

Dicis in libéllo tuo, quòd dum vívimus, mútuò pro nobis oráre póſſumus; poſtquàm autem mórtui fuérimus, nullíus ſit pro álio exaudiénda orátio. Si Apóſtoli & Mártyres adhuc in córpore conſtitúti poſſunt oráre pro cœ́teris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſollíciti, quantò magìs poſt corónas, victórias, & triúmphos? Unus homo Móyſes ſexcéntis míllibus armatórum ímpetrat à Deo véniam: & Stéphanus imitátor Dómini ſui & primus Martyr in Chriſto, pro perſecutóribus véniam deprecátur: & poſtquàm cum Chriſtó eſſe cœ́perint, minùs valébunt?

DIE QUINTA

Intra Octavam.

De Libro Proverbiórum.

LECTIO II. *c.* 4. *v.* 10. *ad* 19.

Audi, fili mi, & súſcipe verba mea, ut multiplicéntur tibi anni vitæ. Viam *ſapiéntiæ* monſtrábo tibi, ducam te per ſémitas æquitátis: quas cùm ingréſſus fúeris, non arctabúntur greſſus tui, & currens non habébis offendículum. Tene diſciplínam, nè dimíttas eam: cuſtódi illam, quia ipſa eſt vita tua. Ne delectéris in ſémitis impiórum, nec tibi pláceat malórum via. Fuge ab ea, nec tránſeas per illam: declína, & déſere eam; non enim dórmiunt niſi malefécerint: & rápitur ſomnus ab eis niſi ſupplantáverint: cómedunt panem impietátis, & vinum iniquitátis bibunt. Juſtórum autem sémita, quaſi lux ſplendens procédit, & creſcit uſque ad perféctam diem. Via impiórum tenebróſa: neſciunt ubi córruant.

Sermo ſancti Basílii Epíſcopi.

Homil. in 40. *Martyres* n. 8.

LECTIO III.

Parátum eſt hîc auxílium Chriſtiánis, exércitus tropǽa geſtántium, chorus laudes divínas celebrántium. Qui angúſtiâ áliquâ prémitur, ad hos confúgit: qui lætátur, recúrrit ad eóſdem: ille quidem, ut à malis liberétur, hic verò, ut res ſibi ſecúndæ eſſe pergant. Hîc múlier pia pro líberis orans deprehénditur: peregrinánti maríto réditum, infirmo ſalútem petit. O chorus ſanctus! ô ſacer ordo! ô confertíſſimum & infráctum agmen! ô commúnes géneris

humáni cuſtódes! boni curárum socii, precum fautóres, legáti potentíſſimi, ſtellæ orbis terrárum, Eccleſiárum flores! Non vos terra opéruit, ſed cœlum ſuſcépit.

DIE SEXTA

Intra Octavam.

De Libro Proverbiórum.

LECTIO II. *c.* 4. *v.* 20. *ad finem.*

FIlli mi, auſcúlta ſermónes meos, & ad elóquia mea inclína aurem tuam; ne recédant ab óculis tuis, cuſtódi ea in médio cordis tui: vita enim ſunt inveniéntibus ea, & univérsæ carni sánitas. Omni cuſtódiâ ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procédit. Rémove à te os pravum, & detrahéntia lábia ſint procul à te. Oculi tui recta vídeant, & pálpebræ tuæ præcédant greſſus tuos. Dírige sémitam pédibus tuis, & omnes viæ tuæ ſtabiliéntur. Ne declínes ad déxteram, neque ad ſiníſtram: avérte pedem tuum à malo; vias enim quæ à dextris ſunt, novit Dóminus: pervérſæ verò ſunt quæ à ſiníſtris ſunt. Ipſe autem rectos fáciet curſus tuos, itínera autem tua in pace prodúcet.

Sermo ſancti Cleméntis Papæ & Mártyris.

Epiſt. 1. *ad Cor. c.* 32. 33.

LECTIO III.

II glóriam & amplitúdinem conſecúti ſunt, non *per ſcípſos*, aut ópera ſua, *aut juſtas* actiónes quas fecérunt, ſed per voluntátem Dei. Et nos ígitur ex voluntáte illíus in Chriſto Jeſu vocáti, non per nos ipſos juſti effícimur, neque per ſapiéntiam noſtram, aut intelligéntiam, aut pietátem, aut ópera quæ in cordis ſanctitáte operáti ſumus: ſed per fidem, per quam cunctos qui unquam juſti fuérunt, juſtificávit Deus omnípotens. Quid ígitur faciémus, fratres? ceſſábimus à bonis opéribus, & caritátem derelinquémus? neútiquàm hoc à nobis fieri permíttat Dóminus: ſed cum diligéntia & alacritáte feſtinémus omne opus bonum perfícere. Videámus quòd in bonis opéribus ornáti fuérunt omnes juſti. Et ipſe Dóminus cùm ſe opéribus decoráſſet, gavíſus eſt. Habéntes ítaque hoc exémplar, impigrè ad voluntátem ejus accedámus: ex totis víribus noſtris operémus opus juſtítiæ.

DIE SEPTIMA

Intra Octavam.

De Libro Proverbiórum.

LECTIO II. *c.* 16. *v.* 1. *ad* 9.

HOminis eſt ánimam præparáre, & Dómini gubernáre linguam. Omnes viæ hóminis patent óculis ejus: ſpirítuum ponderátor eſt Dóminus. Revéla Dómino ópera tua, & dirigéntur cogitatiónes tuæ. Univérſa propter ſemetípſum operátus eſt Dóminus, ímpium quoque ad diem malum. Abominátio Do

mini eſt omnis árrogans: etiámſi manus ad manum fúerit, non eſt ínnocens. Initium viæ bonæ, fácere juſtítiam: accépta eſt autem apud Deum, magìs quàm immoláre hóſtias. Miſericórdiâ & veritáte redímitur iníquitas: & in timóre Dómini declinátur à malo. Cùm placúerint Dómino viæ hóminis, inimícos quoque ejus convértet ad pacē. Méliùs eſt parùm cum juſtítia, quàm multi fructus cum iniquitáte. Cor hóminis diſpónit viam ſuam: ſed Dómini eſt dirígere greſſus ejus.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 1. in Epiſt. Joan. n. 8.

LECTIO III.

JOánnes quid dixit? Et ſi quis peccáverit, Advocátum habémus apud Patrem, Jeſum Chriſtum Juſtum. Sed dicet áliquis: Ergo Sancti non petunt pro nobis? Ergo Epíſcopi & Præpóſiti non petunt pro pópulo? Sed atténdite Scriptúras, & vidéte quia & Præpóſiti comméndant ſe pópulo. Nam Apóſtolus dicit plebi: Orántes ſimul & pro nobis. Orat Apóſtolus pro plebe: orat plebs pro Apóſtolo. Orámus pro vóbis, fratres, ſed & vos oráte pro nobis: ínvicem pro ſe ómnia membra orent; caput pro ómnibus interpéllet.

AD VESPERAS. *Omnia ut in I. Veſperis Feſti, ſervato ritu Duplici majori.*

IN OCTAVA

Feſti Patroni vel Patronæ.

Duplex majus.

Omnia ut in die, exceptis quæ ſequuntur, & ſervato ritu Duplici majori.

Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 5. in Feſt. om. SS. n. 6.

LECTIO IV.

EXcitémur aliquándo, fratres: reſurgámus cum Chriſto, quærámus quæ ſursùm ſunt; quæ ſursùm ſunt ſapiámus. Deſiderémus deſiderántes nos, properémus ad præſtolántes nos; expectántes nos, votis præoccupémus animórum. Ecce enim nihil in hac noſtra communióne ſecuritátis, nihil perfectiónis, nihil quiétis: & tamen hic quoque quàm bonum & quàm jucúndum, habitáre fratres in unum! Quidquid enim, ſive intériùs, ſive extériùs, moléſtum occúrrit, ipſo útique tam germanórum consórtio fratrum, cum quibus eſt nobis cor unum & ánima una in Deum, tolerabílius invenítur. Quàm dúlcior erit, quàm delectabílior, quàm beátior únio, ubi nulla ſuſpício eſſe póterit, nulla diſſenſiónis occáſio, ubi omnes perfécta cáritas indiſſolúbili fœ́dere colligábit.

LECTIO V. n. 10.

UT eam glóriam nobis ſperáre liceat, & ad tantam beatitúdinem adſpiráre, ſummópere nobis deſideránda ſunt ſuffrágia Sanctórum: ut quod poſſibílitas noſtra non óbtinet, eórum nobis interceſſióne donétur. Miſerémini meî, miſerémini meî, ſaltèm vos, amíci mei. Noſtis ipſi perículum noſtrum: noſtis figméntum noſtrum: noſtis ignorántiam noſtram, & dolos adverſariórum: noſtis eórum ímpetus & noſtram fragilitátem. Vobis enim loquor, qui in eádem tentatióne fuíſtis, quì eóſdem ſuperáſtis conflíctus, eóſdē láqueos evasíſtis, qui didiciſtis ex his quæ paſſi eſtis compaſſiónem.

LECTIO VI. n. 10. 11.

ET ſi de Angelis mihi árbitror præſuméndū, ob ſpirituális ſubſtántiæ & rationális formæ ſimilitúdinem, amplióri tamen fidúciâ ad eos mihi reor verténdum, quos habére me nóverim & in ipſa humanitáte consórtes; ut opórteat eos familiáriùs & ſpeciáliùs miſeréri oſſi de óſſibus ſuis, & carni de carne ſua. Abſit, abſit à vobis, ánimæ ſanctæ, Ægýptia illa crudélitas pincérnæ Pharaónis, qui in gradum príſtinum reſtitútus, ſtatim oblítus eſt Joſeph ſancti, qui *in cárcere* tenebátur. Non *enim erant* unius cápitis membra, nec áliqua pars fidéli cum infidéli, aut ulla ſocíetas Iſraelítæ ad Ægýptium. Nos quoque, ſi non ſumus ipsíus cápitis membra, cujus & Sancti, unde eis tam ſolémnibus votis, & tanto gratulámur afféctu? Hæc ígitur noſtra & eórum cohæréntia eſt, ut nos gratulémur eis, ipſi compatiántur nobis: nos devótâ meditatióne regnémus in eis, ipſi in nobis & pro nobis mílitent piâ interventióne.

IN III. NOCTURNO.

De Libro Sapiéntiæ.

LECTIO VII. *c. 4. v. 1. ad 6.*

O Quàm pulchra eſt caſta generátio cum claritáte! immortális eſt enim memória illíus; quóniam & apud Deum nota eſt, & apud hómines. Cùm præſens eſt, imitántur illam; & desíderant eam, cùm ſe edúxerit; & in perpétuum coronáta triúmphat incoinquinatórum certáminū præmium vincens. Multígena autem impiórum multitúdo non erit útilis, & ſpúria vitulámina non dabunt radíces altas, nec ſtábile firmaméntum collocábunt. Et ſi in ramis in témpore germináverint, infirmiter pósita, à vento commovebúntur, & à nimietáte ventórum eradicabúntur. Confringéntur enim rami incónſummáti, & fructus illórum inútiles, & acérbi ad manducándum, & ad níhilum apti. Ex ini-

quis enim ſomnis filii qui naſcúntur, teſtes ſunt nequítiæ advérsùs paréntes in interrogatióne ſua.

Lectio VIII. *v.* 7. *ad* 14.

JUſtus autem ſi morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis eſt, non diutúrna, neque annórum número computáta: cani autem ſunt ſenſus hóminis; & ætas ſenectútis vita immaculáta. Placens Deo factus eſt diléctus, & vivens inter peccatóres tranſlátus eſt: raptus eſt, ne malítia mutáret intelléctum ejus, aut ne fictio decíperet ánimam illíus. Faſcinátio enim nugacitátis obſcúrat bona, & inconſtántia concupiſcéntiæ tranſvértit ſenſum ſinè malítia. Conſummátus in brevi, explévit témpora multa: plácita enim erat Deo ánima illíus: propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio IX. *c.* 11. *v.* 5. *ad* 10.

Oratio perſeverans omnia impetrat.

DIxit Jeſus diſcípulis ſuis: Quis veſtrûm habébit amícum, & ibit ad illum médiâ nocte, & dicet illi: Amíce, cómmoda mihi tres panes? Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lib. 7. *in Luc.* n. 87. 88.

ALius præcépti locus eſt, ut ómnibus moméntis, non ſolùm diébus, ſed étiam nóctibus, orátio deferátur. Vides enim quòd iſte qui médiâ nocte perréxit, tres panes ab amico ſuo póſtulans, & in ipſa petendi intentióne perſíſtens, non defraudétur orátis. Qui ſunt iſti tres panes, niſi myſtérii cœléſtis aliméntum? quòd ſi díligas Dóminum Deum tuum, non ſolùm tibi, ſed étiam áliis póteris emeréri. Quis autem amícior nobis, quàm qui pro nobis corpus ſuum trádidit? ab hoc médiâ nocte panes David pétiit, & accépit. Pétiit quando dicébat: Médiâ nocte ſurgébam ad confiténdum tibi. Neque enim tímuit ne excitáret dormiéntem, quem ſcit ſemper vigilántem. Et ídeò ſcriptórum mémores, nóctibus ac diébus oratióni inſtántes, peccátis noſtris véniam poſtulémus.

IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Solemne Majus.

Si ſit ipſa dies Dedicationis Eccleſiæ, Officium ſit ritu Annuali, & tunc incipit tantummodo ad Sextam, dedicatâ ſcilicet Eccleſiâ. Horæ autem quæ præcedunt Dedicationem, dicuntur de Dominica, vel de Feſto occurrente.

IN I. VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 8. *toni* G.

ÆDificávit Noë altáre Dómino; & tollens de cunctis pecóribus & volúcribus mundis, óbtulit holocáuſta ſuper altáre. *Gen.* 8. 20.

Ant. 1. J. Ædificávit Abram altáre Dómino, & invocávit nomen ejus. *Gen.* 12. 8.

Ant. 3. E. Ædificávit Iſaac altáre; & invocáto nómine Dómini, exténdit tabernáculum. *Gen.* 26. 25.

Ant. 2. D. Surgens Jacob manè, tulit lápidem quem ſupposúerat cápiti ſuo, & eréxit in títulum, fundens óleũ déſuper. *Gen.* 28. 18.

Ant. 8. c. Complévit Móyſes Tabernáculum, & eréxit illud, unxítque & ſanctificávit cum ómnibus vaſis ſuis, altáre ſimíliter & ómnia vaſa ejus. *Num.* 7. 1.

CAPITULUM. *Aggæi* 1. 7. 8.

HÆc dicit Dóminus exercítuum: Pónite corda veſtra ſuper vias veſtras; aſcéndite in montem, portáte ligna, & ædificáte Domum: & acceptábilis mihi erit, & glorificábor, dicit Dóminus.

℞. Dixit David ad Salomónem: * Fili mi, voluntátis meæ fuit, ut ædificárẽ Domum nómini Dómini Dei mei. 1. *Par.* 22. 7. ℣. Pétiit David ut inveníret Tabernáculum Deo Jacob. *Act.* 7. 46. * Fili. Glória. *Reſumitur* ℞. Dixit.

Hymnus.

SISTE, qui ſanctam próperas ad Ædem:
Mýſtico poſtquàm ſacra facta ritu,
Scis Dei quòd ſit Domus, & Tonántis
Altera Sedes?

CUJUS in cœlo thronus eſt perénnis,
Parva vult terris habitáre tecta:
Incapax claudi, latet hoſpes, arcto
Clauſus in orbe.

NON malos ultor venit inter ignes;
Non nigra nimbi tonat è procélla:
Nec minùs credas plácido veréndа

Númine templa.

Quid vetus fluxit cruor hoſtiárum ?
Priſtinæ ceſſent holocaúſta Legis :
Aſtat hic aris, ſimul & Sacérdos,
Hóſtia Chriſtus.

Quid venis, audax ? procul hinc profánus,
Sancta ni fletûs lavet unda crimen.
Munda quàm multis jubet eſſe mundum
Vócibus ædes !

Trine, quæ ſanctis tibi thura fumant
Ædibus, grato pláceant odóre ;
Et pluant pingues reſolúta lætis
Núbibus imbres.
Amen.

℣. Díligit Dóminus portas Sion, ℟. Super ómnia tabernácula Jacob. *Pſ.* 86. 2.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. * Cœpit Sálomon ædificáre Domum Dómini in Jerúſalem in monte Mória, qui demonſtrátus fúerat David patri ejus. 2. *Par.* 3. 1.

Oratio.

DEus, qui de vivis & eléctis lapídibus ætérnum majeſtáti tuæ præparas habitáculum, auxiliáre pópulo tuo ſupplicánti ; ut quod Eccléſiæ tuæ corporálibus próficit ſpátiis, ſpirituálibus amplificétur augméntis ; Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio Dominicæ occurrentis, per Antiphonam quæ eſt in Veſperis Sabbati, ℣. *& Orat. convenientem.*

Completorium *habetur poſt II. Veſperas, cum Pſalmis de Feria.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Dóminum in Templo ſancto ſuo, * Veníte, adorémus. *Habac.* 2. 20.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu ſolemni.*

Hymnus.

ECce ſedes hîc Tonántis ;
Ecce cœli jánua :
Hîc, ſacérdos, ara, templum,
Hîc Deus fit hóſtia :
Incruéntâ morte, jugis
Hîc amor litat Deum.

Qualis ara, quanta ſedes,
Ipsíus capax Dei !
Quem nec univérſa terra,
Omne nec cœlum capit,
Orbe parvo ſe coárctans,
Hîc latére ſúſtinet.

Quam libénter hîc pudícis
Inſerit ſe córdibus !
Hîc amántis tota Chriſti
Exerit ſe cáritas :
Hîc Pater caros ſedére
Geſtit inter filios.

Hinc facéſſe, quem profána
Pólluit contágio ;
Neu ſacrum transíre limen
Inquinátus aúdeas :
Ultor aſtat cum flagéllis,
Púniens ſontes Deus.

Sit perénnis laus Paréntti ;

Sit perénnis Fílio ;
Laus tibi, qui nectis ambos,
Sit perénnis, Spíritus,
Chriſma cujus nos inúngens,
Viva templa cónſecrat.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

In Pſ. 5. Verba mea aúribus pércipe, *p.* 64.

Ant. 1. f. Magna erit glória Domûs iſtíus novíſſimæ pluſquàm primæ, dicit Dóminus exercítuum ; & in loco iſto dabo pacem. *Aggæi.* 2. 10.

In Pſ. 23. Dómini eſt terra, *p.* 109.

Ant. 2. *D.* Dabo ſanctificatiónem meam in médio eórum in perpétuum ; & erit Tabernáculum meum in eis. *Ezech.* 37. 26. 27.

In Pſ. 25. Júdica me, Dómine, quóniam, *p.* 120.

Ant. 7. *d.* Habitábo in médio filiórum Iſraël, eróque eis Deus, & ſcient quia ego Dóminus Deus eórum. *Exod.* 29. 45. 46.

℣. Tranſíbo in locum Tabernáculi admirábilis, ℟. Uſque ad Domum Dei. *Pſ.* 41. 5.

De Libro ſecúndo Paralipómenon.

LECTIO I. *c.* 7. *v.* 1. *ad* 5.

CUm compléſſet Sálomon fundens preces, ignis deſcéndit de cœlo, & devorávit holocaúſta & víctimas : & majéſtas Dómini *implévit domum.* Nec póterant Sacerdótes íngredi templum Dómini, eò quòd impléſſet majéſtas Dómini templum Dómini. Sed & omnes fílii Iſraël vidébant deſcendéntem ignem, & glóriam Dómini ſuper domum : & corruéntes proni in terram ſuper paviméntum ſtratum lápide, adoravérunt & laudavérunt Dóminum : Quóniam bonus, quóniam in séculum miſericórdia ejus. Rex aútem, & omnis pópulus, immolábant víctimas coram Dómino. Mactávit ígitur Rex Sálomon hóſtias, boum vigínti duo míllia, aríetum centũ vigínti míllia ; & dedicávit domum Dei Rex, & univérſus pópulus.

℟. *j.* Scient gentes quia ego Dóminus Sanctificátor Iſraël, * Cùm fúerit ſanctificátio mea in médio eórum in perpétuum. *Ezech.* 37. 28. ℣. De omni re quamcúmque petíerint, fiet illis. *Matt.* 18. 19. * Cùm fúerit. Glória. * Cùm fúerit.

LECTIO II. *v.* 6. *ad* 9.

SAcerdótes autem ſtabant in offíciis ſuis, & Levítæ in órganis cárminum Dómini, quæ fecit David rex ad laudándum Dóminum : Quóniam in ætérnum miſericórdia ejus, hymnos David canéntes per manus ſuas. Porro Sacerdótes canébant tubis ante eos, cunctúſque Iſraël ſtabat. Sanctificávit quoque Sálomon mé

dium átrii ante templum Dómini: obtúlerat enim ibi holocaúſta & ádipes pacificórum; quia altáre æneum quod fécerat, non póterat ſuſtinére holocaúſta, & ſacrificia, & ádipes. Fecit ergo Sálomon ſolemnitátem in témpore illo ſeptem diébus, & omnis Iſraël cum eo, eccléſia magna valde, ab intróitu Emath uſque ad torréntem Ægýpti. Fecítque die octávo colléctam, eò quòd dedicáſſet altáre ſeptem diébus, & ſolemnitátem celebráſſet diébus ſeptem.

℟. *ij.* In templo hoc & in Jerúſalem quam elégi de cunctis tríbubus Iſraël, ponam nomen meum in ſempitérnum; * Et ultrà non fáciam commovéri pedem Iſraël. 4. *Reg.* 21. 7. 8. ℣. Ero vobis in Patrem, & vos éritis mihi in fílios & fílias. 2. *Cor.* 6. 18. * Et ultrà. Glória. * Et ultrà.

Lectio III. *v.* 12. *ad* 16.

APpáruit autem Salomóni Dóminus nocte, & ait: Audívi oratiónem tuam, & elégi locum iſtum mihi in domum ſacrifícii. Si clauſero cœlum, & plúvia non flúxerit, & mandávero & præcépero locúſtæ ut dévoret terram, & míſero peſtiléntiam in pópulũ meum; convérſus autem pópulus meus, ſuper quos invocátum eſt nomen meum, deprecátus me fúerit, & exquiſíerit fáciem meam, & égerit pœniténtiam à viis ſuis péſſimis; & ego exáudiam de cœlo, & propítius ero peccátis eórum, & ſanábo terram eórum. Oculi quoque mei erunt apérti, & aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus, qui in loco iſto oráverit: elégi enim & ſanctificávi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in ſempitérnum, & permáneant óculi mei, & cor meum ibi cunctis diébus.

℟. *iij.* Habitábo vobíſcum in loco iſto, * in terra quam dedi pátribus veſtris à ſéculo, & uſque in ſéculum. *Jer.* 7. 7. ℣. Et vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu. *Eph.* 2. 22. * In terra. Glória. *Reſumitur* ℟. Habitábo.

IN II. NOCTURNO.

In Pſ. 28. Afférte Dómino, fílii Dei, *p.* 83.

Ant. 3. *a.* Non póterant Sacerdótes íngredi Templũ Dómini, eò quòd impléſſet majéſtas Dómini Templum Dómini. 2. *Par.* 7. 2.

In Pſ. 45. Deus noſter, refúgium & virtus, *p.* 91.

Ant. 2. D. Omnes Fílii Iſraël vidébant deſcendéntem ignem, & glóriam Dómini ſuper Domum. 2. *Par.* 7. 3.

In Pſ. 47. Magnus Dóminus & laudábilis, *p.* 134.

Ant. 4. a. Dedicávit Domum Dei Rex, & univérſus pópulus: Sacerdótes autem ſtabant in officiis ſuis. 2. Par. 7. 5. 6.

℣. Sanctificávit Tabernáculum ſuum Altíſſimus : ℟. Deus in médio ejus. *Pſ.* 45. 5. 6.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

In Dedic. Eccleſ. Serm. 1. n. 1.

LECTIO IV.

FEſtívitas hodiérna, fratres, tantò nobis debet eſſe devótior, quantò familiárior eſt. Nam cǽteras quidem Sanctórum ſolemnitátes cum Eccléſiis áliis habémus communes : hæc verò ſic nobis eſt própria, ut necéſſe ſit, vel à nobis eam, vel à némine celebrári. Noſtra eſt, quia de Eccléſia noſtra : magìs autem noſtra, quia de nobis ipſis. Mirámini fórſitan & erubéſcitis celebráti feſta de vobis: ſed nolíte fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intelléctus. Quid enim lápides iſti potuérunt ſanctitátis habére, ut eórum ſolémnia celebrémus? Habent útique ſanctitátem, ſed propter córpora veſtra. An verò córpora veſtra ſancta eſſe quis dúbitet, quæ templum ſancti Spíritûs ſunt, ut ſciat unuſquíſque poſſidére vas ſuum in ſanctificatióne? Itaque ſanctæ ſunt ánimæ propter inhabitántem Spíritum Dei in vobis : ſancta ſunt córpora propter ánimas : ſancta eſt *étiam propter* córpora *domus.*

℟. *iv.* Corruéntes proni in terram ſuper paviméntum ſtratum lápide, adoravérunt & laudavérunt Dóminum : * Quóniam bonus, quóniam in ſéculum miſericórdia ejus. 2. *Par.* 7. 3. ℣. Implétum eſt Templum fumo à majeſtáte Dei, & de virtúte ejus *Apoc.* 15. 8. * Quóniam. Glória. * Quóniam.

LECTIO V. n. 3. 4.

QUando domus iſta per manus Pontíficum dedicáta eſt Dómino, propter nos ſinè dúbio factum eſt. In nobis proínde ſpirituáliter impléri necéſſe eſt, quæ in pariétibus viſibíliter præceſſérunt. Et ſi vultis ſcire, hæc útique ſunt : aſpérſio, inſcríptio, inúnctio, illuminátio, benedíctio. Hæc quidem in hac visíbili domo fecére Pontífices; hæc Chriſtus aſſíſtens Póntifex futurórum bonórum inviſibíliter quotídie operátur in nobis. Primò síquidem aſpérgit nos hyſſópo, ut mundémur, lavémur, dealbémur. Lavat, inquam, nos in confeſſióne, lavat nos lacrymárum imbre, lavat ſudóre pœniténtiæ : magìs autem lavat nos aquâ illâ pretiosíſſimâ, quæ de fonte pietátis, id eſt, ab ejus látere, emanávit. Non ſolùm autem, ſed inſcríbit dígito Dei, in quo ejiciébat dæmónia, haud dúbium quin in Spíritu ſancto. Inſcríbit, inquam, legem ſuam, non jam in lápid

ſed in tábulis cordis carnálibus, Prophéticam implens promiſſiónem, quâ ſe pollícitus eſt ablatúrum cor lapídeum, & cárneum cor eſſe datúrum, id eſt, non durũ, non obſtinátum, non Judáicum; ſed pium, ſed manſuétum, ſed tractábile, ſed devótum. Beátus quem tu erudíeris, Dómine, & de lege tua docúeris eum!

℟. v. Salomóni ſubjécit Deus omnes hoſtes, ut cónderet Domum in nómine ſuo, * Et paráret ſanctitátem in ſempitérnum. *Eccli.* 47. 15. ℣. Chriſtus diléxit Eccléſiam, & ſeípſum trádidit pro ea, ut illam ſanctificáret. *Eph.* 5. 25. 26. * Et paráret. Glória. * Et paráret.

Lectio VI. n. 6.

JAm verò benedictiónem quidem expectámus in fine, quando apériet manum ſuam, & implébit omne ánimal benedictióne. Nam in quátuor præmíſſis mérita conſtant, in benedictióne ſunt prǽmia. In benedictióne tota complébitur grátia ſanctificatiónis, quando jam in domum tranſíbimus non manufáctam, ætérnam in cœlis. Ipſa eſt quæ conſtrúitur vivis ex lapídibus, Angelis ſcílicet & homínibus: ſimul enim ædificátio, & dedicátio ipſa complébitur.

℟. vj. Fecérunt dedicatiónẽ altáris diébus octo; * Et obtulérunt holocáuſta cum lætítia, & ſacrifícium ſalutáris & laudis. 1. *Mach.* 4. 56. ℣. Apértum eſt Templum tabernáculi Teſtimónii. *Apoc.* 15. 5. * Et obtulérunt. Glória. *Reſumitur* ℟. Fecérunt.

IN III. NOCTURNO.

In Pſ. 64. Te decet hymnus, Deus, in Sion, *p.* 94.

Ant. 7. d. Scriptum eſt: Quia Domus mea Domus oratiónis vocábitur ómnibus géntibus. *Marc.* 11. 17.

In Pſ. 83. Quàm dilécta tabernácula tua, *p.* 101.

Ant. 6. F. Si quis Templum Dei violáverit, diſpérdet illum Deus. 1. *Cor.* 3. 17.

In Pſ. 86. Fundaménta ejus in móntibus ſanctis, *p.* 135.

Ant. 8. G. Quàm terríbilis eſt locus iſte! non eſt hìc áliud, niſì Domus Dei & porta cœli. *Gen.* 28. 17.

℣. Domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, ℟. In longitúdinem diérum. *Pſ.* 92. 5.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio VII. *c.* 3. *v.* 16. *ad finem.*

NEſcítis quia templum Dei eſtis, & Spíritus Dei hábitat in vobis? Si quis autem templum Dei violáverit, diſpérdet illum Deus: templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.

Nemo ſe ſedúcat : ſi quis vidétur inter vos ſápiens eſſe in hoc ſéculo, ſtultus fiat, ut ſit ſápiens. Sapiéntia enim hujus mundi, ſtultítia eſt apud Deum. Scriptũ eſt enim : Comprehéndam ſapiéntes in aſtútia eórum. Et íterùm : Dóminus novit cogitatiónes ſapiéntiũ, quóniam vanæ ſunt. Nemo ítaque gloriétur in homínibus: ómnia enim veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apóllo, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præséntia, ſive futúra : ómnia enim veſtra ſunt : vos autem Chriſti : Chriſtus autem Dei.

℟. *vij.* Qui habet in cœlis habitatiónem, viſitátor & adjútor eſt loci illíus, & * Veniéntes ad malefaciéndum pércutit ac perdit. 2. *Mach.* 3. 39. ℣. Non intrábit in eam áliquid coinquinátum aut abominatiónem fáciens. *Apoc.* 21. 27.* Veniéntes. Glória. * Veniéntes.

De Epíſtola prima beáti Petri Apóſtoli.

LECTIO VIII. *c.* 2. *v.* 1. *ad* 10.

DEponéntes omnem malítiam, & omnem dolum, & ſimulatiónes, & invídias, & omnes detractiónes, ſicut modò géniti infántes, rationábile, ſinè dolo lac concupíſcite; ut in eo creſcátis in ſalútem : ſi tamen guſtáſtis quóniam dulcis eſt Dóminus: ad quẽ accedéntes lápidem vivum, ab homínibus quidem reprobátum, à Deo autem eléctum & honorificátum, & ipſi, tanquam lápides vivi, ſuperædificámini, domus ſpirituális, ſacerdótium ſanctum, offérre ſpirituáles hóſtias, acceptábiles Deo per Jeſum Chriſtum. Propter quod cóntinet Scriptúra: Ecce pono in Sion lápidem ſummum, anguláre m, eléctum, pretióſum : & qui credíderit in eum, non confundétur. Vobis ígitur honor credéntibus : non credéntibus autem : Lapis quem reprobavérunt ædificántes, hic factus eſt in caput ánguli, & lapis offenſiónis, & petra ſcándali, his qui offéndunt verbo, nec credunt in quo & póſiti ſunt. Vos autem genus eléctum, regále ſacerdótium, gens ſancta, pópulus acquiſitiónis: ut virtútes annuntiétis ejus, qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen ſuum. Qui aliquándo non pópulus, nunc autem pópulus Dei : qui non conſecúti miſericórdiam, nunc autem miſericórdiam conſecúti.

℟. *viij.* Hæc dicit Dóminus exercítuum Deus Iſraël : * Bonas fácite vias veſtras & ſtúdia veſtra, & habitábo vobíſcum in loco iſto. *Jer.* 7. 3. ℣. Nolíte fácere Domum Patris mei domum negotiatiónis. *Joan.* 2. 16. * Bonas. Glória. * Bonas.

Cedit hanc contra furor inferórum
Irritus omnis.
Laus Deo, qui nos ſibi conſecrávit,
Una ſit Patri, parilíque Proli,
Par ſit, ambórum, tibi, nexus, omni,
Spíritus, ævo. Amen.

℣. Quàm diléćta tabernácula tua, Dómine virtútum! ℟. Concupíſcit & déficit ánima mea in átria Dómini. *Pſ.* 83. 2. 3.

Ad Benedíćtus, *Ant.* 2. D. * Sint óculi tui apérti, Dómine, ſuper Domum hanc noćte ac die, ſuper Domum de qua dixíſti: Erit nomen meum ibi. 3. *Reg.* 8. 29.

Oratio.

Deus, qui nobis per ſíngulos annos hujus ſanćti Templi tui conſecratiónis réparas diem, & ſacris ſemper myſtériis, repræséntas incólumes; exaúdi preces pópuli tui; & præſta, ut quiſquis hoc Templum beneficia petitúrus ingréditur, cunćta ſe impetráſſe lætétur; Per Dóminum.

Ipſo die Dedicationis & per Oćtavam, loco præcedentis Orationis, dicitur ſequens

Oratio.

Deus, qui inviſibíliter ómnia cóntinens, pro ſalúte géneris humáni ſigna tuæ poténtiæ viſibíliter oſténdis, Templum hoc poténtiâ tuæ inhabitatiónis illúſtra; & concéde, ut omnes qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, conſolatiónis tuæ beneficia conſequántur; Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio Dominicæ, per Lećtionem Evangelii cum Homilia, Ant. ℣. & Orationem, ut in Proprio de Tempore.

AD PRIMAM.

Pſalmi de Dominica. Et ſic ad Tertiam, Sextam & Nonam.

Ant. 1. a. Quàm pulchra tabernácula tua, Jacob, & tentória tua, Iſraël! *Num.* 24. 5.

Capitulum. *Deut.* 12. 5. 6.

Ad locum quem elégerit Dóminus Deus veſter de cunćtis tríbubus veſtris, ut ponat nomen ſuum ibi, & hábitet in eo, veniétis, & offerétis in loco illo holocaúſta & víćtimas veſtras.

In ℟. *brevi.* ℣. Réſpice de Sanćtuário tuo. *Deut.* 26. 15.

Canon *proprius, ad calcem Breviarii.*

Cætera ut in Pſalterio, p. 18. & 19.

AD TERTIAM.

Ant. 7. *d.* Ergone credíbile eſt, ut hábitet Deus cum homínibus ſuper terram? 2. *Par.* 6. 18.

Capitulum. *Bar.* 3. 24. 25.

O Iſraël! quàm magna eſt Domus Dei & ingens locus poſſeſſiónis ejus! magnus eſt & non habet

finē, excélſus & imménſus.

℟. *breve.* Replébimur in bonis domûs tuæ, Dómine, * Allelúia, allelúia. ℟. Replébimur. ℣. Sanctum eſt Templum tuum, mirábile in æquitáte. * Allelúia. Glória. ℟. Replébimur. *Pſ.* 64. 5. 6.

℣. Inhabitábo in Tabernáculo tuo in ſécula; ℟. Prótegar in velaménto alárum tuárum. *Pſ.* 65. 5.

AD SEXTAM.

Ant. 3. *a.* Opus grande eſt; neque enim hómini præparátur habitátio, ſed Deo. 1. *Par.* 29. 1.

Capitulum. *Iſ.* 33. 20.

RESpice Sion civitátem ſolemnitátis noſtræ: óculi tui vidébunt Jerúſalem habitatiónem opuléntam, tabernáculum quod nequáquàm transférri póterit.

℟. *breve.* Quis aſcéndet in montem Dómini? * Allelúia, allelúia. ℟. Quis. ℣. Aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? * Allelúia. Glória. ℟. Quis. *Pſ.* 23. 3.

℣. Innocens mánibus & mundo corde, ℟. Hic accípiet benedictiónem à Dómino. *Pſ.* 23. 4. 5.

AD NONAM.

Ant. 2. D. Beáti omnes qui díligunt te, cívitas Dei, & qui gaudent ſuper pace tua! *Tob.* 13. 18.

Capitulum. *Apoc.* 21. 3.

ECce Tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis: & ipſi pópulus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis, erit eórum Deus.

℟. *breve.* Beáti qui hábitant in Domo tua, Dómine, * Allelúia, allelúia. ℟. Beáti. ℣. In sécula ſeculórum laudábunt te. * Allelúia. Glória. ℟. Beáti. *Pſ.* 83. 5.

℣. Introíbo in Domum tuam in holocaúſtis; ℟. Reddam tibi vota mea. *Pſ.* 65. 13.

AD VESPERAS.

In Pſ. 115. Crédidi, propter quod locútus ſum, *p.* 106.

Ant. 1. J. Habémus Domum non manufáctam ætérnam in cœlis. 2. *Cor.* 5. 1.

In Pſ. 121. Lætátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, *p.* 146.

Ant. 3. E. Structúra muri ejus ex lápide jáſpide: ipſa verò cívitas aurum mundum símile vitro mundo. *Apoc.* 21. 18.

In Pſ. 131. Meménto, Dómine, David, *p.* 107.

Ant. 5. a. In médio plateæ ejus, & ex utráque parte flúminis, lignum vitæ. *Apoc.* 22. 2.

In diviſ. Pſ. 131. Jurávit Dóminus David veritátem. *p.* 107.

Ant. 2. D. Dóminus Deus omnípotens Templum illíus eſt, & Agnus. *Apoc.* 21. 22.

In Pſ. 147. Lauda, Jerúſalem, Dóminum, *p.* 99.

Ant. 8. *G.* Omne male-

dictum non erit ámpliùs: ſed ſedes Dei & Agni in illa erunt, & ſervi ejus ſérvient illi. *Apoc.* 22. 3.

CAPITULUM. 2. *Petr.* 3. 14. 15.

PRopter quod, cariſſimi, hæc expectántes, ſatágite immaculáti & invioláti ei inveníri in pace; & Dómini noſtri longanimitátem ſalútem arbitrémini.

HYMNUS.

URbs beáta, vera pacis
Víſio, Jerúſalem,
Quanta ſurgit! celſa ſaxis
Cónditur vivéntibus:
Quæ polívit, hæc coáptat
Sédibus ſuis Deus.

Singulis ex margarítis
Síngulæ portæ nitent:
Murus omnis fulget auro;
Fulget uniónibus:
Anguláris petra Chriſtus
Fundat urbis mœnia.

Ejus eſt ſol cæſus Agnus,
Ejus eſt templum Deus:
Æmulántes hîc Beáti
Purióres Spíritus,
Laude jugi Numen unum
Térque Sanctum cóncinunt.

Undequaque ſunt apérta
Civitátis óſtia:
Quiſquis ambit huc veníre
Inferíque mœnibus,
Antè duris hîc probári
Débuit labóribus.

Sit perénnis laus Paréntì;
Sit perénnis Fílio;
Laus tibi, qui nectis ambos,
Sit perénnis, Spíritus;
Chriſma cujus nos inúngens,
Viva templa cónſecrat.
Amen.

℣. Glorióſa dicta ſunt de te, ℟. Civitas Dei. *Pſ.* 86. 3.

Ad Magnificat, *Ant.* 8. G. Illa quæ ſurſum eſt Jerúſalem, líbera eſt, quæ eſt mater noſtra. *Gal.* 4. 26.

Fit Commemoratio Diei Dominicæ.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 7. *d.* Domus Chriſti ſumus nos, ſi fidúciam & glóriam ſpei uſque ad finem, firmâ retineámus. *Hebr.* 3. 6.

Hymnus conveniens.

CAPITULUM. 2. *Cor.* 6. 16.

VOs eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quóniam inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos, & ero illórum Deus; & ipſi erunt mihi pópulus.

℟. *breve.* In manus, *p.* 159.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 1. D. Sancte Sanctórum, ómnium Dómine, conſérva in ætérnum impollútam Domum iſtam. 2. *Mach.* 14. 36.

DIEBUS INTRA OCTAV. ANNIVER. DEDICAT. ÆCCLESIÆ,

Quæ eſt ſecundi Ordinis.

Omnia ut in die, exceptis quæ ſequuntur.

Pſalmi de Feria.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium & Hymn. ut in die; ſed Invitatorium dicitur ritu ſimplici.

Tres Antiphonæ, ℣. & ℟℟℟. ex Officio diei, ut ſequitur. Feria II. & V. è I.

Nocturno. Feria III. & VI. è II. Nocturno. Feria IV. & Sabbato, è III. Nocturno. Nec dicitur ℣. Glória Patri, *nisì in fine ultimi* ℟. *cujusque Nocturni, quod reſumitur tantùm à Reclamatione.*

AD LAUDES MATUTINAS.

Ant. ſola. 2. D. Domus tua, Dómine, in ſanctificatióne tua permáneat; & omnes gentes agnóſcant, quia tu es Deus, & non eſt álius præter te. *Judith.* 9. 18. 19.

AD VESPERAS.

Ant. ſola. 3. c. Agátur dies Dedicatiónis Altáris in tempóribus ſuis, ab anno in annum, per dies octo. 1. *Mach.* 4. 59.

DIE SECUNDA
Intra Octavam.

De Libro Sapiéntiæ.

LECTIO II. *c.* 13. *v.* 1. *ad* 5.

VAni ſunt omnes hómines, in quibus non ſubeſt ſciéntia Dei, & de his quæ vidéntur bona, non potuérunt intellígere eum qui eſt, neque opéribus attendéntes agnovérunt quis eſſet ártifex: ſed aut ignem, aut ſpíritum, aut citátum áerem, aut gyrum ſtellárum, aut nímiam aquam, aut ſolem & lunam, rectóres orbis terrárum deos putavérunt. Quorum ſi ſpécie delectáti, deos putavérunt, ſciant quantò eis Dominátor eórum ſpecióſior eſt: ſpeciéi enim Generátor hæc ómnia conſtituit. Aut ſi virtútem & ópera eórum miráti ſunt, intélligant ab illis, quóniam qui hæc fecit, fórtior eſt illis: à magnitúdine enim ſpeciéi & creatúræ, cognoſcibíliter póterit Creátor horum vidéri.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 336. *in Dedic. Eccleſiæ.* n. 6.

LECTIO III.

CElébritas hujus congregatiónis, dedicátio eſt Domûs oratiónis. Domus ergo noſtrárum oratiónum, iſta eſt: Domus Dei, nos ipſi. Si Domus Dei nos ipſi, nos in hoc século ædificámur, ut in fine séculi dedicémur. Ædificium, imò ædificátio habet labórem: dedicátio, exultatiónem. Quod hîc fiébat, quando iſta ſurgébant, hoc fit modò, cùm congregántur credéntes in Chriſtū. Credéndo enim, quaſi de ſylvis & móntibus ligna & lápides præcidúntur: cùm verò catechizántur, baptizántur, formántur, tanquam inter manus fabrórum & opificum, dolántur, collineántur, complanántur. Verúmtamen Domū Dómini non fáciunt, nisì quando caritáte compaginántur. Ligna iſta & lápides, ſi non ſibi certo órdine cohærérent, ſi non ſe pacíficè innécterent, ſi non ſe ínvicem, cohæréndo ſibi, quodámmodo amárent, nemo huc intráret.

DIE TERTIA
Intra Octavam.
De libro Sapiéntiæ.
Lectio II. *c.* 13. *v.* 6. *ad* 10.

SEd tamen adhuc in his minor eſt queréla. Et hi enim fortáſſe errant, Deum quæréntes & voléntes inveníre. Etenim cùm in opéribus illíus converséntur, inquírunt: & perſuáſum habent quóniam bona ſunt quæ vidéntur. Iterùm autem nec his debet ignóſci. Si enim tantùm potuérunt ſcire, ut poſſent æſtimáre ſéculum: quómodo hujus Dóminum non facíliùs invenérunt? Infelíces autem ſunt, & inter mórtuos ſpes illórum, qui appellavérunt deos ópera mánuum hóminum, aurum & argéntum, artis inventióne, & ſimilitúdines animálium, aut lápidem inútilem opus manûs antíquæ.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.
Serm. 336. *in Dedic. Eccleſiæ.* n. 6.
Lectio III.

DUm novam conſtructiónem ſanctæ hujus Eccléſiæ libénter atténdimus quam divíno hómini hódie dedicámus, invenímus à nobis debéri, & Deo noſtro máximam laudem, & ſanctitáti veſtræ cóngruum de divínæ domûs ædificatióne ſermónem. Tunc autem ſermo noſter cóngruus erit, ſi in ſe áliquid ædificatiónis hábeat, quod utilitáti animárum veſtrárum, Deo vos intériùs ædificánte, profíciat. Quod hîc factum corporáliter vidémus in paríetibus, ſpirituáliter fiat in méntibus: & quod hîc perféctum cérnimus in lapídibus & lignis, hoc, ædificánte grátiâ Dei, perficiátur in corpóribus veſtris.

DIE QUARTA
Intra Octavam.
De Libro Sapiéntiæ.
Lectio II. *c.* 13. *v.* 11. *ad finem.*

SI quis ártifex faber de ſylva lignum rectum ſecúerit, & hujus doctè eradat omnem córticem, & arte ſuâ uſus, diligénter fabricet vas útile in converſatiónem vitæ, relíquiis autem ejus óperis ad præparatiónem eſcæ abutátur; & réliquum horum, quod ad nullos uſus facit, lignum curvum, & vorticibus plenum, ſculpat diligénter per vacuitátem ſuam, & per ſciéntiam ſuæ artis figúret illud, & aſſímilet illud imágini hóminis, aut alicui ex animálibus illud compáret, perlíniens rúbricâ, & rubicúndum fáciens fuco colórem illíus, & omnem máculam quæ in illo eſt, perlíniens; & fáciat ei dignam habitatiónem, & in paríete ponens illud, & confírmans ferro, ne fortè cadat, proſpíciens illi, ſciens quóniam non poteſt adjuváre ſe, imágo enim eſt, & opus eſt illi adjutórium; & de ſubſtántia ſua, & de fíliis ſuis, &

& de núptiis votum fáciens inquírit. Non erubéſcit loqui cum illo qui ſinè ánima eſt, & pro ſanitáte quidem infírmum deprecátur, & pro vita rogat mórtuum, & in adjutórium inútilem ínvocat, & pro itínere petit ab eo qui ambuláre non poteſt, & de acquiréndo, & de operándo, & de ómniũ rerum evéntu petit ab eo qui in ómnibus eſt inútilis.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 336. *in Dedic. Eccleſiæ.* n. 6.

LECTIO III.

GRátias agámus Dómino Deo noſtro, à quo eſt omne datum óptimum & omne donum perféctum; & ejus bonitátem totâ cordis alacritáte laudémus, quóniam ad conſtruéndam iſtam Domum oratiónis, fidélium ſuórum viſitávit ánimum, excitávit afféctum, ſurrogávit auxílium; inſpirávit necdum voléntibus ut vellent, adjúvit bonæ voluntátis conátus ut fácerent: ac per hoc Deus, qui operátur in ſuis, & velle & perfícere, pro bona voluntáte, hæc ómnia ipſe cœpit, ipſe perfécit. Et quia ópera bona in conſpéctu ſuo nunquam eſſe permíttit inánia, fidélibus ſuis, quibus operántibus præbuit virtútis ſuæ favórem, tríbuet condígnam pro tanta operatióne mercédem. Adhuc ámpliùs agéndæ ſunt grátiæ Deo noſtro: hanc enim Eccléſiam, quam fecit nómini ſuo cónſtrui, fecit étiam ſanctórum Mártyrum relíquiis ámpliùs honorári.

DIE QUINTA *Intra Octavam.*

De Libro Sapiéntiæ.

LECTIO II. *c.* 14. *v.* 1. *ad* 6.

ITerùm álius navigáre cógitans, & per feros fluctus iter fácere incípiens, ligno portánte ſe, fragílius lignum ínvocat. Illud enim cupíditas acquiréndi excogitávit, & ártifex ſapiéntiâ fabricávit ſuâ. Tua autem, Pater, providéntia gubérnat: quóniam dedíſti & in mari viam, & inter fluctus ſémitam firmíſſimã, oſténdens quóniam potens es ex ómnibus ſalváre, étiã ſi ſinè arte áliquis ádeat mare. Sed ut non eſſent vácua ſapiéntiæ tuæ ópera, propter hoc étiam & exíguo ligno credunt hómines ánimas ſuas, & tranſeúntes mare per ratem liberáti ſunt: ſed & ab inítio cùm períirent ſupérbi gigántes, ſpes orbis terrárum ad ratem confúgiens, remíſit ſéculo ſemen nativitátis, quæ manu tuâ erat gubernáta.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 337. *in Dedic. Eccleſiæ.* n. 2.

LECTIO III.

DUm cædúntur de móntibus lápides, & ligna de ſylvis, dum formántur, dolántur, coaptántur, labor

& cura eſt : cùm autem perféćti ædifícii dedicátio celebrátur, gaúdium & ſecúritas labóribus curíſque ſuccédunt. Sic étiam ædificátio ſpiritális, cujus habitátor Deus, non ad tempus, ſed in ætérnum erit. Dum ex infidéli vita hómines ſegregántur ad fidem, dum quidquid in eis non bonum atque pervérſum eſt, amputátur & cæditur, dum fiunt aptæ, pacíficæ, piǽque junćtúræ, quantæ tentatiónes timéntur, quantæ tribulatiónes ſuſtinéntur ? Cùm verò advénerit dies dedicatiónis Domûs ætérnæ, cùm dicétur nobis : Veníte, benedíćti Patris mei ; percípite regnum quod vobis parátum eſt ab inítio mundi ; quæ illa exultátio, quæ ſecúritas erit ? Cantábit cláritas, nec compungétur infírmitas.

DIE SEXTA

Intra Oćtavam.

De Libro Sapiéntiæ.

Lectio II. *c.* 14. *v.* 7. *ad* 14.

BEnedíćtum eſt lignum, per quod fit juſtítia : per manus autem quod fit idólum, maledíćtum eſt, & ipſum, & qui fecit illud : quia ille quidem operátus eſt : illud autem, cùm eſſet frágile, deus cognominátus eſt. Simíliter autem ódio ſunt Deo, ímpius & impíetas ejus. Etenim quod fаćtū eſt, cum illo qui fecit, torménta patiétur. Propter hoc & in idólis natiónum non erit reſpéćtus : quóniam creatúræ Dei in ódium fаćtæ ſunt, & in tentatiónem animábus hóminum, & in muſcípulam pédibus inſipiéntium. Inítium enim fornicatiónis eſt exquiſítio idolórum ; & adinvéntio illórum corrúptio vitæ eſt : neque enim erant ab inítio, neque erunt in perpétuum : ſupervacúitas enim hóminum advénit in orbem terrárum ; & ídeò brevis illórum finis eſt invéntus.

Sermo ſanćti Joánnis Chryſóſtomi.

Homilia 1. *in* Vidi Dóminum. n. 1.

Lectio III.

CUm ánimi divítias consídero in vobis augéſcere, gaúdeo ſemper, ut qui non fruſtrà ſeméntem jécerim, ut qui non incáſsùm labóres pertúlerim, ut qui in frugíferam pinguémque terram, & ad frućtificándum idóneam ſemen jécerim. Unde ígitur hoc lucrum fore conjéćto, unde perſpício ſermónes ad opus proficere ? nimírùm ex hoc concúrſu ; ex eo quòd Eccléſiam ómnium matrem ſtudióſè occupátis ; ex hac pernóćte perpetuáque ſtatióne, ex eo quòd Angelicórum Ordinum ſtatiónem imitántes, ſinè ceſſatióne laudes & hymnos offértis Conditóri. O mira Chriſti dona ! In supérnis exércitus Angelórum canunt glóriam : in terris hómines in Eccle-

ſiis choros agéntes, ad illórum exémplum éadem canunt laudis cántica. In ſupérnis Séraphim ter ſanctum illum hymnum clamant: in terris eúmdem hóminum promit multitúdo, communitérque, tum cœléſtium, tum terréſtrium feſtívus convéntus congregátur.

DIE SEPTIMA
Intra Octavam.
De Libro Sapiéntiæ.
LECTIO II. *c.* 14. *v.* 15. *ad* 21.

ACérbo luctu dolens pater, citò ſibi rapti fílii fecit imáginem: & illum, qui tunc quaſi homo mórtuus fúerat, nunc tanquam deum cólere cœpit, & conſtítuit inter ſervos ſuos ſacra & ſacrifícia. Deínde interveniénte témpore, convaleſcénte iníquâ conſuetúdine, hic error tanquam lex cuſtodítus eſt, & tyrannórum império colebántur figménta. Et hos quos in palàm hómines honoráre non póterant, propter hoc quòd longè eſſent, è longínquo figúrâ eórum allátâ, evidéntem imáginem regis, quem honoráre volébant, fecérunt: ut illum qui áberat, tanquam præséntem cólerent ſuâ ſollicitúdine. Provéxit autem ad horum cultúram & hos qui ignorábant, artíficis exímia diligéntia. Ille enim volens placére illi qui ſe aſsúmpſit, elaborávit arte ſuâ, ut ſimilitúdinem in méliùs figuráret. Multitúdo autem hóminum abdúcta per ſpéciem óperis, eum qui ante tempus tanquam homo honorátus fúerat, nunc deum æſtimavérunt. Et hæc fuit vitæ humánæ decéptio: quóniam, aut affectui, aut régibus deſerviéntes hómines, incommunicábile nomen lapídibus & lignis impoſuérunt.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.
Homil. 1. *in* Vidi Dóminum. *n.* 1.
LECTIO III.

NUlla res tantùm affert gaúdii vitæ noſtræ, quantùm hoc quòd ex ánimo gaudeátis in Eccléſia congregári. In Eccléſia, gaudéntium conſervátur gaúdium. In Eccléſia, ánimo dejectórum eſt recreátio. In Eccléſia, doléntium eſt volúptas. In Eccléſia, defatigatórum reſpirátio. In Eccléſia, laborántium réquies. Veníte enim, inquit, ad me, omnes qui laborátis & oneráti eſtis, & ego refíciam vos. Quid hâc voce poſſit eſſe deſiderabílius? Quid hâc invitatióne jucúndius? Ad épulum te vocat, qui in Eccléſiam te vocat Dóminus. Ad réquiem pro labóribus adhortátur, ad relaxatiónem à moléſtiis transfert, pondus peccatórum állevans: delíciis ánimi moléſtiam, gáudio mœrórem ſanat. O ineffábilem curam! ô vocatiónem cœléſtem!

Ad Vesperas, *omnia ut in I. Veſperis Feſti, ſervato ritu Duplici majore, cum Commemoratione Dominicæ occurrentis.*

OCTAVA DEDICAT. ECCLESIÆ.

Duplex majus.

Omnia ut in die, exceptis quæ ſequuntur, ſervato ritu Duplici majore.

Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Enarr. in Pſalm. 121. n. 4.

Lectio IV.

Jerúſalem quæ ædificátur ut cívitas. Fratres, quando dicébat iſta David, perfécta erat illa cívitas, non ædificabátur. Néſcio quam ergo civitátem dicit, quæ modò ædificátur, ad quam currunt in fide lápides vivi, de quibus dicit Petrus: Et vos, tanquam lápides vivi, coædificámini in Domum ſpiritálem, id eſt, Templum ſanctum Dei. Quid eſt, lápides vivi coædificámini? Vivis, ſi credis. Si autem credis, efficeris Templum Dei: quia dicit Apóſtolus Paulus: Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.

Lectio V.

Ipſa ergo modò cívitas ædificátur: præcidúntur de móntibus lápides per manus prædicántium veritátem, conquadrántur ut intrent in ſtructúram ſempitérnam. Adhuc multi lápides in mánibus artíficis ſunt: non cadant de mánibus artíficis, ut poſſint perfécti coædificári in ſtructúram templi. Eſt ergo iſta Jerúſalem quæ ædificátur ut cívitas: fundaméntum ipſíus Chriſtus eſt. Dicit Apóſtolus Paulus: Fundaméntũ enim áliud nemo poteſt pónere, præter id quod póſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.

Lectio VI.

Fundaméntum quando pónitur in terra, déſuper ædificántur parietes, & pondus paríetum ad ima tendit, quia in imo póſitum eſt fundaméntum. Si autem fundaméntum noſtrum in cœlo eſt, ad cœlum ædificémur. Córpora ædificavérunt iſtam ſtructúram, quam vidétis amplam ſurrexíſſe, hujus Basílicæ: & quia córpora ædificavérunt, fundaméntum in imo poſuérunt: quia verò ſpiritáliter ædificámur, fundaméntum noſtrum in ſummo póſitum eſt. Illuc ergo currámus, ubi ædificémur: quia de ipſa Jerúſalem dictum eſt: Stantes erant pedes noſtri in átriis Jerúſalem.

IN III. NOCTURNO.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Timótheum.

Lectio VII. *c.* 2. *v.* 1. *ad* 4.

Obſecro primùm ómnium fieri obſecratiónes, oratiónes, poſtulatió-

nes, gratiárum actiónes, pro ómnibus homínibus: pro régibus, & ómnibus qui in ſublimitáte ſunt, ut quiétam & tranquíllam vitam agámus, in omni pietáte & caſtitáte. Hoc enim bonum eſt, & accéptum coram Salvatóre noſtro Deo, qui omnes hómines vult ſalvos fieri, & ad agnitiónem veritátis veníre.

LECTIO VIII. *v. 5. ad 10.*

UNus enim Deus, unus & Mediátor Dei & hóminum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptiónem ſemetípſum pro ómnibus, teſtimónium tempóribus ſuis: in quo póſitus ſum ego prædicátor & Apóſtolus (veritátem dico, non méntior) doctor Géntium in fide & veritáte. Volo ergo viros oráre in omni loco, levántes puras manus ſinè ira & diſceptatióne; ſimíliter & mulíeres in hábitu ornáto, cum verecúndia & ſobrietáte ornántes ſe, & non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veſte pretióſa, ſed quod decet mulíeres, promitténtes pietátem per ópera bona.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO IX. *c. 10. v. 22. ad 29.*

Oves Chriſti.

FActa ſunt Encǽnia in Templo in Jeroſólymis; & Hiems erat. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbýteri.

Expoſ. in Evang. Joan. c. 10.

ENcǽnia vocabátur Solémnitas Dedicatiónis Templi, quam pópulus Dei ex antíqua patrum traditióne per annos ſingulos celebráre conſuéverat. Sed notándum eſt, quòd hæc Encǽnia quæ hîc legúntur, non ad primam Templi Dedicatiónem, ſed ad últimam pértinent: quod ex eo fácilè collígitur quia Híeme factâ referúntur. Prima ſiquidem ejúſdem Templi Dedicátio à Salomóne témpore Autúmni; ſecúnda autem à Zoróbabel & Jeſu Sacerdóte témpore Veris; tértia à Juda Machabǽo témpore Híemis eſt facta, quando ſpeciáliter conſtitútum eſſe légitur, ut éadem Dedicátio per omnes annos in memóriam ſolémnibus renovarétur officiis: quæ étiam ad tempus uſque Domínicæ Incarnatiónis obſerváta fuit, ſicut modò, cùm legerétur Evangélium, audívimus. Quæ étiam Dedicátio ſalúbri conſuetúdine in Eccléſiis Chriſti ſervári modérno témpore dignóſcitur.

Poſt Laudes, fit Commemoratio Dominicæ, per Lectionem Evangelii cum Homilia, Antiphonam, ℣. & Orationem, ut in Proprio de Tempore.

Ad Primam non dicitur Symbolum Quicúmque.

OFFICIUM BEATÆ MARIÆ IN SABBATO.

Officium ſequens dicitur ritu ſimplici omnibus Sabbatis non privilegiatis, nec impeditis Feſto ſimplici aut ſuprà, vel diebus intra Octavas etiam quarti Ordinis.

IN VESPERIS *Feriæ VI. præcedentis.*

CAPITULUM. *Gen.* 3. 15.

AIt Dóminus Deus ad ſerpéntem: Inimicítias ponam inter te & mulíerem, & ſemen tuum & ſemen illíus; ipſa cónteret caput tuum.

Hymnus.

DAVIDIS Sóboles, glória vírginum,
Chriſti, Virgo, Parens, te póſuit Deus,
Partu virgíneo, quæ malè súbdoli
Anguis contéreres caput.

REBUS princípium qui dedit ómnibus,
A te princípium ſumpſit Homo Deus:
Cunctis proſpíciens qui tríbuit cibos,
Paſtus lacte fuit tuo.

PER te quod múlier perdíderat vetus,
Humáno géneri rédditur aúctiùs:
Tu clauſas míſeris, heu! nímiùm diu,
Cœlórum réſeras fores.

QUI lucis pater eſt, glória ſit Patri;
Cujus Virgo Parens, glória Fílio;
Quo fecúnda, tibi, nexus amábilis,
Sit par glória, Spíritus.
Amen.

℣. Deus operátus eſt ſalútem in médio terræ: ℟. Tu confregíſti cápita dracónis. *Pſ.* 73. 12. 14.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. a. Benedíctus Dóminus qui exaltávit eam, & ſit regnum ejus in ſécula ſeculórum ſuper eam. *Tob.* 13. 23.

Oratio infrà ad Laudes Matutinas.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 2. D. Creávit Dóminus novum ſuper terram: Fémina circúmdabit virum. *Jer.* 31. 22.

Hymnus.

VIRGO Dei Génitrix, quem totus non capit orbis,
In tua ſe clauſit víſcera factus homo.
HINC méritò dicent te ſécula cuncta beátam.
Hinc pópuli Matrem, te Dominámque colunt.
SUSCIPE quos pia plebs tibi péndere certat honóres:
Annue, ſollícitâ quam prece poſcit, opem.

GLORIA magna Patri; compar ſit glória Nato;
Ambórum tibi par, Spíritus alme, decus.
Amen.

CAPITULUM. *Apoc.* 12. 1.

SIgnum magnum appáruit in cœlo: Múlier amícta ſole, & luna ſub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna ſtellárum duódecim.

℟. *breve.* In manus, *p.* 159.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 7. *d.* Non óccidet ultrà ſol tuus, & luna tua non minuétur; quia erit tibi Dóminus in lucem ſempitérnam. *Iſ.* 60. 20.

Oratio.

DEus, qui in caſto ſinu beátæ Vírginis Maríæ requiéſcere dignátus es, da nobis, ipsâ intercedénte, ut per noctem in te requieſcéntes, nullis ſpirituálium hóſtium illuſiónibus conturbémur; Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitáte Spíritûs ſancti, Deus; Per ómnia.

Hoc modo dicitur Completorium in omnibus Feſtis Beatæ Mariæ Virginis.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Jeſum de María natum, * Veníte, adorémus. *Matt.* 1. 16.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu ſimplici.*

HYMNUS.

O QUAM gloríficâ luce corúſcas,
Stirpis Davídicæ régia Proles,
Sublímis réſidens, Virgo María,
Supra cœlígenas ætheris omnes!

TU cum virgíneo mater honóre,
Cœlórum Dómino péctoris aulam
Sacris viſcéribus caſta dediſti:
Humános Deus hinc índuit artus,

QUEM cunctus vénerans orbis adórat,
Cui nunc ritè genu fléctitur omne,
A quo, te précibus ſubveniénte,
Ætérni pétimus gaúdia regni.

DIVINÆ Sóboli qui dare Matrem
In terris vóluit, glória Patri;
Cujus Virgo Parens, glória Nato;
Quo fecúnda, tibi glória, Flamen. Amen.

Pſalmi de Sabbato; & ſic in aliis Horis.

Ant. 1. g. Fecit mihi magna qui Potens eſt, & ſanctum nomen ejus. *Luc.* 1. 49.

Ant. 7. *d.* Qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo. *Eccli.* 24. 12.

Ant. 2. D. Uſque ad futúrum séculum non déſinam, & in habitatióne ſancta coram ipſo miniſtrávi. *Eccli.* 24. 14.

℣. In petra exaltávit me; ℟. Et nunc exaltávit caput meum. *Pſ.* 26. 6.

CAPITULUM. *Gal.* 4. 4.

UBi venit plenitúdo témporis, miſit Deus Fílium ſuum, factum ex muliére, factum ſub lege.

℟. *breve.* Adducéntur Regi * Vírgines poſt eam. ℟. Adducéntur. ℣. Próximæ ejus afferéntur tibi. * Vírgines. Glória. ℟. Adducéntur. *Pſ.* 44. 15.

℣. Dóminus virtútum nobíſcum; ℟. Suſcéptor noſter Deus Jacob. *Pſ.* 45. 12.

Hoc Officium abſolvitur poſt Nonam.

LECTIONES SEQUENTES dicuntur ſingulis menſibus in Officio B. Mariæ in Sabbato.

MENSE SEPTEMBRI.

Sermo Sancti Leónis Papæ.

Epiſt. 27. *ad Pulcher. Auguſt.*

LECTIO III.

SAcraméntum reconciliatiónis noſtræ ante témpora ætérna diſpóſitum, nullæ implébant figúræ: quia nondum ſupervénerat Spíritus ſanctus in Vírginem, nec virtus Altiſſimi obumbráverat ei; ut & intra intemeráta víſcera, ædificánte ſibi Sapiéntiâ domum, Verbum caro fieret, & formâ Dei ac formâ ſervi in unam conveniénte persónâ, Creátor témporum naſcerétur in témpore; & per quem facta ſunt ómnia, ipſe inter ómnia gignerétur. Niſi enim novus homo, factus in ſimilitúdinem carnis peccáti, noſtram ſuſcíperet vetuſtátem; & conſubſtantiális Patri, conſubſtantiális eſſe dignarétur & Matri, naturámque ſibi noſtram ſolus à peccáto liber uníret, ſub jugo diáboli generáliter tenerétur humána captívitas.

MENSE OCTOBRI.

Sermo ſancti Procli Epíſcopi.

Homil. de Domini noſtri J. C. Nativ. n. 1.

LECTIO III.

SAcra Deípara María illibátæ virginitátis purus eſt ille theſaúrus, decúſque & ornaméntum. Hæc ſpirituális ſecúndi Adã paradíſus. Hæc thálamus in quo Verbum humánam carnem ſibi deſponsávit. Hæc animátus natúræ rubus, quem divíni partûs ignis non combúſſit. Hæc verè levis illa nubes, quæ ſuper Chérubim ſedéntem in córpore ſuo geſtávit. Hæc vellus mundiſſimum cœléſti plúviâ madens, ex quo Paſtor ovem índuit.

MENSE NOVEMBRI.

Sermo ſancti Gregórii Papæ.

Lib. 18. *Moral. Cap.* 28. n. 36.

LECTIO III.

MEdiátor Dei atque hóminum Homo Chriſtus Jeſus, non ſicut quidam hæréticus déſipit, alter in humanitáte, alter in deitáte eſt. Non purus homo concéptus atque éditus, poſt, per méritum, ut Deus eſſet, accépit: ſed nuntiánte An-

gelo, & adveniénte Spíritu, mox Verbum in útero, mox intra úterum Verbum caro, & manénte incommutábili eſséntiâ, quæ ei eſt cum Patre & cum ſancto Spíritu coætérna, aſsúmpſit intra virgínea víſcera, unde & impaſsibilis pati, & immortális mori, & ætérnus ante ſécula, temporális poſſet eſſe in fine ſeculórum: ut per ineffábile ſacraméntum, concéptu ſancto, & partu inviolábili, ſecúndùm veritátem utriúſque natúræ, éadem virgo, & ancílla Dómini eſſet, & mater.

MENSE DECEMBRI.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Super Miſſus eſt, *Homil.* 1. n. 5.

LECTIO III.

QUæ eſt hæc Virgo tam venerábilis, ut ſalutétur ab Angelo, tam húmilis, ut deſponsáta ſit fabro? Pulchra permíxtio virginitátis & humilitátis: nec mediócriter placet Deo illa ánima, in qua, & humílitas comméndat virginitátem, & virgínitas exórnat humilitátem. Sed quantâ putas veneratióne digna eſt, in qua humilitátem exáltat fecúnditas, & partus cónſecrat virginitátem? Audis vírginem, audis húmilem: ſi non potes virginitátem húmilis, imitáre humilitátem vírginis. Laudábilis virtus virginitátis, ſed magìs neceſsária humílitas.

OFFICIUM PARVUM BEATÆ MARIÆ.

Singulæ Horæ hujus Officii dicuntur hoc modo: Veſperæ & Completorium, ante Veſperas Officii diei: Officium verò Nocturnum cum cæteris Horis poſt Laudes Matutinas Officii diei.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Jeſum de María natum, * Veníte, adorémus. *Matt.* 1. 16.

Pſalmus. Veníte, *p.* 2. *ritu ſimplici,*

Hymnus. O quàm gloríficâ luce corúſcas, *p.* ciij.

IN I. NOCTURNO.

FERIA II. ET V.

Ant. ſola. 1. g. Fecit.

Pſalmus 18. Cœli enárrant, *p.* 37.

Diviſio Pſalmi 18. Lex Dómini, *p.* 38.

Pſalmus 47. Magnus Dóminus, *p.* 134.

Ant. Fecit mihi magna qui Potens eſt, & ſanctum nomen ejus. *Luc.* 1. 49.

℣. In ſole póſuit tabernáculum ſuum; ℟. Et ipſe tanquam ſponſus procédens de thálamo ſuo. *Pſ.* 18. 6.

Pater noſter.

Benedictiones, Lectiones, & ℟℟℟. ut infrà.

IN II. NOCTURNO.

Feria III. et VI.

Ant. ſola. 7. *d.* Qui creávit me.

Pſalmus 44. Eructávit cor meum, *p.* 92.

Diviſio Pſalmi 44. Audi, fília, & vide, *p.* 93.

Pſalmus 84. Benedixíſti, Dómine, *p.* 96.

Ant. Qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo. *Eccli.* 24. 12.

℣. In petra exaltávit me; ℟. Et nunc exaltávit caput meum. *Pſ.* 26. 6.

Pater noſter.

Benedictiones, Lectiones, & ℟℟℟. ut infrà.

IN III. NOCTURNO.

Feria IV. et Sabbato.

Ant. ſola. 2. D. Uſque.

Pſalmus 86. Fundaménta ejus, *p.* 135.

Pſalmus 96. Dóminus regnávit, exúltet terra, *p.* 45.

Pſalmus 97. Cantáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília, *p.* 98.

Ant. Uſque ad futúrum séculum non déſinam, & in habitatióne ſancta corã ipſo miniſtrávi. *Eccli.* 24. 14.

℣. Vidérunt omnes términi terræ. ℟. Salutáre Dei noſtri. *Pſ.* 97. 3.

Pater noſter.

Benedictiones. Exúltet, &c. Nobíſcum, &c. Invocet, &c. *Poſt Pſalterium, p.* 161.

De Iſaía Prophéta.

Lectio I. *c.* 7. *v.* 10. *ad* 14.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi ſignum à Dómino Deo tuo in profúndum inférni, ſive in excélſum ſuprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, domus David: Numquid parùm vobis eſt moléſtos eſſe homínibus, quia moléſti eſtis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo concípiet & páriet Fílium, & vocábitur nomen ejus Emmánuël. Tu autem.

℟. *j.* Ecce Virgo concípiet & páriet Fílium; * Et vocábitur nomen ejus Emmánuël. *Iſ.* 7. 14. ℣. Hic erit magnus, Et Fílius Altíſſimi vocábitur. *Luc.* 1. 32. * Et vocábitur.

De Epiſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Gálatas.

Lectio II. *c.* 4. *v.* 1. *ad* 5.

QUanto témpore hæres párvulus eſt, nihil differt à ſervo, cùm ſit dóminus ómnium: ſed ſub tutóribus & actóribus eſt, uſque ad præfinítum tempus à patre. Ità & nos, cùm eſſémus párvuli, ſub elementis mundi erámus ſerviéntes. At ubi venit plenitúdo témporis, miſit Deus Fílium ſuum, factum ex mulíere,

factum ſub Lege, ut eos qui ſub Lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus. Tu autem.

℟. *ij.* Jurávit Dóminus David veritátem, & non fruſtrábitur eam: * De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. *Pſ.* 131. 11. ℣. María invénta eſt in útero habens de Spíritu ſancto. *Matt.* 1. 18. * De fructu.

De Libro Apocalýpſis beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio III. *c.* 11. *v.* 19. *ad finem. & c.* 12. *v.* 1.

APértum eſt templum Dei in cœlo; & viſa eſt Arca teſtaménti ejus in templo ejus: & facta ſunt fúlgura, & voces, & terræ motus, & grando magna. Et ſignum magnum appáruit in cœlo: Múlier amícta ſole, & luna ſub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna ſtellárum duódecim. Tu autem.

℟. *iij.* Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi; juſtítia & pax oſculátæ ſunt: * Véritas de terra orta eſt, & juſtítia de cœlo proſpéxit. *Pſ.* 84. 11. 12. ℣. De María natus eſt Jeſus, qui vocátur Chriſtus. *Matt.* 1. 16. * Véritas. Glória. * Véritas.

Non dicitur Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis* Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes; ℟. Terra dedit fructum ſuum. *Pſ. 66. 6. 7.*

Ant. ſola. 3. *à.* In omni.

Pſalmus 66. Deus miſereátur noſtrì, *p.* 134.

Pſalmus 92. Dóminus regnávit; decórem indútus eſt, *p.* 11.

Pſalmus 99. Jubiláte Deo, omnis terra, * ſervíte, *p.* 11.

Canticum Judith. *c.* 13. *v.* 17. *ad* 18.

Carmen triumphale propter victum ſalutis hoſtem.

LAudáte Dóminum Deum noſtrum, * qui non deſéruit ſperántes in ſe:

Et in me ancíllâ ſuâ adimplevit miſericórdiam ſuam, * quam promíſit dómui Iſraël:

Et interfécit in manu mea * hoſtem pópuli ſui.

Pſalmus 150. Laudáte Dóminum in ſanctis ejus, *p.* 12.

Ant. In omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur ſuper te Deus Iſraël. *Judith.* 13. 31.

Capitulum. *Cant. 6. 9.*

PRogréditur quaſi auróra conſúrgens, pulchra ut luna, elécta ut ſol, terríbilis ut caſtrórum ácies ordináta.

Hymnus. Nunc auróra novæ núntia lucis, *p.* civ.

℣. Veníte, & vidéte ópera Dómini, ℟. Quæ póſuit prodígia ſuper terram. *Pſ.* 45. 9.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D. Beáta, quæ credidíſti, quóniam perficiéntur ea quæ dicta ſunt tibi à Dómino! *Luc.* 1. 45.

Oratio.

DEus, qui in beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntián-

te, carnem ſuſcípere voluíſti; præſta ſupplícibus tuis, ut qui verè eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercesſiónibus adjuvémur; Per eúmdem.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

MEMENTO, de Deo Deus,
Quò l Matre natus Vírgine,
Noſtrî miſértus, pérditi
Mundi Redémptor véneris.

Et nos, Dei Virgo Parens,
Vultu benigno réſpice:
Placábilem tuâ prece
Fac eſſe nobis Filium.

Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempitérna sécula.
Amen.

Ant. 1. g. Venit.

Pſalmus 45. Deus noſter, refúgium & virtus, *p.* 93.

Pſalmus 71. Deus, judícium tuum regi da, *p.* 97. *factâ diviſione ad verſiculum* Coram illo prócident.

Ant. Venit lumen tuum, & glória Dómini ſuper te orta eſt. *Iſ.* 60. 1.

CAPITULUM. 2. *Reg.* 23. 4.

SIcut lux auróræ oriénte ſole, manè abſque núbibus rútilat.

℟. *breve.* Recordátus eſt Dóminus * Miſericórdiæ ſuæ. ℟. Recordátus. ℣. Et veritátis ſuæ dómui Iſraël. * Miſericórdiæ. Glória. ℟. Recordátus. *Pſ.* 97. 3.

℣. Adjuvábit eam Deus, ℟. Manè dilúculo. *Pſ.* 45. 6.

Oratio.

PRótege, Dómine, fámulos tuos ſubſídiis pacis; & beátæ Maríæ ſemper Vírginis patrocíniis confidéntes, à cunctis hóſtibus & perículis redde ſecúros; Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Hymnus. Meménto, de Deo Deus, *ſuprà ad Primam.*

Ant. 3. c. In ómnia.

Pſalmus 115. Crédidi; propter quòd, *p.* 106.

Pſalmus 116. Laudáte Dóminum, omnes gentes, *p.* 138.

Pſalmus 129. Ad Dóminum, cùm tribulárer, clamávi, *p.* 68.

Ant. In ómnia sécula ſeculórum luce ſplendidâ fulgébis. *Tob.* 13. 12. 13.

CAPITULUM. *Cant.* 6. 8.

VIdérunt eam fíliæ, & beatíſſimam prædicavérunt.

℟. *breve.* Vultum tuum * Deprecabúntur. ℟. Vultum. ℣. Omnes dívites plebis. * Deprecabúntur. Glória. ℟. Vultum. *Pſ.* 44. 13.

℣. Concupíſcet Rex decórem tuum; ℟. Quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus. *Pſ.* 44. 12.

Oratio.

DEus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúndâ, humáno géneri prǽmia præſtitíſti; tríbue, quǽſumus, ut ipſam pro nobis intercédere ſentiámus, per quam mé-

rúimus Autórem vitæ ſuſcípere, Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuũ, qui tecum, &c.

AD SEXTAM.

Hymnus. Meménto, *ſuprà ad Primam.*

Ant. 8. c. Benedícta.

Pſalmus 120. Levávi óculos meos, *p.* 69.

Pſalmus 122. Ad te levávi óculos meos, *p.* 88.

Pſalmus 123. Niſì quia Dóminus erat, *p.* 69.

Ant. Benedícta es tu filia à Dómino Deo excélſo, præ ómnibus muliéribus ſuper terram. *Judith.* 13. 23.

CAPITULUM. *Apoc.* 12. 5.

MUlier péperit filium máſculum, qui rectúrus erat omnes gentes.

℟. *breve.* Homo * Natus eſt in ea. ℟. Homo. ℣. Et ipſe fundávit eam Altíſſimus. * Natus. Glória. ℟. Homo. *Pſ.* 86. 5.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131. 13.

Oratio.

COrdibus noſtris, quǽſumus, Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde; & intercedénte ſanctiſſimâ Dei Genitríce Maríâ, córpora noſtra caſtitáte, & mentes noſtras humilitáte & caritáte ſanctífica; Per eúmdem.

AD NONAM.

Hymnus. Meménto, *ſuprà ad Primam.*

Ant. 7. d. Non recédat.

Pſalmus 124. Qui confidunt in Dómino, *p.* 69.

Pſalmus 125. In convertèndo Dóminus, *p.* 106.

Pſalmus 127. Beáti omnes qui timent, *p.* 106.

Ant. Non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum. *Judith.* 13. 25.

CAPITULUM. *Gal.* 4. 4.

UBi venit plenitúdo témporis, miſit Deus Fíliũ ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege.

℟. *breve.* Adducéntur Regi * Vírgines poſt eam. ℟. Adducéntur. ℣. Próximæ ejus afferéntur tibi. * Vírgines. Glória. ℟. Adducéntur. *Pſ.* 44. 15.

℣. Dóminus virtútum nobiſcum; ℟. Suſcéptor noſter Deus Jacob. *Pſ.* 45. 12.

Oratio.

FAmulórum tuórũ, quǽſumus, Dómine, delíctis ignóſce, ut qui tibi placére de áctibus noſtris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini noſtri interceſſióne ſalvémur; Per eúmdem.

AD VESPERAS.

Ant. ſola. 7. *d.* Benedíctus.

Pſalmus 109. Dixit Dóminus, *p.* 26.

Pſalmus 112. Laudáte, púeri, *p.* 27.

Pſalmus 121. Lætátus ſum, *p.* 146.

Pſalmus 126. Niſì Dóminus ædificáverit, *p.* 70.

Pſalmus 147. Lauda, Jerúſalem, *p.* 99.

Ant. Benedíctus Dómi-

nus qui creávit cœlum & terram, qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum noſtrorũ. *Judith.* 13. 24.

Capitulum. *Gen.* 3. 15.

Ait Dóminus Deus ad ſerpéntem: Inimicítias ponam inter te & mulíerem, & ſemen tuum & ſemen illíus; ipſa cónteret caput tuum.

Hymnus.

Ave, maris ſtella,
Dei Mater alma,
Atque ſemper Virgo,
Felix cœli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cœcis,
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.

Monstra te eſſe matrem;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit eſſe tuus.

Virgo ſinguláris
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolútos,
Mites fac & caſtos.

Vitam præſta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Jeſum,
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Chriſto decus,
Spirítui ſancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Deus operátus eſt ſalútem in médio terræ; ℟. Tu confregíſti cápita dracónis. *Pſ.* 73. 12. 14.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. 2. Benedíctus Dóminus, qui exaltávit eam, & ſit regnum ejus in sécula ſeculórum ſuper eam. *Tob.* 13. 23.

Oratio.

Concéde nos fámulos tuos, quæſumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis ſanitáte gaudére; & glorióſa beátæ Maríæ ſemper Vírginis intercеſſióne, à præsénti liberári triſtítia, & æternâ pérfrui lætítiâ; Per Dóminum.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 2. D. Creávit.

Pſalmus 128. Sæpè expugnavérunt me, *p.* 115.

Pſalmus 129. De profúndis clamávi, *p.* 126.

Pſalmus 130 Dómine, non eſt exaltátum, *p.* 88.

Ant. Creávit Dóminus novum ſuper terram: Fémina circúmdabit virũ. *Jer.* 31. 22.

Hymnus. Virgo Dei Génitrix, *p.* cij.

Capitulum. *Apoc.* 12. 1.

Signum magnum appáruit in cœlo: Múlier amícta ſole, & luna ſub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna ſtellárum duódecim.

℣. Adſtitit Regína à dextris tuis, Deus. ℟. In veſtítu deauráto. *Pſ.* 44. 10.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 7. *d.* Non óccidet ultrà ſol tuus, & luna tua non minuétur; quia erit tibi Dóminus in lucem ſempitérnam. *Iſ.* 60. 20.

Oratio.

BEátæ & glorióſæ ſempérque Virginis Maríæ, quǽſumus, Dómine, intercéſſio glorióſa nos prótegat, & ad vitam perdúcat ætérnam; Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíſcum;
℟. Et cum ſpíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino;
℟. Deo grátias.

PSALMI PŒNITENTIALES.

Pſalmus 6. Dómine, ne in furóre tuo árguas me, *p.* 50.

Glória Patri, &c. *& dicitur in fine cujuſque Pſalmi.*

Pſalmus 31. Beáti quorum remíſſæ ſunt iniquitátes, *p.* 91.

Pſalmus 37. Dómine, ne in furóre tuo árguas me, *p.* 128.

Pſalmus 50. Miſerére meî, Deus, * ſecúndùm, *p.* 149.

Pſalmus 101. Dómine, exaúdi oratiónem meam, *p.* 34.

Pſalmus 129. De profúndis clamávi ad te, Dómine, *p.* 126.

Pſalmus 142. Dómine, exaúdi oratiónem meam, aúribus pércipe, *p.* 132.

Ant. Dómine, memor eſto meî, & ne vindíctam ſumas de peccátis meis, neque reminiſcáris delícta mea, vel paréntum meórum. *Tob.* 3. 3.

LITANIÆ.

KYrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon.
Chriſte, audi nos.
Chriſte, exaúdi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerére nobis.
Fili Redémptor mundi Deus, Miſerére nobis.
Spíritus ſancte Deus, Miſerére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, Miſerére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora.
Sancte Míchaël, ora.
Sancte Gábriël, ora.
Sancte Ráphaël, ora.
Omnes ſancti Angeli & Archángeli, oráte pro nobis.
Omnes ſancti beatórum Spirítuum órdines, oráte.
Sancte Joánnes Baptíſta, ora.
Omnes ſancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte pro nobis.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, (*Zeb.*) ora.
Sancte Joánnes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomǽe, ora.
Sancte Matthǽe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadǽe, ora.
Sancte Matthía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.

Omnes ſancti Apóſtoli & Evangeliſtæ, oráte.
Omnes ſancti Diſcípuli Dómini, oráte.
Omnes ſancti Innocéntes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Fabiáne, ora.
Sancte Lauréntí, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Sebaſtiáne, ora.
Sancti Donatiáne & Rogatiáne, oráte.
Sancte Gohárde cum sóciis tuis, ora.
Sancte Dionýſi cum sóciis tuis, ora.
Sancte Mauríci cum sóciis tuis, ora.
Sancti Joánnes & Paule, oráte pro nobis.
Sancti Coſma & Damiáne, oráte pro nobis.
Omnes ſancti Mártyres, orát.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Ambróſi, ora.
Sancte Auguſtíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Athanáſi, ora.
Sancte Basíli, ora.
Sancte Gregóri Nazianzéne, ora.
Sancte Joánnes Chryſóſtome, ora.
Sancte Hilári, ora.
Sancte Bernárde, ora.
Omnes ſancti Doctóres, oráte pro nobis.
Sancte Clare, ora.
Sancte Similiáne, ora.
Sancte Felix, ora.
Sancte Paſchári, ora.
Sancte Gatiáne, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Remígi, ora.
Sancte Martiális, ora.
Sancte Cárole, ora.
Sancte Franciſce, (*Sal.*) ora.
Omnes ſancti Pontífices, oráte pro nobis.
Sancte Yvo, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Friárde, ora.
Sancte Hervǽe, ora.
Sancte Gildáſi, ora.
Sancte Martíne, (*Abb.*) ora.
Sancte Hermelánde, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Francíſce, ora.
Sancte Ludovíce, ora.
Sancte Roche, ora.
Omnes ſancti Sacerdótes & Levítæ, oráte.
Omnes ſancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Omnes ſancti Juſti, oráte.
Sancta Anna, ora.
Sancta María Magdaléne, ora pro nobis.
Sancta Thecla, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Anaſtáſia, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Clotíldis, ora.
Sancta María Ægýptia, ora pro nobis.
Omnes ſanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercédite pro nobis.
Propítius eſto, Parce nobis, Dómine.
Propítius eſto, Exaúdi nos, Dómine.

Ab omni malo, Líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera.
Ab immúndis cogitatióni-bus, líbera.
Ab ira, & ódio, & omni mala voluntáte, líbera.
A fúlgure & tempeſtáte, líbera nos, Dómine.
A ſubitánea & improvíſa morte, líbera.
A morte perpétua, líbera.
Per myſtérium ſanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per Nativitátem tuam, líbera nos, Dómine.
Per Baptíſmum & ſanctum Jejúnium tuum, líbera.
Per Crucem & Paſſiónem tuam, líbera.
Per Mortem & Sepultúram tuam, líbera.
Per ſanctam Reſurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Aſcenſiónem tuam, líbera.
Per advéntum Spíritûs ſancti Paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, Te rogámus, audi nos.
Ut compunctiónem cordis, fontémque lacrymárum nobis dones, Te rogámus.
Ut remiſſiónem peccatórum noſtrórum nobis dones, Te rogámus.
Ut fidem, ſpem & caritátem nobis dones, Te rog.
Ut Eccléſiam tuam ſanctam régere & conſerváre dignéris, Te rogámus.
Ut domnum Apoſtólicum, & omnes gradus Eccléſiæ in ſancta Religióne conſerváre dignéris, Te rog.
Ut Antíſtitem noſtrum, & omnes congregatiónes illi commíſſas in tuo ſancto obſéquio conſerváre dignéris, Te rogámus.
Ut Regem noſtrum cuſtodíre dignéris, Te rogámus.
Ut inimícos ſanctæ Eccléſiæ humiliáre dignéris, Te rogámus.
Ut Régibus & Princípibus Chriſtiánis pacem & concórdiam donáre dignéris, Te rogámus.
Ut cuncto pópulo Chriſtiáno pacem & unitátem largíri dignéris, Te rog.
Ut noſmetípſos in tuo ſancto ſervítio confortáre & conſerváre dignéris, Te rogámus.
Ut mentes noſtras ad cœléſtia deſidéria érigas, Te rogámus.
Ut ómnibus benefactóribus noſtris ſempitérna bona retríbuas, Te rogámus.
Ut ánimas noſtras, fratrum, propinquórum, & benefactórum noſtrórum ab ætérna damnatióne erípias, Te rogámus.
Ut fructus terræ dare & conſerváre dignéris, Te rog.
Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre dignéris, Te rog.
Ut nos exaudíre dignéris, Te rogámus.

Fili Dei, Te rogámus.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exaúdi nos, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miſerére nobis.

Kýrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon.

Pater, &c. *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine, ne memíneris iniquitátum noſtrárum antiquárum; ℟. Citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ; quia paúperes facti ſumus nimis. *Pſ.* 78. 8.

℣. Adjuva nos, Deus ſalutáris noſter, & propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos; ℟. Et propítius eſto peccátis noſtris propter nomen tuum. *Pſ.* 78. 6.

℣. Orémus pro Paſtóre noſtro *N.* ℟. Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum. *Pſ.* 40. 3.

℣. Dómine, ſalvum fac Regem; ℟. Et exaúdi nos in die quâ invocavérimus te. *Pſ.* 19. 10.

℣. Orémus pro benefactóribus noſtris. ℟. Exaúdi de cœlo, Dómine; & dimítte peccáta ſervis tuis. 2. *Paral.* 6. 27.

℣. Pro frátribus noſtris abséntibus. ℟. Rege eos, & extólle illos uſque in ætérnum. *Pſ.* 27. 9.

℣. Pro infírmis, afflíctis & captívis. ℟. Líbera, Deus, Iſraël ex ómnibus tribulatiónibus ſuis. *Pſ.* 24. 22.

℣. Pro cunctis fidélibus defúnctis. ℟. Convértere, Dómine, úſquequò? & deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſ.* 89. 13.

℣. Memor eſto congregatiónis tuæ, ℟. Quam poſſedíſti ab inítio. *Pſ.* 73. 2.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper & párcere, ſúſcipe deprecatiónem noſtram; ut nos, & omnes fámulos tuos quos delictórum caténa conſtríngit, miſerátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

EXaúdi, quæſumus, Dómine, ſúpplicum preces, & confiténtium tibi parce peccátis; ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus & pacem.

INeffábilem nobis, Dómine, miſericórdiam tuam cleménter oſténde; ut ſimul nos & à peccátis ómnibus éxuas, & à pœnis quas pro his merémur, erípias.

DEus, qui culpas delinquéntium diſtríctè feriéndo pércutis, fletus quoque lugéntium non recúſes; ut qui pondus tuæ animad-

verſiónis cognóvimus, pietátis tuæ grátiam ſentiámus.

OMnípotens ſempitérne Deus, miſerére fámulo tuo Pontífici noſtro *N.* & dírige eum ſecúndùm tuam cleméntiam in viam ſalútis ætérnæ; ut, te donánte, tibi plácita cúpiat, & totâ virtúte perfíciat.

QUǽſumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noſter *N.* qui tuâ miſeratióne ſuſcépit regni gubernácula, virtútum étiam ómniũ percípiat increménta; quibus decénter ornátus, vitiórum monſtra devitáre, hoſtes ſuperáre, & ad te, qui via, véritas & vita es, gratióſus váleat perveníre.

DEus, à quo ſancta deſidéria, recta consília, & juſta ſunt ópera; da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem; ut, & corda noſtra mandátis tuis dédita, & hóſtium ſublátâ formídine, témpora ſint tuâ protectióne tranquílla.

URe igne ſancti Spíritûs renes noſtros, & cor noſtrum, Dómine; ut tibi caſto córpore ſerviámus, & mundo corde placeámus.

ACtiónes noſtras, quǽſumus, Dómine, aſpirándo prǽveni, & adjuvándo proſéquere; ut cuncta noſtra orátio & operátio à te ſemper incípiat, & per te cœpta finiátur.

FIdélium, Deus, ómnium Cónditor & Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remiſſiónem cunctórũ tribue peccatórum; ut indulgéntiam quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequántur.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui vivórum domináris ſimul & mortuórum, omniúmque miſeréris quos tuos fide & ópere futúros eſſe prænóſcis; te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quóſque vel præſens ſéculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore ſuſcépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntiâ, ómnium delictórum ſuórum véniam conſequántur; Per Dóminum noſtrum.

℣. Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

ORDO

COMMENDATIONIS ANIMÆ

ANTE DECESSUM.

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.

KYrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon.
Sancta María, Ora pro eo, (*vel* ea.)
Omnes ſancti Angeli & Archángeli, Oráte pro eo, (*vel* ea.)
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Juſtórum, oráte.
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joánnes Baptíſta, ora.
Omnes ſancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Omnes ſancti Apóſtoli & Evangeliſtæ, oráte.
Omnes ſancti Innocéntes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Lauréntí, ora.
Sancti Donatiáne & Rogatiáne, oráte.
Omnes ſancti Mártyres, oráte.
Sancte Clare, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Yvo, ora.
Omnes ſancti Pontífices & Sacerdótes, oráte.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Friárde, ora.
Sancte Francíſce, ora.
Omnes ſancti Mónachi, oráte.
Sancta María Magdaléne, ora.
Sancta Thecla, ora.
Sancta Genovéfa, ora.
Omnes ſanctæ Vírgines & Víduæ, oráte pro eo, (*vel* ea.)
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, oráte.
Propítius eſto, Parce ei, Dómine.
Ab ira tua, Líbera eum, (*vel* eam,) Dómine.
A mala morte, líbera.
A poteſtáte diáboli, líbera.
A pœnis inférni, líbera.
Per Nativitátem tuam, líbera eum, (*vel* eam,) Dómine.
Per Crucem & Paſſiónem tuam, líbera.
Per Mortem & Sepultúram tuam, líbera.
Per glorióſam Reſurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Aſcenſiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritûs ſancti Paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ei parcas, Te rogámus, audi nos.

Kyrie, eléiſon.
Chriſte, eléiſon.
Kyrie, eléiſon.

Deinde, cùm in agone ſui exitûs anxiatur anima, dicitur:

PRoficíſcere, ánima Chriſtiána, de hoc mundo, in nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit; in nómine Jeſu Chriſti Fílii Dei vivi, qui pro te paſſus eſt; in nómine Spíritûs ſancti, qui in te effúſus eſt; in nómine Angelórum & Archangelórum; in nómine Thronórum & Dominatiónum; in nómine Principátuum & Poteſtátum; in nómine Chérubim & Séraphim; in nómine Patriarchárum & Prophetárum; in nómine ſanctórum Apoſtolórum & Evangeliſtárum; in nómine ſanctórum Mártyrum & Pontíficum; in nómine ſanctórum Sacerdótum & Monachórum; in nómine ſanctárum Vírginum, & ómnium Sanctórum & Sanctárum Dei. Hódie ſit in pace locus tuus, & habitátio tua in ſancta Sion; Per eúmdem Chriſtum Dóminum noſtrũ. ℟. Amen.

Orémus.

DEus miséricors, Deus clemens, Deus, qui ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum peccáta pœniténtium deles, & præteritórum críminum culpas véniâ remiſſiónis evácuas; réſpice propítius ſuper hunc fámulum tuum (*vel* hanc fámulam tuam) *N.* & remiſſiónem ómnium peccatórum ſuórum totâ cordis confeſſióne poſcéntem deprecátus exaúdi. Rénova in eo, (*vel* ea,) piiſſime Pater, quidquid terrénâ fragilitáte corrúptum, vel quidquid diabólicâ fraude violátum eſt: & unitáti córporis Eccléſiæ membrum redemptiónis annécte. Miſerére, Dómine, gemítuum, miſerére lacrymárum ejus; & non habéntem fidúciam, niſi in miſericórdia tua, ad tuæ Sacraméntum reconciliatiónis admítte; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

COmméndo te omnipoténti Deo, cariſſime frater, (*vel* cariſſima ſoror,) & ei cujus es creatúra, commítto; ut cùm humanitátis débitum, morte interveniénte, perſólveris; ad Autórem tuum, qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egrediénti ítaque ánimæ tuæ de córpore, ſpléndidus Angelórum cœtus occúrrat; judex Apoſtolórum tibi ſenátus advéniat; candidatórũ tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet; liliáta rutilántium te Pontíficum turma circúmdet; jubilántium te Vírginum chorus excípiat; beátæ quiétis in ſinu Patriarchárum te compléxus aſtríngat; mitis atque feſtívus Chriſti Jeſu tibi aſpéctus appáreat, qui te inter aſſi-

ſténtes ſibi júgiter interéſſe decérnat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod ſtridet in flammis, quod crúciat in torméntis. Cedat tibi tetérrimus Sátanas cum ſatellítibus ſuis; in advéntu tuo te comitántibus Angelis contremíſcat, atque in ætérnæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus; & fúgiant qui odérunt eum à fácie ejus. Sicut défícit fumus, defíciant: ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei; & juſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei. Confundántur ígitur & erubéſcant omnes tartáreæ legiónes, & miníſtri Sátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te à cruciátu Chriſtus, qui pro te crucifíxus eſt. Líberet te ab ætérna morte Chriſtus, qui pro te mori dignátus eſt. Conſtítuat te Chriſtus Fílius Dei vivi intra paradíſi ſui ſemper amœ́na viréntia, & inter oves ſuas te verus ille Paſtor agnóſcat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te abſólvat; atque ad déxteram ſuã in Electórum ſuórum te ſorte conſtítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas; & præſens ſemper aſſíſtens, maniſeſtíſſimã beátis óculis aſpícias veritátem. Conſtitútus (*vel* conſtitúta) ígitur inter ágmina Beatórum, contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

SUſcipe, Dómine, ſervum tuum (*vel* ancíllam tuam) in locum ſperándæ ſibi ſalvatiónis à miſericórdia tua. ℟. Amen.

LIbera, Dómine, ánimam ejus ex ómnibus perículis inférni, & de láqueis pœnárum, & ex ómnibus tribulatiónibus. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Enoch & Elíam de commúni morte mundi. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus à morte, ſicut liberáſti Noë de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Abraham de Ur Chaldæórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Job de paſſiónibus ſuis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Iſaac de hóſtia, & de manu patris ſui Abrahæ. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Lot de Sódomis & de flamma ignis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Móyſen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Daniélem de lacu leónum. ℟. Amen.

Líbera,

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti tres púeros de camíno ignis ardéntis, & de manu regis iníqui. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Suſánnam de falſo crímine. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti David de manu regis Saül, & de manu Góliath. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Petrum & Paulum de carcéribus. ℟. Amen.

Et ſicut beátam Theclam vírginem & mártyrem tuã liberáſti, ſic liberáre dignéris ánimam ejus, & tecum fácias in cœléſtibus bonis gaudére. ℟. Amen.

Commendámus tibi, Dómine, ánimam fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) *N.* precamúrque te, Dómine Jeſu Chriſte, Salvátor mundi; ut propter quam ad terram miſericórditer deſcendíſti, Patriarchárum tuórum sínibus inſinuáre non rénuas. Agnóſce, Dómine, creatúram tuam; non à diis aliénis creátam, ſed à te ſolo Deo vivo & vero; quia non eſt álius Deus præter te. Lætífica, Dómine, ánimam ejus in conſpéctu tuo, & ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum. Licèt enim peccáverit, tamen Patrem, & Fílium, & Spíritum ſanctũ non negávit, ſed crédidit, & zelum Dei in ſe hábuit, & Deum qui fecit ómnia, fidéliter adorávit.

Orémus.

Delícta juventútis, & ignorántias ejus, quǽſumus, ne memíneris, Dómine, ſed ſecúndùm magnam miſericórdiam tuam memor eſto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiántur ei cœli; collæténtur illi Angeli. In regnum tuum, Dómine, creatúram tuam súſcipe. Suſcípiat eam ſanctus Míchaël Archángelus Dei, qui milítiæ cœléſtis méruit principátum. Véniant illi óbviàm ſancti Angeli Dei, & perdúcant eam in civitátem cœléſtem Jerúſalem. Suſcípiat eam beátus Petrus Apóſtolus, cui à Deo claves regni cœléſtis tráditæ ſunt. Adjuvet eam ſanctus Paulus Apóſtolus, qui dignus fuit eſſe vas electiónis. Intercédat pro ea ſanctus Joánnes eléctus Dei Apóſtolus, cui reveláta ſunt ſecréta cœléſtia. Orent pro ea omnes ſancti Apóſtoli, quibus à Dómino data eſt potéſtas ligándi atque ſolvéndi. Intercédant pro ea omnes Sancti & Elécti Dei, qui pro Chriſti nómine torménta in hoc século ſuſtinuérunt; ut vínculis carnis exúta perveníre mereátur ad glóriam regni cœléſtis, præſtánte Dómino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spíritu ſancto vivit & regnat in sécula ſeculórum. ℟. Amen.

Si anxiatur adhuc anima, dicitur Pſalmus, Confitémini Dómino, *p.* 14. *& totus Pſalmus,* Beáti immaculáti, *per Horas Dominicæ diſtributus, p.* 15. *& ſequent.*

Egreſsâ autem animâ, aſpergitur corpus aquâ benedictâ, & dicitur.

℟. In te, Dómine, ſperávi, non confúndar in ætérnum; accélera ut éruas me: in manus tuas comméndo ſpíritum meum. * Redemíſti me, Dómine Deus veritátis, illúſtra fáciem tuam ſuper ſervum tuum, (*vel* ancillam tuam,) ſalvum (*vel* ſalvam) me fac in miſericórdia tua. *Pſ.* 30. 2. 3. 6. 17. ℣. Dómine Jeſu, ſúſcipe ſpíritũ meum. *Act.* 7. 58. * Redemíſti me.

Kýrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon.

Pater noſter, &c. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Non intres in judícium cum ſervo tuo, (*vel* ancílla tua,) Dómine; ℟. Quia non juſtificábitur in conſpéctu tuo omnis vivens. *Pſ.* 142. 2.

℣. Ne tradas béſtiis ánimas confiténtes tibi; ℟. Et ánimas paúperum tuórum ne obliviſcáris in finem. *Pſ.* 73. 19.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

Tibi, Dómine, commendámus ánimam fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) *N.* ut defúnctus (*vel* defúncta) ſéculo, tibi vivat; & quæ per fragilitátem humánæ converſatiónis peccáta commíſit, tu véniâ miſericordíſſimæ pietátis abſtérge; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

OFFICIUM
DEFUNCTORUM
In die Obitûs & in depoſitione Corporis.

Qualibet Hora ſequentis Officii incipit abſolutè.

In fine Pſalmorum & Canticorum, loco Glória Patri, *dicitur:*

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; * Et lux perpétua lúceat eis.

AD VESPERAS.

In Pſ. 124. Diléxi, quóniam exaúdiet Dóminus, *p.* 146.

Ant. 3. c. Verba mea dolóre ſunt plena, quia ſagíttæ Dómini in me ſunt. *Job.* 6. 3. 4.

In Pſ. 119. Ad Dóminum, cùm tribulárer, clamávi, *p.* 68.

Ant. 2. D. In memetípſo marcéſcit ánima mea, & póſſident me dies afflictiónis. *Job.* 30. 16.

In Pſ. 120. Levávi óculos meos in montes, *p.* 69.

Ant. 8. d. Quis det ut véniat petítio mea, & quod expécto tríbuat mihi Deus? *Job.* 6. 8.

In Pſ. 129. De profúndis clamávi ad te, Dómine, *p.* 126.

Ant. 3. b. Timor quem timébam evénit mihi: & quod verébar áccidit. *Job.* 3. 25.

In Pſ. 137. Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniam, *p.* 47.

Ant. 2. D. Quæ eſt fortitúdo mea, ut ſuſtíneam? aut quis finis meus, ut patiénter agam? *Job.* 6. 11.

℣. Tribulatiónem & dolórem invéni: ℟. Et nomen Dómini invocávi. *Pſ.* 114. 3. 4.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. a. Uniuſcujúſque opus maniféſtum erit: dies enim Dómini declarábit, quia in igne revelábitur: & uniuſcujúſque opus quale ſit, ignis probábit. 1. *Cor.* 3. 13.

Oratio conveniens, ut infrà ad Laudes Matutinas.

Completâ Oratione, loco ℣. Benedicámus Dómino, *dicitur:*

℣. Requiéſcant in pace: ℟. Amen.

AD VIGILIAS.

Invitatorium. Deum cui omnes vivunt, * Veníte, adorémus. *Luc.* 20. 38.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici; in hujus fine loco* ℣. Glória Patri, *dicitur:*

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; & lux perpétua lúceat eis.

Vigiliæ dicuntur, vel cum tribus Nocturnis, vel cum unico. Quando dicitur unicum Nocturnum, in Dominica, & in Feria II. & V. Antiphonæ, Pſalmi, Verſiculus & duo priora Reſponſoria ſumuntur è I. Nocturno. In Feria III. & VI. è II. Nocturno. In Feria IV. & Sabbato, è III. Nocturno. I. Lectio erit I. è I. Nocturno. II. erit I. è II. Nocturno. III. erit I. è III. Nocturno. Tertium Reſponſorium ſemper erit ultimum III. Nocturni. Líbera.

IN I. NOCTURNO.

In Pſ. 5. Verba mea áuribus pércipe, *p.* 64.

Ant. 4. f. Multíplicat Deus gentes, & perdit eas, & ſubvérſas in íntegrum reſtítuit. *Job.* 12. 23.

In Pſ. 6. Dómine, ne in furóre tuo árguas me, *p.* 50.

Ant. 2. D. Revélat profúnda de ténebris, & prodúcit in lucem umbram mortis. *Job.* 12. 22.

In Pſ. 12. Uſquequò, Dómine, oblivíſcéris me in finem? *p.* 71.

Ant. 3. c. Bálteum regum

diſsólvit, & præcíngit fune renes eórum. *Job.* 12. 18.

℣. Sitívit ánima mea ad Deum, fortem, vivum: ℟. Quando véniam & apparébo ante fáciem Dei? *Pſ.* 41. 3.

Pater noſter, *totum ſecretò.*

Lectiones leguntur ſinè Benedictionibus, nec additur in fine, Tu autem, *nec quidquam aliud.*

De Libro Job.

LECTIO I. *c.* 7. *v.* 1. *ad* 8.

MIlítia eſt vita hóminis ſuper terram: & ſicut dies mercenárii, dies ejus. Sicut cervus desíderat umbram, & ſicut mercenárius præſtolátur finem óperis ſui, ſic & ego hábui menſes vácuos, & noctes laborióſas enumerávi mihi. Si dormíero, dicam: Quando consúrgam? & rursùm expectábo véſperam, & replébor dolóribus uſque ad ténebras. Indúta eſt caro mea putrédine & sórdibus púlveris; cutis mea áruit & contrácta eſt. Dies mei velóciùs tranſiérunt quàm à texénte tela ſuccíditur, & consúmpti ſunt abſque ulla ſpe. Meménto quia ventus eſt vita mea, & non revertétur óculus meus ut vídeat bona, nec aſpíciet me viſus hóminis.

℟. *j.* Dóminus mortíficat & vivíficat; * Dedúcit ad ínferos & redúcit. 1. *Reg.* 2. 6. ℣. In ipſo vívimus, & movémur, & ſumus. *Act.* 17. 28. * Dedúcit.

LECTIO II. *c.* 17. *v.* 11. *ad finem.*

DIes mei tranſiérunt, cogitatiónes meæ diſſipátæ ſunt, torquéntes cor meum. Noctem vertérunt in diem, & rursùm poſt ténebras ſpero lucem. Si ſuſtinúero, inférnus domus mea eſt, & in ténebris ſtravi léctulum meum. Putrédini dixi: Pater meus es; mater mea, & ſoror mea vérmibus. Ubi eſt ergo nunc præſtolátio mea? & patiéntiam meam quis consíderat? In profundíſſimum inférnum deſcéndent ómnia mea: putáſne ſaltèm ibi erit réquies mihi?

℟. *ij.* Ego occídam & ego vívere fáciam, * Percútiam & ego ſanábo; & non eſt qui de manu mea poſſit erúere. *Deut.* 32. 39. ℣. Hæc dicit Primus & novíſſimus, qui fuit mórtuus & vivit. *Apoc.* 2. 8. * Percútiam.

LECTIO III. *c.* 19. *v.* 20. *ad* 27.

PElli meæ, consúmptis cárnibus, adhǽſit os meum, & derelícta ſunt tantúmmodò lábia circa dentes meos. Miſerémini meî, miſerémini meî, ſaltèm vos, amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare perſequímini me ſicut Deus, & cárnibus meis ſaturámini? Quis mihi tríbuat ut ſcribántur ſermónes mei? Quis mihi det ut exaréntur in libro ſtylo férreo & plumbi láminâ, vel celte ſculpántur

in ſilice? Scio enim quòd Redémptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrectúrus ſum: & rursùm circúmdabor pelle meâ, & in carne mea vidébo Deum meum, quem viſúrus ſum ego ipſe, & óculi mei conſpectúri ſunt, & non álius. Repóſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.

℟. *iij.* Tu, Dómine, flagéllas & ſalvas, * Dedúcis ad ínferos & redúcis: & non eſt qui effúgiat manũ tuam. *Tob.* 13. 2. ℣. Dómine, ſalva nos. *Matt.* 8. 25. * Dedúcis.

IN II. NOCTURNO.

In Pſ. 22. Dóminus regit me, *p.* 105.

Ant. 6. F. Omnes mórimur, & quaſi aquæ dilábimur in terram. 2. *Reg.* 14. 14.

In Pſ. 24. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam, *p.* 101.

Ant. 8. G. Generátio prǽterit, & generátio ádvenit: terra autem in ætérnum ſtat. *Eccle.* 1. 4.

In diviſ. Pſ. 24. Univérſæ viæ Dómini, *p.* 102.

Ant. 1. a. Omnia pergunt ad unum locum: de terra facta ſunt, & in terram páriter revertúntur. *Eccle.* 3. 20.

℣. In médio umbræ mortis non timébo mala; ℟. Quóniam tu mecum es, Dómine. *Pſ.* 22. 4.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homil. de Dormient. n. 1. 2.

LECTIO IV.

DEus corpus diſsólvit, & in illo habitántem ánimam priùs edúcit, ceu ex domo quápiam, ut pòſt in eámdem magnificéntiùs conſtrúctam domum ánimam cum majóri glória redúcat. Ne ítaque intueáris eum, cujus clauſi ſunt óculi, qui mutus jacet, ſed eum qui resúrget, & accípiet glóriam ineffábilem, atque à præsénti hujúſmodi aſpéctu cogitatiónes transfer in ſpem futúram. At conſuetúdinem requíris, ideóque ingemíſcis ac luges. Et quómodo, ínquies, homo cùm ſim, poſſim non mœrére? Neque ego id póſtulo: non mœrórem vero, ſed mœróris veheméntiam. Mœrére namque natúræ eſt, ſed ultra modum mœrére, furóris, insániæ, muliebríſque ánimi. Mœre, lacrymáre, ſed ne ægrè moleſtéque feras; ne indignéris. Grátias age ei qui ábſtulit, ut defúnctum exórnes, ejúſque fúneri hæc juſta ſpléndidè persólvas, ipsíque mittas.

℟. *iv.* Dies mei ſicut umbra declinavérunt, & ego ſicut fœnum árui; * Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes. *Pſ.* 101. 12. 13. ℣. Quæ eſt vita veſtra? Vapor eſt ad módicum parens,

quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem reſurréctio mortuórum. Et ſicut in Adam omnes moriúntur, ità & in Chriſto omnes vivificabúntur; unuſquíſque autem in ſuo órdine, primítiæ Chriſtus, deínde ii qui ſunt Chriſti, qui in advéntu ejus credidérunt. Deínde finis; cùm tradíderit regnum Deo & Patri, cùm evacuáverit omnem Principátum, & Poteſtátem, & Virtútem. Opórtet autem illum regnáre, donec ponat omnes inimícos ſub pédibus ejus. Noviſſima autem inimíca deſtruétur mors; omnia enim ſubjécit ſub pédibus ejus: cùm autem dicat: Omnia ſubjécta ſunt ei, ſinè dúbio præter eum, qui ſubjécit ei ómnia.

℟. *ix.* Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me, & de profúndis aquárum: * Non me demérgat tempéſtas aquæ, neque absórbeat me profúndum, neque úrgeat ſuper me púteus os ſum: exaúdi me, Dómine, quóniam benígna eſt miſericórdia tua. *Pſ.* 68. 15. 16. 17. ℣. Miſerére meî, Dómine, fili David. *Matt.* 15. 22. * Non. *Reſumitur* ℟. Líbera.

AD LAUDES MATUTINAS.

In Pſ. 40. Beátus qui intélligit, *p.* 138.

Ant. 3. b. Dómine omnípotens, Deus Iſraël, audi nunc oratiónem mortuórum Iſraël. *Bar.* 3. 4.

In Pſ. 50. Miſerére meî, Deus, * ſecúndùm, *p.* 149.

Ant. 8. G. Deus fortis ſuper omnes, exaúdi voces eórum qui nullam áliam ſpem habent. *Eſth.* 14. 19.

In Pſ. 64. Te decet hymnus, Deus, *p.* 94.

Ant. 2. D. Tu es, Dómine, qui vitæ & mortis habes poteſtátem, & dedúcis ad portas mortis, & redúcis. *Sap.* 16. 13.

Ant. 1. a. Meménto.

CANTICUM EZECHIÆ.

Iſ. c. 38. *v.* 10. *ad* 20.

Vita noſtra fragilitas. In manu Dei ſunt dies noſtri.

EGo dixi: In dimídio diérum meórum vadam ad portas ínferi: * quæſívi resíduum annórum meórum.

Dixi: Non vidébo Dóminum Deum in terra viventium; * non aſpíciam hóminem ultrà, & habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta eſt, * & convolúta eſt à me, quaſi tabernáculum paſtórum.

Præcíſa eſt velut à texénte vita mea; dum adhuc ordírer, ſuccídit me: * de manè uſque ad véſperam finies me.

Sperábam uſque ad manè; * quaſi leo, ſic contrívit ómnia oſſa mea.

De manè uſque ad véſperam finies me: * ſicut pullus hirúndinis ſic cla-

mábo, meditábor ut colúmba.

Attenuáti ſunt óculi mei * ſuſpiciéntes in excélſum.

Dómine, vim pátior; reſpónde pro me: * quid dicam, aut quid reſpondébit mihi, cùm ipſe fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, ſi ſic vívitur, & in tálibus vita ſpíritûs mei, corrípies me, & vivificábis me: * ecce in pace amaritúdo mea amaríſſima.

Tu autem eruíſti ánimam meam ut non períret; * projecíſti poſt tergum tuum ómnia peccáta mea:

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te; * non expectábunt, qui deſcéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens vivens ipſe confitébitur tibi, ſicut & ego hódie: * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, ſalvum me fac, * & Pſalmos noſtros cantábimus cunctis diébus vitæ noſtræ in domo Dómini.

Réquiem ætérnam, &c.

Ant. Meménto manûs tuæ & nóminis tui in témpore iſto, quia tu es Dóminus Deus noſter. *Bar.* 3, 5. 6.

In Pſ. 150. Laudáte Dóminum in ſanctis ejus, *p.* 12.

Ant. 7. d. Nihil odíſti eórum quæ fecíſti; nec enim ódiens áliquid conſtituíſti aut fecíſti. *Sap.* 11.25.

℣. Si iniquitátes obſerváveris, Dómine, ℟. Dómine, quis ſuſtinébit? *Pſ.* 129. 3.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. a. Revertátur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpíritus rédeat ad Deum qui dedit illum. *Eccle.* 12. 7.

℣. Dóminus vobiſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio conveniens.

℣. Requiéſcant in pace. ℟. Amen.

In depoſitione Pontificis.

Oratio.

DEus, qui inter Apoſtólicos Sacerdótes fámulum tuum *N.* Pontificáli fecíſti dignitáte vigére; præſta, quǽſumus, ut eórum perpétuo aggregétur conſórtio; Per Dóminum.

In depoſitione Sacerdotis.

Oratio.

PRæſta, quǽſumus, Dómine, ut ánima fámuli tui *N.* Sacerdótis, quem in hoc ſéculo commorántem ſacris munéribus decoráſti, in cœléſti ſede glorióſa ſemper exúltet; Per Dóminum.

In depoſitione Defuncti non Sacerdotis.

Oratio.

INclína, Dómine, aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericórdiam tuã ſúpplices deprecámur, ut ánimam fámuli tui *N.* quam de hoc ſéculo migráre juſſíſti, in pacis ac lucis

regióne conſtítuas, & Sanctórum tuórum júbeas eſſe consórtem; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus: Per omnia ſécula ſeculórum. Amen.

In depoſitione Defuncti.
Oratio.

QUǽſumus, Dómine, pro tua pietáte miſerére ánimæ fámulæ tuæ N. & à contágiis mortalitátis exútam, in ætérnæ ſalvatiónis partem reſtítue; Per Dóminum.

IN ANNIVERSARIO DEFUNCTORUM.

Omnia ut in Officio præcedenti, exceptis quæ ſequuntur.

IN I. NOCTURNO.

De Libro Job.

Lectio I. *c.* 7. *v.* 16. *ad finem.*

PArce mihi, Dómine; nihil enim ſunt dies mei. Quid eſt homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Viſitas eum dilúculo, & súbitò probas illum. Uſquequò non parcis mihi, nec dimíttis me, ut glútiam ſalívam meam? Peccávi: quid fáciam tibi, ô Cuſtos hóminum? Quare poſuíſti me contrárium tibi, & factus ſum mihi metípſi gravis? Cur non tollis peccátum meum, & quare non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam: & ſi manè me quæsíeris, non ſubsíſtam.

Lectio II. *c.* 10. *v.* 8. *ad* 12.

MAnus tuæ fecérunt me, & plaſmavérunt me totum in circúitu: & ſic repéntè præcípitas me? Meménto, quæſo, quòd ſicut lutum féceris me, & in púlverem redúces me. Nónne ſicut lac mulsíſti me, & ſicut cáſeum me coaguláſti? Pelle & cárnibus veſtíſti me; óſſibus & nervis compegíſti me; vitam & miſericórdiam tribuíſti mihi; & viſitátio tua cuſtodívit ſpíritum meum.

Lectio III. *c.* 13. *v.* 23. *ad finem.*

QUantas hábeo iniquitátes & peccáta, ſcélera mea & delicta oſténde mihi. Cur fáciem tuam abſcóndis, & arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium quod vento rápitur, oſténdis poténtiam tuam, & ſtípulam ſiccam perſéqueris: ſcribis enim contra me amaritúdines, & consúmere me vis peccátis adoleſcéntiæ meæ. Poſuíſti in nervo pedem meum, & obſervaſti omnes sémitas meas, & veſtígia pedum meórũ conſideráſti: qui, quaſi putré-

do conſuméndus ſum, & quaſi veſtiméntum quod coméditur à tinea.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lib. 2. *de fide Reſurr.* n. 3.

LECTIO IV.

PRopoſúimus, fratres cariſſimi, ſolári nos commúni uſu, nec durum putáre quidquid univérſos manéret, & ídeò mortem non eſſe lugéndam: primùm, quia commúnis ſit & cunctis débita. deínde, quia nos séculi hujus absólvat ærúmnis; poſtrémò, quia ſomni ſpécie ubi ab iſtíus mundi labóre requiétum ſit, vigor nobis vivácior refundátur. Quem dolórem non ſolétur reſurrectiónis grátia? quem non exclúdat mœrórem, ſi credas nihil períre morte? imò ipsíus mortis celeritáte fieri, ut plus períre non poſſit?

LECTIO V. n. 5.

FUiſſe étiam quidam ferúntur pópuli, qui ortus hóminum lugérent, obitúſque celebrárent. Nec imprudénter: eos enim qui in hoc vitæ ſalum veníſſent mœréndos putábant: eos verò qui ex iſtíus mundi procéllis & flúctibus emersíſſent, non injúſto gaúdio proſequéndos arbitrabántur. Nos quoque ipſi natáles dies defunctórũ obliviſcimur, & eum quo obiérunt diem, célebri ſolemnitáte renovámus.

LECTIO VI. n. 6.

NOn eſt ergo gravis ſubeúndus mœror ſecúndùm natúram; ne, aut excellentiórem áliquam natúræ exceptiónem nobis arrogáre videámur, aut commúnem recusáre. Etenim mors æquális eſt ómnibus, indiſcréta paupéribus, inexcépta divítibus. Et ídeò, licèt per unius peccátum, in omnes tamen pertransívit: ut quem géneris non refúgimus autórem, non refugiámus & mortis: & ſit nobis ſicut per unum mors, ità per unum étiam reſurréctio; nec recusémus ærúmnam, ut perveniámus ad grátiam. Venit enim, ut légimus, Chriſtus ſalvũ fácere quod períerat: & ut non ſolùm vivórum, ſed étiam mortuórum dominétur.

IN III. NOCTURNO.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

LECTIO VII. *c.* 15. *v.* 51. *ad finem.*

ECce myſtérium vobis dico: Omnes quidem reſurgémus, ſed non omnes immutábimur. In moménto, in ictu óculi, in noviſſima tuba: canet enim tuba, & mórtui resúrgent incorrúpti: & nos immutábimur. Opórtet enim corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, & mortále hoc indúere immortalitátem. Cùm autem mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet

ſermo qui ſcriptus eſt : Abſórpta eſt mors in victória. Ubi eſt, mors, victória tua? ubi eſt, mors, ſtímulus tuus? Stímulus autem mortis peccátum eſt : virtus verò peccáti lex. Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum. Itaque, fratres mei diléčti, ſtábiles eſtóte & immóbiles, abundántes in ópere Dómini ſemper, ſciéntes quòd labor veſter non eſt inánis in Dómino.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Theſſalonicénſes.

Lectio VIII. *c.* 4. *v.* 12. *ad finem.*

NOlumus vos ignoráre, fratres, de dormiéntibus, ut non contriſtémini, ſicut & cœ́teri qui ſpem non habent. Si enim crédimus quòd Jeſus mórtuus eſt & reſurréxit, ità & Deus eos qui dormiérunt per Jeſum, addúcet cum eo. Hoc enim vobis dícimus in verbo Dómini, quia nos, qui vívimus, qui resídui ſumus in advéntum Dómini, non præveniémus eos qui dormiérunt : quóniam ipſe Dóminus in juſſu, & in voce Archángeli, & in tuba Dei deſcéndet de cœlo : & mórtui qui in Chriſto ſunt, resúrgent primi. Deínde nos, qui vívimus, qui relínquimur, ſimul rapiémur cum illis in núbibus óbviàm Chriſto in áera, & ſic ſemper cum Dómino érimus. Itaque conſolámini ínvicē in verbis iſtis.

Lectio IX. *c.* 5. *v.* 1. *ad* 6.

DE tempóribus autem & moméntis, fratres, non indigétis ut ſcribámus vobis. Ipſi enim diligénter ſcitis quia dies Dómini, ſicut fur in nocte, ità véniet. Cùm enim dixerint pax & ſecúritas, tunc repentínus eis ſupervéniet intéritus, ſicut dolor in útero habénti, & non effúgient. Vos autem, fratres, non eſtis in ténebris, ut vos dies illa, tanquam fur comprehéndat : omnes enim vos filii lucis eſtis, & filii diéi : non ſumus noctis neque tenebrárum : ígitur non dormiámus ſicut & cœ́teri, ſed vigilémus, & sóbrii ſimus.

In Anniverſariis, in quibus unicum dicitur Nocturnum, Invitatorium, Antiphonæ, Pſalmi, Verſiculus & duo priora Reſponſoria ſumuntur ex Officio præcedenti, ſecundùm Feriam. Invitatorium dicitur ritu ſimplici, & ultimum Reſponſorium ſemper erit, Libera me, *p.* cxxviij. *& ſemper reſumetur.*

Lectiones dicentur ut infrà.

FERIA II. ET V.

De Libro Job.

Lectio I. *c.* 14. *v.* 1. *ad* 6.

HOmo natus de mulíere, brevi vivens témpore, replétur multis miſériis : qui, quaſi flos, egréditur & contéritur, & fugit

velut umbra, & nunquam in eódem ſtatu pérmanet. Et dignum ducis ſuper hujuſcémodi aperíre óculos tuos, & addúcere eum tecum in judícium? Quis poteſt fácere mundum de immúndo concéptum sémine? nónne tu qui ſolus es? Breves dies hóminis ſunt, númerus ménſium ejus apud te eſt: conſtituíſti términos ejus qui præteríri non póterunt. Recéde paúlulùm ab eo, ut quiéſcat, donec optáta véniat, ſicut mercenárii, dies ejus.

Sermo ſancti Cyrílli Hieroſolymitáni Epíſcopi. *Catech. Myſtag.* 5.

LECTIO II.

PRo ómnibus orámus qui inter nos vitâ functi ſunt, máximum eſſe credéntes animárum juvámen pro quibus offértur precátio ſancti illíus & treméndi quod in altári póſitum eſt Sacrifícii. Scio multos dícere: Quid juvat ánimam, ſive cum peccátis, ſive abſque peccátis ex hoc mundo diſcedéntem, etiámſi in hoc Sacrifício illíus méntio fiat? Chriſtum pro noſtris peccátis mactátum offérimus, ut & nobis & illis, eum qui eſt benigníſſimus, propítium reddámus.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

LECTIO III. *c.* 3. *v.* 11. *ad* 15.

FUndaméntum áliud nemo poteſt pónere, præter id quod póſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Si quis autem ſuperædíficat ſuper fundaméntum hoc, aurum, argéntum, lápides pretióſos, ligna, fœnum, ſtípulam, uniuſcujúſque opus maniféſtum erit; dies enim Dómini declarábit: quia in igne revelábitur: & uniuſcujúſque opus quale ſit, ignis probábit. Si cujus opus mánſerit quod ſuperædificávit, mercédem accípiet. Si cujus opus árſerit, detriméntum patiétur; ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.

FERIA III. ET VI.

De Libro ſecúndo Machabæórum.

LECTIO I. *c.* 12. *v.* 42. *ad finem.*

VIr fortíſſimus Judas hortabátur pópulum conſerváre ſe ſinè peccáto, ſub óculis vidéntes quæ facta ſunt pro peccátis eórum qui proſtráti ſunt. Et factâ collatióne, duódecim míllia drachmas argénti miſit Jeroſólymam offérri pro peccátis mortuórũ Sacrifícium, benè & religiósè de reſurrectióne cógitans: (niſì enim eos qui ceciderant, reſurrectúros ſperáret, ſupérfluum viderétur & vanum oráre pro mórtuis:) & quia conſiderábat quòd hi qui cum pietáte dormitiónem accéperant, óptimam habérent repóſitã grátiam. Sancta ergo & ſalúbris eſt cogitátio pro defúnctis exoráre, ut à peccátis ſolvántur.

Sermo ſancti Epiphánii Epíſcopi.

Adverſ. Hæreſ. Lib. 3. *Hæreſ.* 75. n. 7. 8.

LECTIO II.

QUòd ſpectat ad ritum illum quo mortuórum nómina pronuntiántur, quid eo eſſe poteſt utílius, quid opportúnius, aut verò admiratióne dígnius? Nempè ut qui adſunt, certíſſimè ſibi perſuádeant mórtuos vívere, nec in níhilum redáctos eſſe, ſed exíſtere adhuc, atque apud Dóminum vívere: tum ut religiosíſſimum illud dogma prædicétur, quo qui pro frátribus precántur, benè de illis ſperáre conſtat, quaſi péregrè proféctis. Neceſſáriò fácere illud Eccléſiam dico, quæ tráditum ſibi ritum illum à majóribus accéperit.

De Epíſtola ſecúnda beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

LECTIO III. *c.* 5. *v.* 1. *ad* 10.

SCimus quóniam ſi terréſtris domus noſtra hujus habitatiónis diſſolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, ætérnam in cœlis. Nam & in hoc ingemíſcimus, habitatiónem noſtram quæ de cœlo eſt, ſuperíndui cupiéntes ſi tamen veſtiti, non nudi inveniámur. Nam & qui ſumus in hoc tabernáculo, ingemíſcimus graváti, eò quòd nólumus expoliári, ſed ſuperveſtíri: ut abſorbeátur quod mortále eſt à vita. Qui autem éfficit nos in hoc ipſum, Deus, qui dedit nobis pignus Spíritûs. Audéntes ígitur ſemper, ſciéntes quóniam dum ſumus in córpore, peregrinámur à Dómino: (per fidem enim ambulámus, & non per ſpéciem.) Audémus autem, & bonam voluntátem habémus magìs peregrinári à córpore, & præséntes eſſe ad Dóminum. Et ídeò conténdimus, ſive abséntes, ſive præséntes, placére illi. Omnes enim nos manifeſtári opórtet ante tribúnal Chriſti, ut réferat unuſquíſque própria córporis, próut geſſit, ſive bonum, ſive malum.

FERIA IV. ET SABBAT.

De Michǽa Prophéta.

LECTIO I. *c.* 7. *v.* 7. *ad* 10.

EGo ad Dóminum aſpíciam, expectábo Deum Salvatórem meum: áudiet me Deus meus. Ne lætéris, inimíca mea, ſuper me, quia cécidi: conſúrgam, cùm sédero in ténebris, Dóminus lux mea eſt. Iram Dómini portábo, quóniam peccávi ei, donec cauſam meam júdicet, & fáciat judícium meum: edúcet me in lucem, vidébo juſtítiam ejus; & aſpíciet inimíca mea, & operiétur confuſióne, quæ dicit ad me: Ubi eſt Dóminus Deus tuus? Oculi mei vidébunt in eam; nunc erit in conculcatiónem ut lutum plateárum.

Sermo ſancti Joánnis Chrysóſtomi.

Hom. 21. *in Act. Apoſt.* n. 4.

Lectio II.

NOn fruſtrà oblatiónes pro defúnctis fiunt, non fruſtrà preces, non fruſtrà eleemóſynæ. Hæc ómnia Spíritus diſpóſuit, volens ut nos mútuò juvémus. Non fruſtrà clamat Diáconus: Pro iis qui in Chriſto defúncti ſunt, & pro iis qui illórum memóriam fáciunt. Non Diáconus hanc emíttit vocem, ſed Spíritus, non Sanctus dico, ſed donum ejus. Quid dicis? In mánibus eſt Hóſtia, & ómnia paráta proſtant; adſunt Angeli, Archángeli; ádeſt Fílius Dei; cum tanto horróre adſtant omnes; adſtant illi clamántes, ómnibus ſiléntibus; & putas hæc fruſtrà fieri? Itaque ne utcúnque accedámus, nec témerè hæc fieri putémus. Hæc cùm ſciámus, conſiderémus quantas póſſumus conſolatiónes defúnctis conférre, vice lacrymárum, vice flétuum, vice monumentórum, eleemóſynas nempè, oratiónes, oblatiónes; ut, & illi, & nos promíſſa conſequámur bona.

De Epiſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio III. *c.* 5. *v.* 15. *ad* 19.

SI unius delícto multi mórtui ſunt, multò magìs grátia Dei, & donum in grátia unius hóminis Jeſu Chriſti in plures abundávit. Et non ſicut per unum, peccátum, ità & donum: nam judícium quidem ex uno in condemnatiónem; grátia autem ex multis delíctis in juſtificatiónem. Si enim unius delícto mors regnávit per unum, multò magìs abundántiam grátiæ, & donatiónis, & juſtítiæ accipiéntes, in vita regnábunt per unum Jeſum Chriſtum. Igitur ſicut per unius delíctum in omnes hómines in condemnatiónem, ſic & per unius juſtítiam in omnes hómines in juſtificatiónem vitæ. Sicut enim per inobediéntiam unius hóminis peccatóres conſtitúti ſunt multi, ità & per unius obeditiónem, juſti conſtituéntur multi.

Oratio.

DEus indulgentiárum Dómine, da ánimæ fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) *N.* cujus Anniverſárium depoſitiónis diem commemorámus, refrigérii ſedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem; Per Dóminum.

In primo Anniverſario dicitur tantùm prædicta Oratio; in aliis adduntur ſequentes, ſub eadem concluſione.

Pro Benefactoribus.

DEus, véniæ largítor & humánæ ſalútis amátor; quæſumus clementiam tuam, ut noſtræ congregatiónis fratres, propínquos & benefactóres,

qui ex hoc ſéculo tranſiérunt, beátâ Maríâ ſemper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas.

Pro omnibus Defunctis.

FIdélium, Deus, ómnium Cónditor & Redémptor, animábus ómnium Fidélium Defunctórum remiſſiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequántur; Qui vivis & regnas cũ Deo Patre.

℣. Dóminus vobíſcum;
℟. Et cum ſpíritu tuo.
℣. Requiéſcant in pace.
℟. Amen.

Pro pluribus Defunctis.

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper & párcere; propitiáre animábus famulórum famularúmque tuárum, & ómnia eárum peccáta dimítte; ut mortalitátis vínculis abſolútæ, transíre mereántur ad vitam; Per Dóminum noſtrum.

Pro Patre vel Matre.

DEus, qui nos patrem & matrem honoráre præcepíſti; miſerére cleménter animábus patris mei & matris meæ, (*vel* ánimæ patris mei *vel* matris meæ,) eorúmque (*vel* ejúſque) peccáta dimítte; méque eos (*vel* eum, *vel* eam) in ætérnæ claritátis gaúdio fac vidére; Per Dóminũ noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus; Per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

PSALMI GRADUALES.

Dicuntur quinque primi Pſalmi ſinè Glória Patri, *ſed in fine ultimi dicitur,* Réquiem ætérnam, &c.

Inchoantur abſolutè ſinè Antiphona, Pſalmi, Ad Dóminum, cùm tribuláres, clamávi, *p.* 68. Levávi óculos meos, *p.* 69. Lætátus ſum, *p.* 146. Ad te levávi, *p.* 88. Niſi quia Dóminus, *p.* 69.

In fine dicitur, Réquiem ætérnã dona eis, Dómine; * & lux perpétua lúceat eis.

Deinde dicitur flexis genibus:

Kýrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon. Pater noſter, &c. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Convértere, Dómine, úſquequò? ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſ.* 89. 13.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

ABſólve, quæſumus, Dómine, ánimas famulórum famularúmque tuá-

rum, & ómnium Fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum; ut in reſurrectiónis glória inter Sanctos & Eléctos tuos reſuſcitáti reſpírent; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Poſt Orationem ſtatim dicuntur ſequentes quinque Pſalmi abſolutè; & in fine cujuſlibet dicitur, Glória Patri.

Pſalmi, Qui confídunt, *p.* 69. In convertendo, *p.* 106. Niſi Dóminus, *p.* 70. Beáti omnes, *p.* 106. Sæpè expugnavérunt me, *p.* 125.

Deinde dicitur flexis genibus:

Kýrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon. Pater noſter, &c. *ſecretò.* ℣. Et ne nos indúcas, &c.

℣. Memor eſto congregatiónis tuæ, ℟. Quam poſſedíſti ab inítio. *Pſ.* 73. 2.

℟. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper & párcere, súſcipe deprecatiónem noſtram; ut nos & omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa conſtríngit, miſerátio tuæ pietátis clementer abſólvat; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Similiter poſt hanc Orationem dicuntur ſequentes quinque Pſalmi, cum Glória Patri, *in fine cujuſlibet.*

Pſal. De profúndis, *p.* 126. Dómine, non eſt exaltátum, *p.* 88. Meménto, Dómine, *p.* 107. Ecce quàm bonum, *p.* 147. Ecce nunc benedícite, *p.* 31.

Deinde dicitur flexis genibus :

Kýrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon. Pater noſter, &c. *ſecretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Deus ómnium, miſerére plebi tuæ, ℟. Super quam invocátum eſt nomen tuum. *Eccli.* 36. 14.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

PRætende, quæſumus, Dómine, fámulis & famulábus tuis déxteram cœléſtis auxílii; ut te toto corde perquírant, & quæ dignè póſtulant, cónſequi mereántur; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ.

ANTE PRANDIUM.

Qui benedicit Menſam, incipit: Benedícite. *Alii reſpondent*: Dóminus. *Deinde*

dicit ℣. Oculi ómnium, & alii proſequuntur, In te ſperant, Dómine; & tu das eſcam illórum in témpore opportúno: áperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. Pſ. 144. 15. 16.

℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat. Kýrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon. Pater noſter, &c. ſecretò: ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Orémus.

BEnedic, Dómine, nos, & hæc ✝ tua dona, quæ de tua largitáte ſumus ſumptúri; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Lector dicit: Jube, Domne, benedícere.

Benedictio: Menſæ cœléſtis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

In fine Lectionis dicitur: Tu autem, Dómine, miſerére noſtri. ℟. Deo grátias.

GRATIARUM ACTIO poſt Prandium.

Qui benedixit Menſam, incipit ℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, *& alii proſequuntur:* Et ſancti tui benedícant tibi. *Pſ.* 144. 10. ℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Poſteà dicit: Agimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérſis beneficiis tuis; Qui vivis & regnas in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Pſalmus, Laudáte Dóminum, omnes gentes, *p.* 151.

In fine Glória Patri. *Deinde* Kýrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon. Pater noſter, &c. *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem, ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Diſpérſit dedit paupéribus; ℟. Juſtítia ejus manet in ſéculum ſéculi. *Pſ.* 111. 9.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore; ℟. Semper laus ejus in ore meo. *Pſ.* 33. 2.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea: ℟. Aúdiant manſuéti, & læténtur. *Pſ.* 33. 3.

℣. Magnificáte Dóminum mecum; ℟. Et exaltémus nomen ejus in idipſum. *Pſ.* 33. 4.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum, ℟. Ex hoc, nunc, & uſque in ſéculum. *Pſ.* 112. 2.

REtribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias.

Secretò: Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ ante Cœnam.

Qui benedicit Menſam, incipit: Benedícite. *Alii reſpondent:* Dóminus.

Deinde dicit ℣. Edent pauperes, *& alii proſequuntur*,

Et ſaturabúntur: & laudábunt Dóminum qui requírunt eum: vivent corda eórum in séculum séculi. *Pſ.* 21. 27.

℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat. Kýrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon. Pater noſter, &c. *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas, &c.

Orémus.

Benedic, Dómine, nos, & hæc † tua dona, quæ de tua largitáte ſumus ſumptúri; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Lector dicit, Jube, Domne, benedícere.

Benedictio: Ad cœnam perpétuæ vitæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

In fine Lectionis dicitur: Tu autem, Dómine, miſerére noſtri. ℟. Deo grátias.

GRATIARUM ACTIO
poſt Cœnam.

Qui benedixit Menſam, incipit ℣. Memóriam fecit mirabílium ſuórum, *& alii proſequuntur*: Miséricors & miserátor Dóminus; eſcam dedit timéntibus ſe. *Pſ.* 110. 4. ℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Poſteà dicit: Benedíctus Deus in donis ſuis, & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis; Qui vivit & regnat in sécula ſeculórum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Pſalmus, Laudáte Dóminum, omnes gentes, *p.* 138. *& reliqua, ut ſuprà.*

IN JEJUNIIS, *ad refectionem fit Benedictio Menſæ & Gratiarum Actio, ut notatum eſt pro Cœna.*

ITINERARIUM.

Viator, in ipſo itineris ingreſſu, ſi ſolus fuerit, dicat quæ ſequuntur in ſingulari, ſi cum ſociis, in plurali, ut ſequitur.

Canticum, Benedíctus Dóminus Deus Iſraël, *p.* 13.

Ant. Benè ambulémus, & ſit Deus in itínere noſtro, & Angelus ejus comitétur nobíſcum.

PRECES.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon. Pater noſter, &c. *ſecretò.* ℣. Et ne nos indúcas, &c.

℣. Salvos fac ſervos tuos, ℟. Deus meus, ſperántes in te. *Pſ.* 85. 2.

℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de Sancto; ℟. Et de Sion tuére nos. *Pſ.* 19. 3.

℣. Eſto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Pſ.* 60. 4.

℣. Nihil profíciat inimícus in nobis; ℟. Et filius iniquitátis non appónat nocére nobis. *Pſ.* 88. 23.

℣. Benedíctus Dóminus die quotídie: ℟. Próſperum iter fáciat nobis Deus ſalutárium noſtrórũ. *Pſ.* 67. 20.

pianas. *Iſ.* 40. 4.

℣. Angelis ſuis Deus mandávit de te, ℟. Ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis. *Pſ.* 90. 11.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101.2.

Orémus.

DEus, qui filios Iſraël per maris médium ſicco veſtígio ire fecíſti, quíque Magis iter ad te ſtellâ duce pandíſti; tríbue nobis, quæſumus, iter próſperum tempúſque tranquíllum; ut Angelo tuo ſancto cómite, ad eum quò pérgimus locum, ac demùm ad ætérnæ ſalútis portum pervenire felíciter valeámus.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum edúctum, per omnes ſuæ peregrinatiónis vias

baculus, in nau[...]
tus; ut, te duce, [...]
dimus, próſper[...]
mus, & demùm [...]
ad própria redeá[...]

ADeſto, qu[...]
Dómine, ſ[...]
nibus noſtris; &[...]
mulórum tuórum [...]
tuæ proſperitáte [...]
ut inter omnes v[...]
hujus varietátes, [...]
per protegámur [...]

PRæſta, quæſu[...]
nípotens Deu[...]
mília tua per v[...]
incédat; & beá[...]
Præcursóris hort[...]
ctándo, ad eum [...]
dixit, ſecúra perv[...]
minum noſtrū Je[...]
ſtum Fílium tuum [...]

℣. Procedámu[...]
ce, in nómine D[...]
Amen.

mea, vel paréntum meórum. *Tob.* 3. 3.

PRECES.

KYrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon. Pater noſter, &c. Et ne nos indúcas, &c.

℣. Ego dixi: Dómine, miſerére meî; ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Pſ.* 40. 5.

℣. Convértere, Dómine, úſquequò? ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſ.* 89. 15.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32. 22.

℣. Sacerdótes tui indúantur juſtítiam; ℟. Et ſancti tui exúltent. *Pſ.* 131. 9.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine; ℟. Et ab aliénis parce ſervo tuo. *Pſ.* 18. 13.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

Orémus.

AUres tuæ pietátis, mitíſſime Deus, inclína précibus noſtris, & grátiâ ſancti Spíritûs illúmina cor noſtrum; ut tuis myſtériis dignè miniſtráre, téque ætérnâ caritáte dilígere mereámur.

DEus, cui omne cor patet, & omnis volúntas lóquitur, & quem nullum latet ſecrétum; puríſica per infuſiónem ſancti Spíritûs cogitatiónes cordis noſtri, ut te perfécté dilígere, & dignè laudáre mereámur.

URe igne ſancti Spíritûs renes noſtros & cor noſtrum, Dómine; ut tibi caſto córpore ſerviámus, & mundo corde placeámus.

MEntes noſtras, quæſumus, Dómine, Paraclétus qui à te procédit, illúminet; & indúcat in omnem, ſicut tuus promíſit Fílius, veritátem.

ADſit nobis, quæſumus, Dómine, virtus Spíritûs ſancti; quæ & corda noſtra cleménter expúrget, & ab ómnibus tueátur advérſis.

DEus, qui corda fidélium ſancti Spíritûs illuſtratióne docuíſti; da nobis in eódem Spíritu recta ſápere, & de ejus ſemper conſolatióne gaudére.

COnſciéntias noſtras, quæſumus, Dómine, viſitándo puríſica; ut véniens Dóminus noſter Jeſus Chriſtus Fílius tuus, parátam ſibi in nobis invéniat manſiónem; Qui tecum vivit & regnat Deus. ℟. Amen.

GRATIARUM ACTIC
POST MISSAM.

Canticum Benedícite, *p.* 11.

Pſalmus Laudáte Dóminum in ſanctis ejus, *p.* 12.

Ant. Benedícite, ſacerdótes Dómini, Dómino: laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula. *Dan.* 3. 84.

PRECES.

KYrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon.

Pater noſter, &c. ℣. Et ne nos indúcas, &c.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; ℟. Et ſancti tui benedícant tibi. *Pſ.* 144. 10.

℣. Exultábunt ſancti in glória; ℟. Lætabúntur in cubílibus ſuis. *Pſ.* 149. 5.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis, ℟. Sed nómini tuo da glóriam. *Pſ.* 113. 9.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véni 101. 2.

Orémus.

DEus, qui tribus mitigáſti flamn nium; concéde pro ut nos fámulos tuo exúrat flamma vitiór

ACtiónes noſtras, ſumus, Dómine rándo prævéni, & ad do proſéquere; ut noſtra orátio & op à te ſemper incípiat, te cœpta finiátur.

DA nobis, quæſu Dómine, vitióru ſtrórum flammas exti re, qui beáto Lauréntbuiſti tormentórum ſu incéndia ſuperáre; Pe ſtum Dóminum noſ

℟. Amen.

LITANIÆ
SANCTISSIMI NOMINIS JES

KYrie, eléiſon.
Chriſte, eléiſon.
Kýrie, eléiſon.
Jeſu, audi nos.
Jeſu, exaúdi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerére nobis.
Fili Redémptor mundi Deus, Miſerére nobis.
Spíritus ſancte Deus, Miſerére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, Miſerére nobis.
Jeſu Fili Dei vivi, rére nobis.
Jeſu Splendor Patris,
Jeſu Candor lucis æté miſerére nobis.
Jeſu Rex glóriæ,
Jeſu Sol juſtítiæ,
Jeſu Fili Maríæ Virg miſerére nobis.
Jeſu admirábilis,
Jeſu Deus fortis,
Jeſu Pater futúri ſæ miſerére nobis.

Jeſu magni consílii Angele, miſ.
Jeſu potentíſſime, miſ.
Jeſu patientíſſime, miſ.
Jeſu obedientíſſime, miſ.
Jeſu mitis, & húmilis corde, miſ.
Jeſu amátor caſtitátis, miſ.
Jeſu amátor noſter, miſ.
Jeſu Deus pacis, miſ.
Jeſu Autor vitæ, miſ.
Jeſu exémplar virtútum, miſerére nobis.
Jeſu zelátor animárum, miſerére nobis.
Jeſu Deus noſter, miſ.
Jeſu refúgium noſtrũ, miſ.
Jeſu Pater paúperum, miſ.
Jeſu theſaúrus fidélium, miſerére nobis.
Jeſu bone Paſtor, miſ.
Jeſu lux vera, miſ.
Jeſu Sapiéntia ætérna, miſ.
Jeſu bónitas infiníta, miſ.
Jeſu via & vita noſtra, miſ.
Jeſu gaúdium Angelórum, miſerére nobis.
Jeſu Magíſter Apoſtolórum, miſ.
Jeſu Doctor Evangeliſtárum, miſ.
Jeſu fortitúdo Mártyrum, miſerére nobis.
Jeſu lumen Confeſsórum, miſerére nobis.
Jeſu púritas Vírginum, miſerére nobis.
Jeſu coróna Sanctórum ómnium, miſ.
Propítius eſto, Parce nobis, Jeſu.
Propítius eſto, Exaúdi nos, Jeſu.
Ab omni malo, Líbera nos, Jeſu.
Ab ira tua, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera.
A ſpíritu fornicatiónis, líbera nos, Jeſu.
A morte perpétua, líbera.
A negléctu inſpiratiónum tuárum, líbera.
Per myſtérium ſanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per Nativitátem tuam, líbera nos, Jeſu.
Per Infántiam tuam, líbera.
Per diviníſſimam Vitam tuam, líbera.
Per Labóres tuos, líbera.
Per Agóniam & Paſſiónem tuam, líbera.
Per Crucem & Derelictiónem tuam, líbera.
Per Languóres tuos, líbera.
Per Mortem & Sepultúram tuam, líbera.
Per Reſurrectiónem tuam, líbera nos, Jeſu.
Per Aſcenſiónem tuam, líbera nos, Jeſu.
Per Gaúdia tua, líbera.
Per Glóriam tuam, líbera.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis, Jeſu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exaúdi nos, Jeſu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miſerére nobis, Jeſu.

Orémus.

DOmine Jeſu, cujus Nomen nemo cum fructu dícere poteſt, nisi in Spíritu ſancto; concéde, quæſumus, illud ſacratíſſimum Nomen invocántibus, ómnium remiſſiónem peccatórum; Qui vivis & regnas in sécula ſeculórum. ℟. Amen.

LITANIÆ
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Kyrie, eléiſon.
Chriſte, eléiſon.
Kýrie, eléiſon.
Chriſte, audi nos.
Chriſte, exaúdi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerére nobis.
Fili Redémptor mundi Deus, Miſerére nobis.
Spíritus ſancte Deus, Miſerére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, Miſerére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora pro nobis.
Mater Chriſti, ora.
Mater divínæ grátiæ, ora.
Mater puríſſima, ora.
Mater caſtíſſima, ora.
Mater invioláta, ora.
Mater intemeráta, ora.
Mater amábilis, ora.
Mater admirábilis, ora.
Mater Creatóris, ora.
Mater Salvatóris, ora.
Virgo prudentíſſima, ora.
Virgo veneránda, ora.
Virgo prædicánda, ora.
Virgo potens, ora.
Virgo clemens, ora.
Virgo fidélis, ora.
Spéculum juſtítiæ, ora.
Sedes ſapiéntiæ, ora.
Cauſa noſtræ lætítiæ, ora.
Vas ſpirituále, ora.
Vas honorábile, ora.
Vas insígne devotiónis, ora pro nobis.
Roſa mýſtica, ora.
Turris Davídica, ora.
Turris ebúrnea, ora.
Domus aúrea, ora.
Fœ́deris arca, ora.
Jánua cœli, ora.
Stella matutína, ora.
Salus infirmórum, ora.
Refúgium peccatórum, ora.
Conſolátrix afflictórum, ora pro nobis.
Auxílium Chriſtianórum, ora pro nobis.
Regína Angelórum, ora.
Regína Patriarchárum, ora.
Regína Prophetárum, ora.
Regína Apoſtolórum, ora.
Regína Mártyrum, ora.
Regína Confeſſórum, ora.
Regína Vírginum, ora.
Regína Sanctórum ómnium, ora.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exaúdi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miſerére nobis.

Orémus.

Famulórum tuórum, quæſumus, Dómine, delíctis ignóſce; ut qui tibi placére de áctibus noſtris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini noſtri interceſſióne ſalvémur; Per eúmdem Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

SELECTI

SELECTI CONCILIORUM CANONES

Singulis diebus ad Primam legendi.

PARS AUTUMNALIS.

✱ *Deſignat Concilium Generale ſeu Œcumenicum.*

✚ *Deſignat Concilium Nationale, ſeu totius, aut ferè totius Eccleſiæ Gallicanæ.*

✤ *Deſignat Concilium Provinciale, ſeu Provinciæ Turonenſis aut ſaltèm Aremoricæ.*

✙ *Deſignat Concilium aliud à præfatis, at Eccleſiæ universæ reverentiâ conſecratum.*

De moribus & officiis Canonicorum.

FERIA IV.
HEBD. XI.
POST PENTECOSTEN.
Ex Concílio Turonénſi. ✤
Ann. 1583. *Cap.* 13.

DIvínis Officiis peráctis, Canónicos opórtet libros, præsértim ſacros légere, non verò huc & illuc diſcúrrere & vagári, aut déſides eſſe: multùm enim ínteresſt Reipúblicæ Chriſtiánæ, ut ſint in Eccléſia viri docti, qui cœteros ad juſtitiam & pietátem invítent & erúdiant.

FERIA V.
Ex Concílio Turonénſi. ✤
Ann. 1583. *Cap.* 13.

NE Canónici ob librórum penúriam à lectióne ſe excusáre váleant, provideátur in unaquáque Eccléſia Cathedráli & Collegiáta, de Bibliothéca, in qua boni libri, & ab Eccléſia Cathólica recépti, potiſſimùm ſacri, juríſque divíni & canónici, recondántur.

FERIA VI.
Ex Concílio Turonénſi. ✤
Ann. 1583. *Cap.* 13.

PŒnitentiárii munus, in quálibet Eccléſia Cathedráli cùm ſit pernecesſárium, & qui eo fungúntur exímiæ ſciéntiæ eſſe débeant, Graduáto qui ſit ſaltèm in Theológia, vel jure canónico Baccalaúreus formátus, & annórum quadragínta, cum unióne prebéndæ próximè vacatúræ, niſi ratióne ejúſdem Pœnitentiáriæ dudùm eréctæ, ſatìs hábeat unde cómmodè & honéſtè vívere poſſit, conférri vólumus & mandámus.

SABBATO.
Ex Concílio Turonénſi. ✠
Ann. 1583. *Cap.* 15.

UT Divina, tam in Cathedrálibus quam áliis Collegiátis Eccléſiis decenter celebréntur, vólumus ut à cǽtero omnes & ſinguli in Choro exiſténtes, ad Cantóris juſſum vel altérius in Choro præpóſiti vel præponéndi, obedíre teneántur.

De divini Officii publica celebratione, & privata recitatione.

DOMINICA XII.
POST PENTECOSTEN.
Ex Concílio Nicǽno primo. ✠
Ann. 325. *Can.* 11.

SEpties in Die orent. Primò ad matútinum. Secúndò horâ térttâ diéi. Tértiò horâ ſextâ. Quartò horâ nonâ. Quintò ad Véſperas. Sextò ad Completórium. Séptimò ad Noctúrnum, ut ímpleant dictum beáti Davídis in Pſalmis dicéntis: Sépties in die laudo te ſuper judícia tua.

FERIA II.
Ex Concílio Aquiſgranénſi. ✠
Ann. 816. *Lib.* 1. *Cap.* 132.

STudéndum ſolérter eſt, ut cùm Ecclésiam, vel ad divínæ laudis débita ſolvénda, vel ad agénda Miſſárum ſolémnia intrámus, ſemper Angélicæ præséntiæ mémores cum timóre & veneratióne competénti, cœléſte compleámus Offícium.

FERIA III.
Ex Concílio Aquiſgranénſi. ✠
Ann. 816. *Lib.* 1. *Cap.* 132.

CAvéndum ne ſi, quod abſit, cœléſte Offícium negligénter aut inhonéſtè, vel tépidè explevérimus, & ad perficiéndum pigri advenérimus, in ſenténtiam quâ dícitur: Maledíctus qui opus Dei fécerit negligénter, miſerabíliter labámur.

FERIA IV.
Ex Concílio Mediolanénſi primo. ✠
Ann. 1565. *Part.* 2. *Tit.* 21.

QUi ſacris initiáti Benefícium Eccleſiáſticum non habent, ſi divínum prætermíſerint Offícium, propter grave peccátum quod commíttunt, grávitcr étiam ab Epíſcopis in eos animadvertátur.

FERIA V.
Ex Concílio Mediolanénſi quarto. ✠
Ann. 1576. *Part.* 3. *Cap.* 2.

SAcérdos Clericúſve Sacris initiátus, aut Eccleſiáſticum Benefícium óbtinens, horárum Canonicárum Offício cùm adſtríctus ſit, ſi quando córporis infirmitáte affléctus eſt, ipſe pro ſua conſciéntia rectè vídeat quid præſtáre poſſit, ac ne omitténdo gráviter peccet, & Benefícii

quod habet, fructus ſuos non fáciat.

FERIA VI.

Ex Concílio Baſileénſi. ✱

Ann. 1435. *Can.* 3.

SI quis Príncipem ſéculi rogatúrus, hábitu honéſto, geſtu decénti, prolatióne non præcípiti, ſed diſtinctâ, attentâque mente, ſeipſum ac verba ſtudet compónere, quantò diligéntiùs in loco ſacro omnipoténtem oratúrus Deum, hæc omninò fácere curábit?

SABBATO.

Ex Concílio Baſileénſi. ✱

Ann. 1435. *Can.* 3.

STátuit ſancta Sýnodus, ut in cunctis Cathedrálibus ac Collegiátis Eccléſiis, horis débitis, ſignis cóngruâ pulſatióne præmíſſis laudes divínæ per ſíngulas horas non curſim ac feſtinánter, ſed tractìm, & cum páuſa decénti, præſértim in médio cujúſlibet verſículi pſalmórum, débitam faciéndo inter ſolémne ac feriále Officium differéntiam, reverénter ab ómnibus perſolvántur.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 13.

CUm in Choro fúerint Canónici, gravitátem ſervent, quam & locus & officium éxigunt, non inter ſe aut cum áliis confabulántes ſeu colloquéntes, non dormiéntes, aut lítteras ſeu ſcriptúras álias legéntes. Cúmque pſalléndi grátiâ ibídem conſédeant, muta aut clauſa lábia non téneant, ſed omnes in pſalmis, hymnis & cánticis, Deo álacriter moduléntur.

FERIA II.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 13.

CUm dícitur: Glória Patri, omnes aſſúrgant. Cùm nominátur illud glorióſum nomen, Jeſus, in quo omne genu fléctitur, cœléſtium, terréſtrium & infernórum, omnes caput inclínent: itidémque faciéndum præcipit Sýnodus, cùm Vírginis Maríæ nomen pronunciátur.

FERIA III.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 13.

DUm ſancta Evangélia, in Eccléſia recitántur, Sacerdótes & cóeteri omnes, non ſedéntes, ſed venerabíliter in conſpéctu Evangélii ſtantes diſcoopérto cápite, Domínica verba atténtè aúdiant, & fidéliter adórent.

FERIA IV.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 13.

DIvínum Eccléſiæ Officium, non incondítis vócibus, nec laſcívis impudicárum cantiónum módulis, decantétur: ſi quis contrà fécerit, juxta conſtitutiónem Joánnis vicéſimi ſecúndi, quæ íncipit, Doc-

ta ſanctórum Patrum auctóritas, puniátur.

FERIA V.

Ex Concílio Turonénſi.

✠

Ann. 1583. *Cap.* 13.

HOras Canónicas in Ecclésia dictúri, cùm túnica talári, ac ſuperpellíciis mundis, vel cappis, cujúſque loci ſerváto more, Ecclésias ingrediántur, birétá tenéntes in cápite vel capúcia, juxta témporum & regiónum diverſitátem.

FERIA VI.

Ex Concílio Turonénſi.

✠

Ann. 1583. *Cap.* 13.

UT Canónici his diligéntiùs inténdant, qui pungéndi offício deputabúntur, Eccleſiaſticórum actiónes obsérvent, ut ſi decréta hujúſmodi negléxerint, fructus illíus Horæ quâ chorum exíerint, perdant: & ſi in Ecclésia unâ Horâ divíni Officii vagári viſi fúerint, totíus diéi frúctibus priventur.

SABBATO.

Ex Concílio Turonénſi.

✠

Ann. 1583. *Cap.* 13.

IN ómnibus étiam áliis Ecclésiis, tam ſeculáribus & reguláribus quàm paræciálibus, vólumus accuráté ſervári, ut in his ceſſent ómnia, quæ divínum poſſunt turbáre Officium; ne ubi peccatórum eſt vénia peténda, ibi gráviùs peccándi detur occáſio.

DOMINICA XIV.

POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Baſiléenſi.

Ann. 1435. *Can.* 5.

QUoſcúmque Beneficiátos, ſive in Sacris conſtitútos, cùm ad horas Canónicas teneántur, ádmonet hæc ſancta Sýnodus, ſi oratiónes ſuas Deo accéptas fore cúpiunt, ut non in gútture vel inter dentes, ſeu deglutiéndo aut ſyncopándo dictiónes, nec collóquia vel riſus intermiſcéndo; ſed ſive ſoli, ſive aſſociáti, diúrnum noctúrnúmque officium reverénter verbiſque diſtínctis péragant, ac tali loco, unde à devotióne non retrahántur, ad quam ſe diſpónere ac præparáre debent, juxta id quod ſcriptum eſt: Ante oratiónem præpara ánimam tuam.

FERIA II.

Ex Concílio Aquiſgranénſi. ✠

Ann. 816. *Lib.* 1. *Cap.* 131.

QUamvis ubíque Dóminum per poténtiam divinitátis novérimus eſſe, præcípuè tamen eum, cùm divíno aſſíſtimus Officio, per grátiam nobis crédimus adéſſe.

FERIA III.

Ex Concílio Milevitáno ſecúndo. ✠

Ann. 416. *Can.* 12.

PReces vel oratiónes quæ probátæ fúerint, ab ómnibus celebréntur; ne fortè

áliquid contra fidem, vel per ignorántiam, vel per minus ſtúdium ſit compóſitum.

F e r i a IV.

Ex Concílio Narbonénſi.

✠

Ann. 589. *Can.* 2.

HOc definítum eſt, ut in pſalléndis ordínibus, per quemque Pſalmum Glória dicátur omnipoténti Deo: per majóres verò Pſalmos, prout fúerint prolixióres, pauſatiónes fiant, & per quamque pauſatiónem, glória Trinitátis Dómino decantétur.

F e r i a V.

Ex Concílio Aquiſgranénſi. ✠

Ann. 816. *Lib.* 1. *Cap.* 137.

CAntórum pſalmódia ánimos pópuli circumſtántis ad memóriam amorémque cœléſtium, non ſolùm ſublimitáte verbórum, ſed étiam ſuavitáte tonórum érigat. Pſalmi in Eccléſia, non excélſis atque inordinátis vócibus, ſed planè ac dilúcidè & cum compunctióne cordis recitántur, ut & recitántium mens illórum dulcédine paſcátur, & audiéntium aures illórum pronuntiatióne demulceántur.

F e r i a VI.

Ex Sýnodo Mediolanénſi quarta. ✠

Ann. 1574. *Decret.* 20.

SAcérdos, Clericúſve ſacris initiátus, aut Eccleſiáſticum Beneficium óbtinens, ne morbi quidem causâ, quo labórat, Canónicárum horárum Officium omíttat, niſì is ità gráviter morbo labóret, ut plenè ſéntiat ſe illíus gravitáte impedíri quóminùs ſtatas preces horárias recitáre poſſit.

S a b b a t o.

Ex Sýnodo Mediolanénſi quarta. ✠

Ann. 1574. *Decret.* 21.

CLérici, cùm precum Canonicárum Officium præſtant, in Eccléſiam, ſi domus ſit conjúncta, aut ſaltèm domi in locum quoàd fieri poteſt, precatióni aptiórem ſe recípiant; ut ánimo qui díſtrahi quandóque ſolet, ſe colligéntes, orent ſpíritu, orent páriter & mente in conſpéctu Dómini, à quo ubérrimum hujus débitæ pietátis fructum cápient.

De precibus pro Defunctis, de Exequiis & Cœmeteriis.

DOMINICA XV.
POST PENTECOSTEN.
Ex Concilio Tridentino. ✠
Ann. 1563. *Seſſ.* 25. *in Decret. de Purgator.*

CUrent Epiſcopi, ut Fidélium vivórum ſuffrágia, Miſsárum ſcílicet Sacrificia, oratiónes, eleemóſynæ, aliaque pietátis ópera, quæ à Fidélibus pro áliis Fidélibus defúnctis fieri conſuevérunt, ſecúndùm Ecclésiæ inſtitúta piè & devótè fiant; & quæ pro illis ex teſtatórum fundatiónibus, vel aliâ ratióne debéntur, non perfunctóriè, ſed à Sacerdótibus diligénter & accuráte perſolvántur.

FERIA II.
Ex Concilio Tridentino. ✠
Ann. 1563. *Seſſ.* 25. *in Decret. de Purgator.*

APud rudem plebem difficilióres ac ſubtilióres quæſtiónes de Purgatório, quæ ad ædificatiónem non fáciunt, & ex quibus plerúmque nulla ſit pietátis accéſſio, à popuIáribus conciónibus ſecludántur. Incérta, & quæ ſpécie falſi labórant, evulgári ac tractári non permíttant. Ea verò quæ ad curioſitátem quamdam aut ſuperſtitiónem ſpectant, vel turpe lucrum ſápiunt, tanquam ſcándala prohíbeant.

FERIA III.
Ex Concilio Nannetenſi primo. ✠
Ann. 658. *Cap.* 15.

LIcèt ſicut vilis ſepultúra non obeſt, ità nec proſit ſumptuóſa, decet tamen ut corpus mortále ac cadúcum, tanquam váſculum quo ánima ipſa ad imáginem Dei effigiáta conclúditur, & quo tanquam inſtruménto ad bona ópera peragénda Spíritus ſanctus operátus eſt, decénter & reverénter terræ de qua plaſmátum eſt, reddátur, & à brutis quoquómodo dífferat, quod aliquando cum glória reſurrectúrum ſperándum eſt.

FERIA IV.
Ex Concilio Nannetenſi primo. ✠
Ann. 658. *Cap.* 15.

LOcus ſepultúræ Fidélium eſt Cœmetérium ad hoc conſecrátum. Infra Ecclésiam verò, aut propè altáre, ubi Corpus Dómini & Sanguis conficitur, nulláterùs hábeat Présbyter licéntiam ſepeliéndi.

FERIA V.
Ex Concilio Mediolanenſi quarto. ✠
Ann. 1576. *Part.* 1. *Tit.* 17.

CŒmetéria Rectóri, aut étiam áliis úſui ne ſint, res profanas conferre, aſpor-

tántibus, hâcque & illâc per Eccléſiam sácraque loca quaſi per viam públicam tranſeúntibus.

FERIA VI.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 18.

EOs qui oblatiónes ſeu legáta & pia relícta defunctórum aut negant, aut sólvere recúſant, illorúmve teſtaménta ſeu codicíllos celant, & dolósè rétinent, tanquam animárum egéntium necatóres, ex Concílio Agathénſi, excommunicatióni ſubjacére decérnimus.

SABBATO.

Ex Concílio Mediolanénſi quarto. ✠

Ann. 1576. *Part.* 1. *Tit.* 14.

COEmetéria ut muro, vel áliàs, tutè úndique ſepiántur, & eórum ingréſſus béſtiis occludátur, curet Epíſcopus diligénter, & in eórum médio crux fírmiter erécta ſit.

De ambitione à Clero fugienda.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Moguntíno.

✠

Ann. 816. *Lib.* 1. *Can.* 10.

CLérici amórem pecúniæ, quaſi matériam cunctórum críminum fúgiant; ſeculária negótia officiáque abjíciant: honórum gradus per ambitiónem non súbeant: dolos & conjuratiónes cáveant: ódium, æmulatiónem, obtrectatiónem atque invídiam fúgiant.

FERIA II.

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

✠

Ann. 816. *Lib.* 1. *Can.* 14.

SUnt nonnúlli, qui intrà ſanctam Eccléſiam per ſpéciem regíminis glóriam affécťant honóris. Vidéri doctóres áppetunt, tranſcéndere cǽteros concupíſcunt, atteſtánte veritáte: primos recúbitus in cœnis, primas in convéntibus cáthedras quærunt: qui ſuſcéptum curæ paſtorális offícium dignè miniſtráre tantò magìs néqueunt, quantò ad humilitátis magiſtérium ex ſola elatióne pervenérunt.

FERIA III.

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

✠

Ann. 816. *Lib.* 1. *Can.* 14.

COntra indígnos Paſtóres Dóminus per Prophétam quéritur: Ipſi regnavérunt, & non ex me: príncipes extitérunt, & non cognóvi. Ex ſe namque, & non ex arbítrio ſummi Rectóris regnant, qui dívinitùs non vocáti, ſed ſua cupiditáte ſuccénſi, culmen regíminis rápiunt, pótiùs quàm aſſequúntur.

FERIA IV.

Ex Concílio Chalcedonénſi. *

Ann. 451. *Action.* 15. *Can.* 23. *verſ. arabic.*

AD ſanctam Sýnodum relátum eſt, quòd nonnúlli è Sacerdótibus ad urbem véniant, & in ea longo témpore commoréntur, ut fidéles ſibi amicítiâ conjúngant; ídque hoc ánimo, ut eo modo magnas ſibi opes acquírant, aut fácilè obtíneant quidquid velint. Quocircà ſanctæ Sýnodo viſum eſt, ut omnes qui hoc modo ſe habent, ex urbe ejiciántur, & ad loca ſua rédeant.

FERIA V.

Ex Concílio Arvernénſi. ✠

Ann. 535. *Can.* 2.

PLácuit ut ſacrum quis Pontifícii honórem, non votis quærat, ſed méritis: nec divínum videátur munus rebus comparáre ſed móribus: atque eminentíſſimæ dignitátis ápicem ſuffrágiis conſcéndat ómnium, non favóre paucórum. Sit in eligéndis Sacerdótibus cura præcípua; quia irreprehensíbiles eſſe cónvenit, quos præéſſe neceſſe eſt corrigéndis.

FERIA VI.

Ex Concílio Arvernénſi. ✠

Ann. 535. *Can.* 2.

DIligénter quiſquis inſpíciat prétium Domínici gregis, ut ſciat quod méritum conſtituéndi decéat eſſe paſtóris. Epiſcopátum ergo deſíderans, non patrocínia poténtum adhíbeat, non calliditáte ſúbdolâ ad conſcribéndum decrétum álios hortétur prǽmiis, álios timóre compéllat. Quòd ſi quis fécerit, Eccléſiæ cui indígnus præéſſe cupit, communióne privábitur.

SABBATO.

Ex Concílio Aquiſgranénſi. ✠

Ann. 816. *Lib.* 1. *Cap.* 14.

QUid eſt potéſtas cúlminis, niſi tempéſtas mentis? Inter hæc ítaque quæ protúlimus perícula, quid ſequéndum eſt, quid tenéndum, niſi ut virtútibus pollens, coáctus ad régimen véniat; virtútibus vácuus, nec coáctus accédat?

De Scholis, & Seminariis.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Tridentíno. *

Ann. 1563. *Seſſ.* 23. *Cap.* 18. *de Reformat.*

CUm adoleſcéntium ætas, niſi rectè inſtituátur, prona ſit ad mundi voluptátes ſequéndas, ſancta Sýnodus ſtátuit, ut ſingulæ Cathedráles, Metropolitánæ, atque his majóres Eccléſiæ, pro modo facultátum & Diœcéſis amplitúdine, certum puerórum ipsíus civitátis, & diœcéſis, vel ejus

nciæ, ſi ibi non repe-
ır, númerum in Col-
ad hoc propè ipſas Ec-
s, vel álio in loco con-
nti ab Epíſcopo eli-
›, álere, ac religiósè
ıre, & Eccleſiáſticis
línis inſtitúere teneán-

FERIA II.
oncílio Tridentíno. ✱
1563. *Seſſ.* 23. *Cap.* 18. *de Reform.*
Seminário recipiántur
ad mínimùm duóde-
ınnos attígerint, & ex
mo matrimónio nati
ac légere & ſcríbere
eténter nóverint, &
ım índoles & volúntas
áfferat eos Eccleſiáſti-
iniſtériis perpétuò in-
úros. Paúperum au-
fílios præcípuè éligi
ancta Sýnodus, nec
ı ditiórum exclúdit,
ſuo ſumptu alán-

ERIA III.
oncílio Turonénſi. ✠
ın: 1583. *Cap.* 21.
ıinárii Clericórum inſ-
útio & eréctio cùm ſit
ceſsária, illiúſque uſus
s de cauſis & ratióni-
cclésiæ Cathólicæ ſu-
ɔdùm útilis, & ab
ɔus fidélibus Cathólicis
s antè annis exoptá-
in ſíngulis Diœcéſibus
Seminárium ad ſacro-
Concílii Tridentíni
i formam, inſtituén-
& erigéndum eſſe de-
nus & ordinámus.

FERIA IV.
Ex Concílio Turonénſi. ✠
Ann. 1583. *Cap.* 21.

CUm ſingulárum Diœcéſum non ſit una & éadem rátio, ideóque ómnibus una régula præſcríbi non poſſit, ipſos Epíſcopos quantùm póſſumus impénsè & obníxè hortámur & obſecrámus, atque étiam eis injúngimus ſuâ quemque in Diœcéſi Seminárii inſtitutióni non minùs ſanctè quàm piè adeò ſollícitè invigiláre, ut intrà triénnium dictum Seminárium inſtituátur.

FERIA V.
Ex Concílio Turonénſi. ✠
Ann. 1583. *Cap.* 21.

SI in áliqua Provínciâ, Ecclésiæ tantâ paupertáte labórent, ut Collégium érigi non poſſit, Sýnodus Provinciális, vel Metropolitánus cum duóbus antiquióribus Suffragáneis, in Ecclésia Metropolitána vel ália Ecclésia commodióri, unum aut plura Collégia, próut opportúnum judicábit, ex frúctibus duárum aut plúrium Eccleſiárum, erigénda curábit, ubi púeri illárum Eccleſiárum educéntur.

FERIA VI.
Ex Concílio Turonénſi. ✠
Ann. 1583. *Cap.* 21.

EPíſcopi, véteres ſcholas inſtauràri, & quæ ad illas pértinent, ſollícitè requíri procúrent, híſque preceptóres non tantùm litterátos, ſed étiam Cathólicos & morum converſatióne graves

præficiant: qui púeros docére teneántur ea quæ ad religiónem & bonos mores pértinent.

SABBATO.
Ex Concílio Cabillonénſi ſecúndo. ✠
Ann. 813. *Can.* 3.

SCholas Epíſcopi conſtítuant, in quibus & litteræ ſolértia diſciplínæ, & ſacræ Scriptúræ documénta diſcántur, & tales ibi erudiántur quibus méritò dicátur à Dómino: Vos eſtis ſal terræ; & qui condiméntum plébibus eſſe váleant; & quorum doctrínâ non ſolùm divérſis hæréſibus, verùm étiam Antichríſti mónitis, & ipſi Antichríſto reſiſtátur.

De iis qui pœnitentiam tantùm in extremis vitæ poſtulant.

DOMINICA XVIII.
POST PENTECOSTEN.
Ex Concílio Arauſicáno primo. ✠
Ann. 441. *Can.* 12.

SUbitò obmutéſcens, prόut ſtatus ejus eſt, baptisári aut pœniténtiam accípere poteſt, ſi voluntátis, aut prætéritæ teſtimónium aliórum verbis habet, aut præséntis in ſuo nutu.

FERIA II.
Ex Concílio Carthaginénſi. ✠
Ann. 398. *Can.* 76 & 79.

QUi pœniténtiam in infirmitáte petit, ſi caſu dum ad eum Sacérdos invitátus venit, oppréſſus infirmitáte obmutúerit, vel in phréneſim verſus fúerit, dent teſtimónium qui eum audiérunt, & accípiat pœniténtiam: & ſi continuò credítur moritúrus, reconciliétur per manûs impoſitiónem. Si ſupervíxerit, admoneátur petitióni ſuæ ſatisfáctum; & ſubdátur ſtatútis pœniténtiæ légibus, quándiu Sacérdos qui pœniténtiam dedit, probáverit.

FERIA III.
Ex Concílio Mediolanénſi tértio. ✠
Ann. 1573. *Cap.* 9.

SI quis morbo vel repentíno áliquo caſu ſenſum omnem amíſerit, ut nihil planè intélligat, Extrémæ-Unctiónis Sacraméntum ei miniſtrári líceat; ſi modò, dum uſum ratiónis habéret, pii ánimi ſignificatiónem déderit, ut inde judicári poſſit, eum hoc Sacraméntum petitúrum, ſi adhuc íntegrâ mente eſſet.

FERIA IV.
Ex Concílio Epaonénſi. ✠
Ann. 517. *Can.* 35.

NE ullus ſinè remédio, aut ſpe véniæ, ab Eccléſiâ repellátur, néve ulli, ſi aut pœnitúerit, aut ſe cor-

réxerit, ad véniam redeúndi áditus obſtruátur. Sed ſi cui fórſitàn diſcrímen mortis immíneat, damnatiónis conſtitúta témpora relaxéntur. Quòd ſi ægrótum accépto Viático revaléſcere fortáſſe contíngit, ſtatúti témporis ſpátia obſerváre convéniet.

FERIA V.

Ex Epíſtola decretáli Cœleſtíni Papæ ad Epíſcopos Gálliæ. ✠

Ann. 429. *Decret.* 2.

AGnóvimus pœniténtiam moriéntibus denegári; nec illórum deſidériis ánnui, qui óbitûs ſui témpore hoc ánimæ ſuæ cúpiunt remédio ſubveníri. Horrémus, fáteor, tantæ impietátis áliquem reperíri, ut de Dei pietáte deſpéret: quaſi non poſſit ad ſe quóvis témpore concurrénti ſuccúrrere, & periclitántem ſub ónere peccatórum hóminem, pónere quo ſe expedíri desíderat, liberáre.

FERIA VI.

Ex Concílio Carthaginénſi. ✠

Ann. 397. *Can.* 34.

ÆGrotántes, ſi per ſe reſpondére non poſſunt, cùm voluntátis eórum teſtimónium hi qui ſui ſunt, perículo próprio díxerint, baptiséntur. Simíliter & de pœniténtibus agéndum eſt.

SABBATO.

Ex Concílio Toletáno. ✠

Ann. 675. *Can.* 4.

QUi pœniténtiam in mortis agit perículo, non diútinè à reconciliatiónis grátia differéndus eſt: ſed ſi procértò mortis urget perículum, pœniténtiâ per manûs impoſitiónem accéptâ, ſtatim ei reconciliátio adhibénda eſt: ne priùs ab humánis rebus æger abſcédat, quàm donum reconciliatiónis percípiat.

De Sanctificatione Diei Dominicæ, & aliarum Feſtivitatum.

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Tridentíno. ✠

Ann. 1562. *Seſſ.* 22. *decret. de obſervand. & evitand. in celeb. Miſſæ.*

PAſtóres dóceant pópulum, quis ſit & à quo potíſſimùm provéniat ſanctíſſimi Miſſæ ſacrifícii fructus. Móneant étiam eúmdem pópulum, ut frequénter ad ſuas Paróchias, ſaltèm diébus Domínicis & majóribus Feſtis accédant.

FERIA II.

Ex Concílio Tridentíno. ✠

Ann. 1563. *Seſſ.* 25. *decret. de Indulg. & dieb. Feſt.*

HOrtátur ſancta Sýnodus, & per ſanctíſſimum Dómini noſtri atque Salvatóris advéntum Paſtóres omnes obteſtátur, ut quæ

tam in hoc Concílio, quàm in áliis Œcuménicis ſtatúta ſunt, quibuſcúmque fidélibus ſéduló comméndent, omníque diligéntiâ utántur, ut illis ómnibus, & iis præcípuè ſint obſequéntes, quæ ad mortificándam carnem condúcunt, & quæ fáciunt ad pietátem augéndam, ut diérum Feſtórum devóta & religióſa celebrátio.

FERIA III.

Ex Concílio Tridentíno. ✱
Ann. 1562. *Seſſ.* 23. *decret. de Reform. Cap.* 1.

SYnodus Epíſcopos hortátur ne Domínicis Advéntûs, Quadragéſimæ, Nativitátis, Reſurrectiónis Dómini, Pentecóſtes itèm, & Córporis Chriſti diébus, quibus réfici máximè & in Dómino gaudére Paſtóris præséntiâ oves débeant, ipſi ab Eccléſia ſua Cathedráli ullo pacto abſint.

FERIA IV.

Ex Concílio Pariſiénſi ſexto. ✠
Ann. 829. *Can.* 50.

SAcerdótes, Reges, Príncipes, cunctíque fidéles ſummópere procúrent, ut diéi Domínici débita obſervátio, nunc uſque magna ex parte negléćta, devótiùs exhibeátur. Si Judǽi Sábbatum carnáliter cuſtodiéntes, eo die ab opéribus ſe ábſtinent, quantò magis Chriſti grátiâ redémptis cónvenit ut eo die quo Autor vitæ reſurréxit, eiſque ſpem reſurgéndi concéſſit, ab his ſe abſtíneant, & laúdibus cœléſtibus toto cordis annísu vacáre ſátagant?

FERIA V.

Ex Concílio Aurelianénſi tértio. ✠
Ann. 538. *Can.* 28.

QUia perſuáſum eſt pópulis die Domínico agi cum vehículis itínera non debére, neque ullam rem ad victum præparáre, vel ad nitórem domûs vel hóminis pertinéntem ullátenùs exercére, id ſtatúimus, ut die Domínico, quod ántea fieri lícuit, líceat. De ópere tamen rurâli, id eſt arátro, vel vínea, vel ſectióne, meſſióne, excuſſióne, exérto, vel ſepe censúimus abſtinéndum.

FERIA VI.

Ex Concílio Matiſconénſi. ✠
Ann. 585. *Cap.* 1.

CUſtodíte diem Domínicam quæ nos dénuò péperit, & à peccátis ómnibus liberávit. Nullus veſtrûm lítium fomítibus vacet, nullus cauſárum actiónes exérceat: nemo ſibi talem neceſſitátem exhíbeat, quæ jugum cervícibus juvencórum impónere cogat. Non quia hoc Dóminus noſter à nobis éxpetit ut corporáli abſtinéntiâ diem Domínicum celebrémus, ſed quærit obediéntiam per quam nos, terrénis calcátis áctibus, ad cœlum uſque miſericórditer próvehat.

SABBATO.

Ex Concílio Arelaténſi. ✠
Ann. 813. *Can.* 16.

PResbýteri pópulo ſibi commíſſo prædicáre non négligant, ne Domínicis diébus pública mercáta, neque cauſatiónes diſceptatiónéſque exerceántur, & pénitùs à ruráli & ſervíli ópere ceſſétur, his ſolúmmodò peráctis quæ ad Dei cultum & ſervítium pertinére noſcúntur.

DOMINICA XX.
POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Turonénſi. ✠
Ann. 1583. *Cap.* 15.

SAnctórum Patrum antíqua decréta renovántes, ómnibus & ſíngulis Chriſti fidélibus, ſuis Miſſis Parœciálibus, & áliis ſuárum Parœciárum divínis offíciis, ſíngulis diébus Domínicis & Feſtivis interéſſe, diſtríctè præcípimus.

FERIA II.

Ex Concílio Turonénſi. ✠
Ann. 1583. *Cap.* 15.

FIdéles, ſi per tres dies Domínicos contínuè ſequéntes abéſſe contíngat à Miſſa Parochiáli, niſi legítimo impediménto retineántur, pœnas à ſacris Canónibus indíctas, incúrrere declarámus, quod illis ſui Rectóres & Confeſſárii ſæpiùs inculcáre non omíttant.

FERIA III.

Ex Concílio Turonénſi. ✠
Ann. 1583. *Cap.* 15.

NE pretéxtu divinórum Officiórum quæ in áliis Eccléſiis quàm Parœciálibus, celebrári ſolent, revocári aut diſtrahi poſſint fidéles, Majórem Miſſam & Véſperas in Eccléſiis Cathedrálibus, Collegiátis & Monaſtériis, poſt Parœciále Offícium inchoári decérnimus.

FERIA IV.

Ex Concílio Turonénſi. ✠
Ann. 1583. *Cap.* 15.

EPiſcopi Rectóribus certas horas, quibus majórem Miſſam & Véſperas in ſuis Eccléſiis celebráre teneántur, ità præſcríbant, ut Parœciálibus Divínis peráctis, ipſi Parœciáni ad Cathedrálem & Collegiátas, aliáſque Monaſteriórum Eccléſias, ad Divína in his audiénda, pro ſua devotióne, ſe tranférre váleant.

FERIA V.

Ex Concílio Turonénſi. ✠
Ann. 1583. *Cap.* 10.

PArochi quibus animárum cura commíſſa eſt, gregem ſuum ad Divína Offícia diébus ſíngulis ſi fieri poteſt audiénda, adhorténtur, præſértim Domínicis & áliis Feſtis.

FERIA VI.

Ex Concílio Turonénſi. ✠
Ann. 1583. *Cap.* 10.

CUm diébus Domínicis & Feſtis Dei laudes recitáre omnes débeant, verbum Dei audíre, & de innúmeris beneficiis quæ ab imménſa ſua bonitáte indeſinénter recípimus, grátias ágere, ac ſeſe opéribus ca-

ritátis aſſueſácere, ſciant omnes áliis non licére vacáre negótiis.

SABBATO.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1585. *Cap.* 10.

OMnibus prohibémus públicas nundínas & álios quoſcúmque mercátus, quâcúmque in contrárium conſuetúdine non obſtánte, diébus Domínicis potíſſimùm annuálibus & ſolémnibus Feſtis indícere & indíctas frequentáre, aliíſque profánis negótiis étiam domeſticis quæſtuóſis & mánuum opéribus inténdere: currus & equos ónera geſtántes dúcere, actus judiciários & contráctus celebráre, pignoráti & rerum executiónes fácere, niſi cùm jure nominátim permíſſum eſt.

De operibus caritatis & miſericordiæ erga proximum & domos hoſpitales pauperum & infirmorum.

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Cabillonénſi primo. ✠

Ann. 585. *Cap.* 1.

IMputátur quibúſdam frátribus, eò quòd avarítiæ causâ homínibus perſuádeant, ut abrenuntiántes século, res ſuas Eccléſiæ cónferant: quod pénitùs ab ómnium méntibus eradicándum eſt. Animárum quippe ſalútem inquírere, non lucra terréna debet Sacérdos.

FERIA II.

Ex Concílio Cabillonénſi primo. ✠

Ann. 585. *Cap.* 1.

ECcléſia ſancta non ſolùm fidéles ſpoliáre non debet, quin pótiùs inópibus opem ferre; ut neceſſitátem patiéntes à ſancta Eccléſia, ut putà à pia matre & ómnium gubernatríce, ſubsídium accípiant.

FERIA III.

Ex Concílio Mediolanénſi primo. ✠

Ann. 1565. *Part.* 2. *Cap.* 61.

STatútum eſt quæ bona fidélium píetas Deo conſecrávit, ea vel illórum neceſſitátibus honéſtè ſublevándis, qui Divínis dicári eſſent obſéquiis, vel Eccléſiis reficiéndis, earúmque ornaméntis ad Divínum cultum neceſsáriis comparándis, vel paupéribus ſuſtentándis, addícta eſſe.

FERIA IV.

Ex Concílio Mediolanénſi primo. ✠

Ann. 1565. *Part.* 2. *Cap.* 62.

QUi Beneficia óbtinent, meminerint ea bona non eſſe ſibi crédita ad luxum, neque ad augéndos conſanguíneos; ſed ad vitam honéſtè, ut pietátis Chriſtiánæ magiſtrum decet, traducéndam. Ex eo verò quod ſuperérit, ſuſte-

ceſſária paupéribus aliménta denegáverint, intélligant ſe, quos non páverint, occidiſſe.

FERIA V.

Ex Concílio Tridentíno. ✠
An. 1563. *Seſſ.* 25. *de Reform. Cap.* 1.

SYnodus Epíſcopis omninò interdícit, ne ex réditibus Eccléſiæ conſanguíneos familiaréſve ſuos augére ſtúdeant: cùm & Apoſtolórum Cánones prohíbeant, ne res Eccleſiáſticas quæ Dei ſunt, conſanguíneis donent; ſed ſi paúperes ſint, iis ut paupéribus diſtríbuant, nec díſſipent illórum causâ.

FERIA VI.

Ex Concílio Tridentíno. ✠
Ann. 1563. *Seſſ.* 25. *de Reform. Cap.* 1.

SAncta Sýnodus Epíſcopos monet, ut omnem humánum erga fratres, nepótes, propinquóſque carnis affectum, unde multórum malórum in Eccléſia ſeminárium extat, pénitùs depónant. Quæ verò de Epíſcopis dicta ſunt, éadem non ſolùm in quibuſcúmque Beneficia Eccleſiáſtica, tam ſeculária quàm regulária, obtinéntibus, pro gradûs ſui conditióne, obſervári, ſed & ad ſanctæ Románæ Eccléſiæ Cardináles pertinére decérnit.

SABBATO.

Ex Concílio Toletáno. ✠
Ann. 633. *Cap.* 38.

QUicúmque fidélium de facultátibus ſuis Eccléſiæ áliquid devotióne própriâ contulérunt, ſi fortè ipſi aut fílii eórum redácti fúerint ad inópiam, ab eádem Eccléſia ſuffrágium vitæ pro témporis uſu percípiant.

De Poteſtate Civili & Eccleſiaſtica, & obſequio ipſis debito.

DOMINICA XXII.
POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Pariſiénſi ſexto. ✠
Ann. 829. *Cap.* 8.

COnſtat Poteſtátem Regálem ómnibus ſibi ſubjéctis, ſecúndùm æquitátis órdinem consúltum ferre debére: & idcircò opórtet, ut omnes ſubjécti fidéliter & utíliter atque obediénter eídem páreant Poteſtáti: quóniam qui Poteſtáti à Deo ordinátæ reſíſtit, Dei útique ordinatióni, juxtà Apóſtoli documéntum resíſtit.

FERIA II.

Ex Concílio Pariſiénſi ſexto. ✠
Ann. 829. *Cap.* 3.

PRincipáliter totíus ſanctæ Dei Eccléſiæ corpus in duas exímias perſónas, in Sacerdotálem vidélicet & Regálem, ſicut à ſanctis Pátribus tráditum accépi-

mus, diviſum eſſe nóvimus. De qua re Geláſius Románæ Sedis venerábilis Epíſcopus, ad Anaſtáſium Imperatórem ità ſcribit: Duo ſunt, Imperátor Augúſte, quibus principáliter mundus hic régitur, autóritas ſacráta Pontíficum, & Regális potéſtas.

FERIA III.

Ex Concilio Pariſiénſi ſexto. ✠

Ann. 829. *Cap.* 8.

OBſéquium à ſubjéctis Régiæ poteſtáti impéndi debére, & legália præcépta apértè teſtántur, & Dóminus in Evangélio ádmonet, dicens: Réddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.

FERIA IV.

Ex Concílio Turonénſi tértio. ✠

Ann. 813. *Can.* 1.

PRimò ómnium, admonúimus generáliter cunctos, ut obediéntes ſint Dómino excellentíſſimo Imperatóri noſtro, & fidem quam ei promíſſam habent, inviolabíliter conſerváre ſtúdeant. Oratiónes quoque aſsíduas inténtè fúndere pro ejus ſtabilitáte ac incolumitáte omnes ſe velle, unanímiter profeſſi ſunt; ut miſericórdia divína longióri ævo illíus manſuetúdinem conſerváre dignétur.

FERIA V.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Tit.* 1.

SI quis, contra Régiam dignitátem, dolósè, callidè, ac perniciósè machinári comprobátus fúerit, niſi diligentíſſimè ſatisfécerit, anathematizétur.

FERIA VI.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Tit.* 1.

SI quis poteſtáti Regis, quæ non eſt niſi à Deo, contumáci ac infláto ſpíritu, contra autoritátem & ratiónem, pertináciter contradícere præſúmpſerit, & ejus juſtis impériis obtemperáre nolúerit, anathematizétur.

SABBATO.

Ex Concílio Cabillonénſi ſecúndo. ✠

Ann. 813. *Can.* 20.

SI inter omnes Fidéles pax & concórdia habénda eſt, multò magìs inter Epíſcopos & Cómites eſſe debet, qui poſt Imperiális ſeu Regális ápicis dignitátem pópulum Dei regunt. Ità enim inter ſe concordáre debent, ut altérutrùm ſibi ad Dei ſervítium peragéndum & miniſtérium ſuum expléndum, non ſolùm non nóceant, quin pótiùs adminículo ſint.

De Miraculis. De Sanctorum Reliquis, & Imaginibus.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Tridentíno. ✱
Ann. 1563. *Seſſ.* 25. *decret. de Invoc. SS.*

OMnis ſuperſtítio in Sanctórum invocatióne, Reliquiárum veneratióne, & Imáginum ſacro uſu, tollátur: omnis turpis quæſtus eliminétur, omnis dénique laſcívia vitétur: ità ut procáci venuſtáte Imágines non pingántur nec ornéntur: & Sanctórum celebratióne, ac Reliquiárum viſitatióne, hómines ad comeſſatiónes non abutántur, quaſi Feſti dies in honórem Sanctórum per luxum ac laſcíviam agántur.

FERIA II.

Ex Concílio Tridentíno. ✱
Ann. 1563. *Seſſ.* 25. *de Reliq. & invoc. SS.*

STátuit ſancta Sýnodus némini licére ullo in loco vel Eccléſia, étiam quomodólibet exémpta, ullam inſólitam pónere, vel ponéndam curáre Imáginem, niſì ab Epíſcopo approbáta fúerit: nulla étiam admitténda eſſe nova mirácula, nec novas Relíquias recipiéndas, niſì eódem recognoſcénte & approbánte Epiſcopo.

FERIA III.

Ex Concílio Turonénſi. ✚
Ann. 1583. *Cap.* 11.

SYnodus ad tolléndam omnem idolatríæ ſpéciem & occaſiónem, ſub anathématis pœna próhibet, ne quid Reliquiárum nómine, niſì adhíbitâ diligénti cognitióne & conſultatióne, juxtà canónicas ſanctiónes pópulo nóviter coléndum exhibeátur.

FERIA IV.

Ex Concílio Turonénſi. ✚
Ann. 1583. *Cap.* 11.

REliquiæ quæ à quibúſdam annis fuérunt propóſitæ, à conſpéctu hóminum auférri & reclúdi debent, donec Epíſcopus illas verè eſſe Sanctórum judicáverit: ſacris quippe ſanctiónibus magìs adversàri certum eſt, impurórum & ſcelerATórum oſſa, áliquo honóre cólere, quàm veras Sanctórum Relíquias débitâ veneratióne carére.

FERIA V.

Ex Concílio Turonénſi. ✚
Ann. 1583. *Cap.* 11.

NE Sanctæ Crucis ſignum, Sanctorúmve Imágines, in locis ſórdidis aut ubi pédibus átteri & conculcári poſſint, néve quid in Templis Scripturárum veritáti aut probátis Eccleſiáſticis hiſtóriis contrárium ſculpátur aut pingátur, quàm diſtrictíſſimè prohibémus, ne quod ab ómnibus ſummo eſt habéndum in honóre, hoc módo viléſcat. Ex Imáginis inſpectióne excitétur píetas, non verò turpi cogitatióni detur locus.

FERIA VI.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 11.

SExto Concílio Œcuménico Conſtantinopolitáno, & poſtrémo generáli inhæréndo, nullas Imágines aut Pictúras mentis corruptríces & ad turpes voluptátes incitatríces fieri ſancímus, Eccleſiaſticóſque omnes, nécnon láicos quoſcúmque monémus, ne ullas ab Epíſcopis non approbâtas in ſuis Eccléſiis collocári vel pópulo propóni prorsùs ſuſtineant.

SABBATO.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 11.

OPtámus atque jubémus nullas deinceps Statuas, vel Pictúras, quocúmque conſuetúdinis aut juris pretéxtu, altáribus appóni, quàm Sanctórum ab Eccléſia receptórum: quòd ſi quæ vivórum vel mortuórum hóminum exhibéndæ ſint, eo ſtatuéndas loco decérnimus, ubi nullam incáutæ plebéculæ idolatríæ cauſam præbére poſſint.

De Hæreticis.

DOMINICA XXIV.
POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Carthaginénſi. ✠

Ann. 398. *Can.* 70. 71 & 72.

CLéricus hæreticórum & ſchiſmaticórum tam convívia quàm ſodalitátes evítet æquáliter. Conventícula hæreticórum non Eccléſia ſed concília Diáboli appellántur. Cum hæréticis nec orándum nec pſalléndū.

FERIA II.

Ex Conſtitutiónibus Apoſtolórum. ✠

Can. 44.

EPíſcopus, vel Présbyter, vel Diáconus, qui cum hæréticis vel ſolùm comprecátus eſt, ſegregétur. Sin autem eis tanquam Cléricis áliquid operári permíſerit, deponátur.

FERIA III.

Ex Concílio Laodicéno. ✠

Ann. 372. *Can.* 7.

QUi ab hæréſibus convertúntur, non antè ſuſcipiántur quàm omnes hæréſes anathematizent, & præcípuè illam quâ detinebántur: tunc noſtræ doceántur fidei Sýmbolum, & ſic Myſtériis communícent ſacroſánctis.

FERIA IV.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 4.

PRóhibet hæc Sýnodus ne libri hæreticórum imprimántur, vendántur, legántur, aut retineántur omnínò, his demptis, quibus à ſummo Pontífice, vel de jure concéſſum eſt: jubétque, sícubi repérti fúerint, comburántur, ſub

anathématis pœna ; quam ipſo facto incúrrent, qui mínimè parúerint.

Feria V.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 4.

Fidéles hæréticis non aſſíſtant in his, quæ circa fidem ſunt inter nos controvérſa, præſértim in vitióſa & corrúpta Sacramentórum Baptíſmatis, Cœnæ, Matrimónii adminiſtratióne, cadaverúmque ſuórum ſepultúra, contra Eccléſiæ Cathólicæ ritum introdúcta : nec eórum conciónibus vel pótiùs perniciosórum dógmatum diſſeminatiónibus aliíſve eórum actiónibus Cathólicæ fídei adversántibus ullo modo intérſint.

Feria VI.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 4.

Cum Apóſtolo monénte, finis præcépti ſit cáritas, Epíſcopi, Concionatóres & Rectóres, ſuis in conciónibus hæréticos adhorténtur, ut à ſuis erróribus révocent & Chriſto lucrifáciant.

Sabbato.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1236. *Tit.* 13.

Diſpónant Epíſcopi in ſuis Diœcéſibus quáliter de novo convérſi erudiántur in fide & cómmodè ſuſtenténtur, & ſicut víderint expedíre ; ne ſub paupertátis prætéxtu, ad vómitum redíre cogántur.

De reverentia Eccleſiis aliiſque Locis ſacris debita.

DOMINICA XXV.

POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Aquiſgranénſi. ✠

Ann. 789. *Can.* 71.

Unuſquíſque veſtrûm vídeat per ſuam Paróchiam, ut Eccléſia Dei ſuum hábeat honórem, ſimul & altária ſecúndùm ſuam dignitátem veneréntur ; & ut Sacrifícia ſanctificáta cum magna diligéntia ab eis colligántur qui digni ſunt, vel cum honóre ſervéntur ; & ut ſeculária negótia vel vanilóquia in Eccléſiis non agántur : quia Domus Dei domus oratiónis debet eſſe, non ſpelúnca latrónum.

Feria II.

Ex Concílio Turonénſi ſecúndo. ✠

Ann. 567. *Can.* 4.

Laici ſecùs altáre, quò ſancta Myſtéria celebrántur, inter Cléricos tam ad Vigílias quàm ad Miſſas ſtare pénitùs non præſúmant ; ſed pars illa quæ à cancéllis versùs altáre divíditur, choris tantùm pſalléntium páteat Clericórum. Ad orándum verò & communicándum, láicis & féminis páteant Sancta Sanctórum.

FERIA III.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 15.

PRohibémus láicis, ne in Ecclésia, potiſſimùm durántibus Officiis, deámbulent, ſub pœna excommunicatiónis, quam contra eos qui móniti non deſtiterint pronunciári vólumus & mandámus.

FERIA IV.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 15.

STátuit hæc Sýnodus, ne quis collóquia ſua, in átrio alicújus Ecclésiæ conſtítuant habénda, mercéſve in cœmetério venáles expónant: inde enim fit, ut in ipſa Ecclésia, ſua exérceant negótia, ubi oratiónes & divína tantùm æquum eſt fieri Officia.

FERIA V.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 15.

UT in Ecclésia ſeſſiónum decens ordo ſervétur, ſancímus láicis dum divína peragúntur Officia non licére chorum præcípuè Cathedrálium Eccleſiárum íngredi, & inter Eccleſiáſticos ſedére; minúſque dum Sacérdos Sacris operátur, altáris ambitum cancellóſve ingredi, aut aliis [illegible] minimè ſeptis & ambi hærére.

FERIA VI.

Ex Concílio Turonénſi

✠

Ann. 1583. *Cap.* 15.

MUlieres ab ingr chori, non tantùm thedrálium ſed étiam legiatárum & aliárum q rumcúmque Eccleſiáru arceántur. Nemo verò quacúmque Ecclésia, ánimi ſui arbítrium, pro ſuo ſtatu ac quali locum óccupet.

SABBATO.

Ex Concílio Turonén

✠

Ann. 1583. *Cap.* 15

CErtis teſtimóniis didicérimus, pleri in Parœ́ciis, pravam il invaluíſſe conſuetúdin ut in Litániis & Proce nibus, miſceántur com tiónes & áliæ ridículæ tiónes unde contenti oriúntur, Eccleſiárum rœciálium Rectóres, q tùm póſſumus in Dón hortámur, ne hujúſ quæ Deum ad iram p prócovant, quàm orati ab eo petíta impetrent ſuis Parœ́ciis fieri ſin

De Excommunicatione.

DOMINICA XXVI. POST PENTECOSTEN.

Ex Concílio Tridentíno. ✠
Ann. 1563. *Seſſ.* 25. *de Reform.* *Cap.* 3.

QUamvis excommunicatiónis gládius nervus ſit Eccleſiáſticæ diſciplínæ, & ad continéndos in officio pópulos valde ſalutáris, ſóbriè tamen magnâque circumſpectióne exercéndus eſt; cùm experiéntia dóceat, ſi témerè aut lévibus ex rebus incutiátur, magìs contémni quàm formidári, & perníciem párere pótiùs quàm ſalútem.

FERIA II.

Ex Concílio Tridentíno. ✠
Ann. 1563. *Seſſ.* 25. *de Reformat.* *Cap.* 3.

EXcommunicatiónes illæ, quæ monitiónibus præmiſſis ad finem revelatiónis, ut aiunt, aut pro depérditis ſeu ſubtráctis rebus ferri ſolent, à némine prorsùs, prætérquàm ab Epíſcopo, decernántur, & tunc non áliàs, quàm ex re non vulgári, causâque diligénter ac magnâ maturitáte per Epíſcopum examinátâ.

FERIA III.

Ex Concílio Tridentíno. ✠
Ann. 1563. *Seſſ.* 25. *de Reform.* *Cap.* 3.

EXcommunicátus quicúmque, ſi poſt legítimas monitiónes non reſipúerit, non ſolùm ad Sacraménta & communiónem fidélium ac familiaritátem non recipiátur: ſed, ſi obduráto ánimo censúris annéxus, in illis per annum inſordúerit, étiam contra eum tanquam de hǽreſi ſuſpéctum procédi poteſt.

FERIA IV.

Ex Concílio Andegavénſi. ✠
Ann. 1448. *Can.* 11.

PRohibémus ne quis ſenténtiam excommunicatiónis latam per júdicem, occúltam téneat; ſed ipſam infra menſem à témporè quo lata fuit, fáciat publicáre.

FERIA V.

Ex Concílio Pariſiénſi séptimo. ✠
Ann. 846. *Can.* 56.

NEmo Epíſcopórum quémlibet, ſinè certa & maniféſta peccáti cauſa, communióne privet Eccleſiáſticâ. Anáthema autem ſinè præláta evangélica admonitióne nulli impónat, niſì unde canónica docet auctóritas; quia anáthema ætérnæ eſt mortis damnátio, & nónniſì pro mortáli debet impóni crímine, & illi qui áliter non potúerit córrigi.

FERIA VI.

Ex Concílio Antiochéno. ✠
Ann. 341. *Can.* 2.

CEnſémus non licére communicáre cum excommunicátis, neque in domi-

bus conveniéntes oráre pro iis qui in Ecclésia non commúnicant: neque in ália Ecclésia récipi eos qui in ália Ecclésia non convéniunt. Si quis autem de Epíſcopis, aut Presbýteris, vel Diáconis, ſeu quílibet ex Clero deprehénſus fúerit cum excommunicátis communicáre, étiam iſte privétur communióne, tanquam qui régulam confúndat Ecclésiæ.

SABBATO.

Ex Concílio Aquiſgranénſi. ✠

Ann. 81·. *Can.* 37.

PAſtor quiſque vel abſólvere indiſcrérè tímeat vel ligáre. Is autem qui ſub manu paſtóris eſt, ligári tímeat vel injúſtè, nec paſtóris ſui judícium témere reprehéndat; ne etſi injúſtè ligátus eſt, ex ipſa túmidæ reprehenſiónis ſupérbia, culpa quæ non erat, fiat.

De Eccleſiaſticorum converſatione cum laicis & mulieribus.

DOMINICA XXVII.
POST PENTECOSTEN.

Ex ConcílioTuronénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 14.

CUm proſpíciat Concílium quamplúres Eccleſiáſticos in contémptum ſacrórum Cánonum, ſeculáribus negótiis ſe immiſcére, nobílium & aliórum laicórum procuráre negótia, ínhibet hæc Sýnodus ne cujúſvis órdinis Eccleſiáſtici tália in pósterùm quóvis quæſíto colóre, ſub pœna perpétuæ depoſitiónis exercére áudeant.

FERIA II.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 14.

OMnibus Eccleſiáſticis præcipit hæc Sýnodus, à mulíerum de incontinéntia ſuſpectárum consórtio, familiaritáte & cohabitatióne, non obſtánte cujúſvis conſanguinitátis aut affinitátis prætéxtu, omnínò abſtinére.

FERIA III.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 14.

OMnibus Eccleſiáſticis vetat & próhibet hæc Sýnodus, ne mulíeres de incontinéntia ſuſpéctas, in domos ſuas, quacúmque occaſióne aut neceſſitáte, vel étiam faciéndæ aut reſarciéndæ veſtis, aut ornándæ ſupelléctilis, vel rei familiáris grátiâ, admíttant.

FERIA IV.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 14.

OMnibus Cléricis próhibet Concílium ne tabérnas aut caupónas blaſphemiárum & luxúriæ officínas, quóvis, nec étiam ſponſaliórum vel obſequiórum funerálium prætéxtu, nisì inter peregrinándum, ingrediántur.

FERIA V.

Ex Concílio Nanneténſi. ✠

Ann. 1264. *Cap.* 3.

QUia nullum venatórem invénimus ſanctum, præcípimus ut Præláti ſollíciti ſint & inténti in puniéndo Cléricos venatóres, & præcípuè Presbýteros & Religióſos, de quibus majus ſcándalum generátur.

FERIA VI.

Ex Concílio Moguntíno. ✠

Ann. 813. *Cap.* 14.

IN delíciis vívere velle, gulam & ebrietátem ſequi, negótium injúſtum exercére, canes & aves ſequi ad venándum, & his ſimília, Miníſtris Altáris Dómini & Mónachis ómnibus contradícimus.

SABBATO.

Ex Concílio Carthaginénſi. ✠

Ann. 397. *Can.* 25.

CLérici ad Víduas vel Vírgines, nisi juſſu vel permíſſu Epiſcopórum & Presbyterórum, non accédant: & hoc non ſoli fáciant, ſed cum Cléricis, vel cum his cum quibus júſſerit Epíſcopus aut Présbyter. Sed nec ipſi Epíſcopi aut Presbýteri ſoli hábeant accéſſum ad hujúſmodi féminas, nisi aut Clérici præséntes ſint, aut graves áliqui Chriſtiáni.

De fugienda à Clero avaritia.

NICA XXVIII.

PENTECOSTEN.

ncílio Arelaténſi.

✠

. 452. *Can.* 14.

is Cléricus pecúniā rit ad usúram, aut or rei aliénæ eſſe :, aut turpis lucri enus áliquod nego- s exercúerit, depó- Clero, à commu- fiat aliénus.

FERIA II.

Ex Concílio Cabillonénſi ſecúndo. ✠

Ann. 813. *Can.* 8.

OPórtet ut ſi quando Sacerdótes, fruges vel quoſdam réditus terræ cóngregant, non ídeò hoc fáciant, ut cárius vendant, & theſáuros cóngregent; ſed ut paupéribus témpore neceſſitátis ſubvéniant.

FERIA III.

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

✠

Ann. 816. *Can.* 116.

REs Eccléſiæ, ſicut à ſanctis Pátribus tráditur, vota ſunt Fidélium, prétia peccatórum, & patrimónia paúperum. Fidéles namque ſuis própriis facultátibus ſanctam locúpletem fecérunt Eccléſiam; ut his & mílites Chriſti aleréntur, & Eccléſiæ exornaréntur, paúperes recrearéntur, & captívi pro témporum opportunitáte rediméréntur.

Die II Novembris.
In Commemoratione
Omnium Fidelium Defunctorum.

Ex Concílio Tridentíno. ✠ *Ann.* 1563. *Seſſ.* 25. *decret. de Purgat.*

Cum Cathólica Eccléſia in Sýnodo Tridentína docúerit, Purgatórium eſſe, animáſque ibi deténtas, Fidélium ſuffrágiis, potíſſimùm verò acceptábili Altáris ſacrificio juvári; præcipit eádem Sýnodus Epíſcopis, ut ſanam de Purgatório doctrínam à Sanctis Pátribus & Sacris Concíliis tráditam, à Christi Fidélibus, credi, tenéri, docéri, & ubíque prædicári, diligénter ſtúdeant.

In Præcipua Solemnitati
Patroni Primarii.

Ex Concílio Mediolanénſi tértio. ✠ *Ann.* 1573. *Tit.* 1.

Quò religióſiùs íncolæ uniuſcujúſque Paróchiæ feſtum diem colant illíus Sancti Sanctǽve cujus Patrocínio Parochiális Eccléſia dicáta eſt, cohortatiónibus agat Párochus, ut ánimo piè répetant religióſas ejus ſanctárum virtútum exercitatiónes, quarum méritis in cœlum ille vocátus, cùm ſempitérnâ glóriâ perfruátur, pro caritáte qui abúndat, eórum quorum ſalútis patrocínium ſuſcépit, preces Deo offert.

In Anniversario
Dedicationis Ecclesiæ.

Ex Concílio Coloniénſi primo. ✠ *Ann.* 1536. *Part.* 9. *Can.* 13.

Signat Templi Dedicátio tam fidélis ánimæ quàm Eccléſiæ cum Chriſto deſponſatiónem. Quamóbrem, niſi ómnia quæ in hujuſcémodi Conſecratióne extériùs agúntur, in nobis ſpirituáliter impleántur, parùm hinc fructûs nobis accéſſerit.

INDEX

PSALMORUM.

Pſal.		Pagina
119	AD Dóminum, cùm tribulárer.	68
27	Ad te, Dómine, clamábo.	7
24	Ad te, Dómine, levávi.	101
122	Ad te levávi óculos meos.	88
28	Afférte Dómino, filii Dei.	83
77	Atténdite, pópule meus.	84
48	Audíte hæc, omnes gentes.	74
118	BEáti immaculáti in via.	15
127	Beáti omnes qui timent Dóminum.	106
31	Beáti quorum remíſſæ ſunt.	91
40	Beátus qui intélligit.	138
1	Beátus vir qui non ábiit.	3
111	Beátus vir qui timet Dóminum.	27
33	Benedícam Dóminum in omni témpore.	64
103	Bénedic, ánima mea, Dómino; Dómine Deus.	36
102	Benédic, ánima mea, Dómino, & ómnia.	46
143	Benedíctus Dóminus Deus meus.	48
84	Benedixíſti, Dómine, terram tuam.	96
91	Bonum eſt confitéri Dómino.	44
95	CAntáte Dómino cánticum novum; cantáte.	43
149	Cantáte Dómino cánticum novum; laus ejus.	109
97	Cantáte Dómino cánticum novum, quia.	98
18	Cœli enárrant glóriam Dei.	37
74	Confitébimur tibi, Deus.	77
110	Confitébor tibi, Dómine,... in concílio.	26
9	Confitébor tibi, Dómine, in toto corde,...narrábo.	62
137	Confitébor tibi, Dómine,... quóniam audíſti.	47
104	Confitémini Dómino, & invocáte.	53
135	Confitémini Dómino quóniam.... Confitémini.	38
106	Confitémini Dómino quóniam.... Dicant qui.	57
117	Confitémini Dómino quóniam... Dicat nunc.	14
105	Confitémini Dómino quóniam... Quis loquétur.	55
15	Consérva me, Dómine, quóniam ſperávi in te.	108
115	Crédidi; propter quod locútus ſum.	106
4	Cùm invocárem, exaudívit me Deus.	30

Pſal.		Pagina
129	DE profúndis clamávi ad te, Dómine.	126
43	Deus, aúribus noſtris audívimus.	67
49	Deus deórum Dóminus locútus eſt.	83
62	Deus, Deus meus, ad te luce vígilo.	10
21	Deus, Deus meus, réſpice in me.	112
69	Deus, in adjutórium meum inténde.	115
53	Deus, in nómine tuo ſalvum me fac.	105
71	Deus, judícium tuum regi da.	97
108	Deus, láudem meam ne tacúeris.	142
66	Deus miſereátur noſtri.	134
45	Deus noſter, refúgium & virtus.	98
82	Deus, quis símilis erit tibi?	145
59	Deus, repuliſti nos.	144
81	Deus ſtetit in ſyngagóga deórum.	41
78	Deus, venérunt gentes in hæreditátem tuam.	144
93	Deus ultiónum Dóminus.	66
114	Diléxi, quóniam exaúdiet Dóminus.	146
17	Díligam te, Dómine, fortitúdo mea.	4
38	Dixi: Cuſtódiam vias meas.	133
109	Dixit Dóminus Dómino meo.	26
35	Dixit injúſtus, ut delínquat.	131
52	Dixit insípiens.... in iniquitátibus.	75
13	Dixit insípiens.... in ſtúdiis ſuis.	90
140	Dómine, clamávi ad te.	147
7	Dómine, Deus meus, in te ſperávi.	50
87	Dómine, Deus ſalútis meæ.	112
8	Dómine, Dóminus noſter.	33
142	Dómine, exaúdi oratiónem meam, aúribus.	132
101	Dómine, exaúdi oratiónem meam, & clamor.	34
20	Dómine, in virtúte tua lætábitur rex.	97
6	Dómine, ne in furóre tuo.... Miſerére.	50
37	Dómine, ne in furóre tuo.... Quóniam.	128
130	Dómine, non eſt exaltátum cor meum.	88
138	Dómine, probáſti me.	47
3	Dómine, quid multiplicáti ſunt.	4
14	Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo?	91
89	Dómine, refúgium factus es nobis.	41
23	Dómini eſt terra, & plenitúdo ejus.	109
26	Dóminus illuminátio mea.	95
22	Dóminus regit me.	105
92	Dóminus regnávit, decórem indútus eſt.	11
96	Dóminus regnávit, exúltet terra.	45
8	Dóminus regnávit, iraſcántur pópuli.	139

Pſal.		Pagina.
133	ECce nunc benedícite Dóminum.	31
132	Ecce quàm bonum.	147
58	Eripe me de inimícis meis.	140
139	Eripe me, Dómine, ab hómine malo.	126
44	Eructávit cor meum verbum bonum.	92
144	Exaltábo te, Deus meus Rex.	88
29	Exaltábo te, Dómine, quóniam.	8
19	Exaúdiat te Dóminus in die tribulatiónis.	104
60	Exaúdi, Deus, deprecatiónem meam.	102
63	Exaúdi, Deus, oratiónem meam, cùm déprecor.	112
54	Exaúdi, Deus, oratiónem meam, & ne.	111
16	Exaúdi, Dómine, juſtítiam meam.	130
39	Expéctans expectávi Dóminum.	121
80	Exultáte Deo adjutóri noſtro.	103
32	Exultáte, juſti, in Dómino.	33
67	Exúrgat Deus, & diſſipéntur.	77
86	FUndaménta ejus in móntibus ſanctis.	135
85	INclína, Dómine, aurem tuam.	149
125	In convertendo Dóminus.	106
10	In Dómino confido.	71
113	In éxitu Iſraël de Ægypto.	28
70	In te, Dómine, ſperávi .... & éripe me.	115
30	In te, Dómine, ſperávi .... in juſtítia.	124
65	Jubiláte Deo, omnis terra, pſalmum.	8
99	Jubiláte Deo, omnis terra, ſervíte.	11
34	Júdica, Dómine, nocéntes me.	119
42	Júdica me, Deus, & diſcérne.	101
25	Júdica me, Dómine, quóniam.	120
121	LÆtátus ſum in his.	146
145	Lauda, ánima mea, Dóminum.	118
147	Lauda, Jerúſalem, Dóminum.	99
148	Laudáte Dóminum de cœlis.	39
150	Laudáte Dóminum in ſanctis ejus.	12
116	Laudáte Dominum, omnes gentes.	138
146	Laudáte Dóminum, quóniam bonus.	79
134	Laudáte nomen Dómini.	60
112	Laudáte, púeri, Dóminum.	27
120	Levávi óculos meos in montes.	69
47	MAgnus Dóminus, & laudábilis.	134
131	Meménto, Dómine, David.	107

Pſal. *Pagina*
56 Miſerére meî, Deus, miſerére meî. 65
55 Miſerére meî, Deus, quóniam. 119
50 Miſerére meî, Deus, ſecúndùm. 149
100 Miſericórdiam & judícium. 142
88 Miſericórdias Dómini in ætérnum. 80
126 NIsì Dóminus ædificáverit domum. 70
123 Nisì quia Dóminus erat in nobis. 69
36 Noli æmulári in malignántibus. 72
61 Nónne Deo ſubjécta erit. 52
75 Notus in Judǽa Deus. 141
46 OMnes gentes, plaúdite mánibus. 133
107 PArátum cor meum, Deus. 139
72 QUàm bonus Iſraël Deus. 76
83 Quàm diléćta tabernácula tua. 103
2 Quare fremuérunt gentes? 3
41 Quemádmodum desíderat cervus. 100
124 Qui confidunt in Dómino. 69
51 Quid gloriáris in malítia. 118
90 Qui hábitat in adjutório Altíſſimi. 30
79 Qui regis Iſraël, inténde. 52
128 SÆpè expugnavérunt me. 125
68 Salvum me fac, Deus. 113
11 Salvum me fac, Dómine. 71
57 Si verè útique juſtítiam. 131
136 Super flúmina Babylónis. 147
64 TE decet hymnus, Deus, in Sion. 94
94 VEníte, exultémus Dómino. 2
5 Verba mea aúribus pércipe, Dómine. 64
76 Voce meâ ad Dóminum.... voce meâ ad Deum. 94
141 Voce meâ ad Dñum.... voce meâ ad Dóminum. 127
12 Uſquequò, Dómine, oblivíſcéris. 71
73 Ut quid, Deus, repuliſti in finem? 42

INDEX DIVISIONUM PSALMORUM.

38 AB ómnibus iniquitátibus. 133
77 Abundávit (Dóminus) ut avérteret. 86

Pſal.		*Pagina*
41	Ad meípſum ánima mea.	100
37	Amíci mei.	128
39	Annuntiávi juſtítiam tuam.	121
21	Apud te laus mea.	123
44	Audi, filia.	93
49	Audi, pópulus meus.	83
142	Audítam fac mihi manè.	132
32	Beáta gens.	34
88	Beátus pópulus.	81
93	Beátus homo.	66
118	Bonitátem fecíſti.	21
105	Citò fecérunt.	56
87	Clamávi ad te, Dómine, totâ die.	113
118	Clamávi in toto corde meo.	25
144	Confiteántur tibi, Dómine.	89
138	Confitébor tibi, (Dómine,) quia terribíliter.	48
89	Convértere, Dómine, úſquequò ?	42
85	Deduc me, Dómine.	150
118	Defécit in ſalutáre tuum.	22
143	Deus, cánticum novum.	49
7	Deus judex juſtus.	51
17	Deus meus, impollúta.	6
67	Dóminus dabit verbum.	78
139	Dómine, Dómine, virtus.	126
68	Ego ſum pauper.	114
108	Et tu, Dómine.	143
26	Exaúdi, Dómine, vocem meam.	96
68	Exaúdi me, Dómine.	114
77	Et ábſtulit ſicut oves.	87
77	Et excitátus eſt.	87
34	Exúrge, & inténde.	120
77	Fílii Ephrem.	85
58	Fortitúdinem meam.	141
43	In Deo laudábimur.	67
118	Iníquos ódio hábui.	23
101	Inítio tu, Dómine.	35
80	In tribulatióne.	103
131	Jurávit Dóminus David.	107
144	Juſtus Dóminus.	89
104	Lætáta eſt Ægýptus.	55
18	Lex Dómini immaculáta.	38
118	Legem pone mihi.	20
118	Memor eſto verbi tui.	20
76	Memor fui óperum.	95

Pſal.		*Pagina*
118	Mirabília teſtimónia tua.	24
16	Mirífica miſericórdias tuas.	130
102	Miſerátor.	46
9	Miſerére meî, Dómine, vide.	62
30	Miſerére meî, Dómine, quóniam tríbulor.	124
17	Miſit de ſummo.	5
21	Ne diſcéſſeris à me.	122
48	Ne timúeris.	75
105	Non diſperdidérunt gentes.	56
104	Non relíquit.	54
36	Novit Dóminus dies.	73
36	Os juſti meditábitur.	74
70	Os meum annuntiábit.	116
106	Póſuit (Dóminus.)	59
118	Príncipes perſecúti ſunt me.	25
30	Quàm magna multitúdo.	125
91	Quàm magnificáta ſunt . . . . nimis.	44
103	Quàm magnificáta ſunt . . . . ómnia.	36
118	Quómodo diléxi.	22
102	Quómodo miſerétur.	46
118	Retríbue ſervo tuo.	16
88	Semel jurávi.	82
43	Si oblíti ſumus.	68
103	Sit glória Dómini in séculum.	37
34	Surgéntes teſtes iníqui.	119
106	Suſcépit eos (Dóminus) de via.	58
72	Tenuíſti, (Dómine,) manum.	76
77	Tránſtulit Auſtrum.	85
73	Tu confirmáſti.	43
101	Tu exúrgens.	35
33	Veníte, filii.	65
54	Véſpere & manè.	111
67	Vidérunt ingréſſus tuos.	79
79	Víneam de Ægýpto.	53
24	Univérſæ viæ Dómini.	102
9	Ut quid, Dómine, receſsíſti longè.	63

Index Canticorum Pſalterii.

AUdíte, cœli, quæ loquor.	135
Benedícite, ómnia ópera.	11
Benedíctus Dóminus Deus Iſraël.	13
Cantémus Dómino.	59
Dómine, audívi auditiónem tuam.	117

Cant.	*Paginæ*
Exúltávit cor meum.	39
Magníficat ánima mea.	29
Nunc dimíttis.	32
Omnes qui tenent legem.	79
Sapiéntia ædificávit.	99

Index Canticorum Communis.

Cibábit illum.	xxxiij
Confitébor tibi, Dómine Rex.	xij
Ego dixi : In dimídio.	cxxviij
Gaudens gaudébo.	lxj
Jerúſalem, cívitas Dei.	xc
Juſtórum ánimæ.	xix
Laudáte Dóminum.	civ
Pactum meum fuit.	xl
Pars mea Dóminus.	xlvij
Os ſuum apéruit.	lxix
Quàm pulchri ſuper montes.	v
Qui timétis Dóminum.	liv
Sacérdos magnus.	xxvj

QUO MORE AC MODO RECITANDÆ SINT HORÆ CANONICÆ.

Santolius Victorinus.

1. ALTERNO Jeſſæa choro quæ carmina pſallis,
Æternas Gens nata Deo perſolvere laudes,
Hîc tibi ſervandas, quas ſcripſimus, accipe leges :
Qui formavit, habet, quibus audiat, & Deus aures.

2. Maxima debetur ſanctis reverentia Templis.
Hæc habitat Deus, & præſenti Numine replet.
Hujus ad aſpectum, puræ ſine corpore mentes
Terrificæ trepidant crebra inter fulgura lucis.

3. Si mordet te noxa gravis, vel limine in ipſo
Ingreſſum paveas, ſceleris neque conſcius intres
Templa auguſta : ſacris Deus eſt penetralibus ultor.
Si quid at impuri contraxeris, elue labem
Confeſtim. Mundis oculis ſint omnia munda.
Pectoris ille tui ſacros habitare receſſus
Plus ambit, quàm juncta ſimul certo ordine ſaxa.
Sic loca ſancta, metu poſito, luſtratus adibis ;
Et ſolves divina tuam in præconia linguam.

4. Ne venias, placare cupis ſi Numinis iram,
Elatus caput, & benè compto bellulus ore,
Promiſsóque capillitio, nec odoribus unctus,
Allicias ſpectantûm oculos ; nec veſte placebis,
Moribus at puris : decus eſt ſibi ſplendida Virtus.

5. Ne rerum ſpecies violent ſacraria mentis,
Captivos ſenſus dura ſub lege tenebis;
Acceptóque jugo, dociles tua juſſa capeſſent,
Mentis ad imperium. MULTÙM eſt componere ſenſus.

6. In toto ſedeat depicta modeſtia vultu;
Ut qui te videat, propiori Numine tactus,
Sentiat eſſe Deum præſentem, & pronus adoret.

7. Ne nimiùm celeri confundas omnia cantu;
Sed paveas ad verba, ipſo dictata TONANTE.
Plena Deo ſunt verba. Moras ſervare memento:
Cantanti prodeſt, ſeu pectora feſſa ſubinde
Reſpirent, ſeu mens, quod profert lingua, revolvat,
Et ſacras voces arcano ruminet ore.
Ad numeros hilarem lentus ne protrahe cantum.
Nec te adeò recreet vocis ſonus: intima rerum
Scrutare, & ſenſus tecum meditare profundos.

8. Non incompoſitis lædas clamoribus aures;
Nec leviore ſono molles imitabere cantus.
Fractáque femineo ſupplantans verba palato,
Sit plauſum captare pudor: nam talia ſpernit
Vota, precéſque Deus. Puri ſuſpiria cordis,
Et tacitos gemitus attentis auribus audit.

9. At neque cantanti rictus diſtorqueat ora
Vaſtior, & rupto ſe vox de gutture trudat,
Unde ſolent reſonare immani templa boatu.
Non clamore Deus placatur. Ut audiat alto
E ſolio, nil vocis eget. Vos ſurda, Prophetæ,
Numina necquicquàm valido pulmone vocaſtis.

10. Concordes animos monſtret concordia vocum,
Par ſtudium. Varia pro conditione locorum
Ritè obſerventur, quæ ſunt præſcripta quotannis.

11. Abſint bella, procul ſacris diſcordia Templis;
Pro ritu ancipiti ſi quid peccatur, in ipſo
Advertens culpam momento corrige, dum res
Et tempus tulerit. Si qui tibi fortè reſiſtant,
Nec valeas ſolus te contra opponere turbæ:
Errorem permitte. Deo gratiſſimus error!
Mox cujus fuerat melior ſententia prudens,
Paulatim cùm ſe malè nata remiſerit ira,
Errorem oſtendas, & erit tibi gloria major.

12. Ne tibi longa nimis ſubeant faſtidia cantûs,
Te ſuper aſtra feras; propriis mens libera vinclis
Audeat interdùm ſedes percurrere ſanctas,
Cœleſtéſque intrare domos. Te junge ſupernis
Obvius agminibus, Superíſque admixtus, adora
Quem cœli prona aula canit, quem térque Beatum,
Térque canit Sanctum. Sic tu novus ætheris hoſpes,
Laudare incipies quem mox laudabis in ævum.
Pectus inundabit quàm pura & ſancta voluptas!

Felix, ſi nondùm exutus mortalia membra,
Has retinens leges, patrio præludis Olympo!

Cùm Domino pſalles, pſallendo tu tria ſerves:
Sit tibi cor ſursùm, benè profer, reſpice ſenſum.
Auſcultando cane, ſimul incipe, deſine planè.
Sit mens ſublimis, pes junctus, viſus in imis.

[redacted]

Dominicâ primâ octobris.

IN SOLEMNITATE
SS. ROSARII
B. MARIÆ VIRGINIS.

SOLEMNE MINUS.

IN I VESPERIS.

Psalmi de Sabbato.

Ant. 7. d. Ecce Virgo concipiet et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. *Is.* 7. 14.

Ant. 1. g. Sicut ovis ad occisionem ducetur; et quasi agnus coràm tondente se obmutescet, et non aperiet os suum *Is.* 53. 7.

Ant. 3. a. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum. Justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit : ideò dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia. *Is.* 53. 10. 11.

Ant. 5. a. In die illâ erit radix Jesse, qui stat in signum populorum : ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulchrum ejus gloriosum. *Is.* 11. 10.

Ant. 8. g. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis : super solium David et super regnum ejus sedebit ut confirmet

illud et corroboret in judicio et justitiâ, amodò et usque in sempiternum. *Is.* 9. 7.

CAPITULUM. *Mich.* 5. 2. 3.

EGREDIETUR qui sit dominator in Israël, et egressus ejus ab initio à diebus æternitatis. Propter hoc dabit eos usque ad tempus in quo parturiens pariet; et reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel; erit iste pax.

R. Ecce ego addam ut faciam admirationem populo huic miraculo grandi et stupendo: peribit enim sapientia à sapientibus, et intellectus prudentium ejus abscondetur: * Et dabitur liber nescienti litteras. *Isai*, 29. 12. V. Confiteor tibi, Pater Domine cœli et terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. *Luc.* 10. 21. * Et dabitur. Gloria. *Resumitur.* R. Ecce ego.

HYMNUS.

ECQUIS Mariæ protinùs astitit
Illapsus almo lumine nuntius?
Gaudete, mortales, propinquam
Inchoat illa dies salutem.

JAM Virgo, fœtûs conscia, quo rapit
Divinus ardor, fert hominem Deum:
Sensit Joannes hospitemque
Egregius veneratur index.

FLUXÊRE tandem tempora patribus
Promissa; mundo victima nasceris,
O Christe; nos te fac, precamur,
Pectoribus peperisse nostris.

AT pompa templo quæ subiit? Patri

Se nempe Verbum, Virgoque Filium.
Litat sacerdos, et dolores
Aure bibit docili futuros.

Infans parenti se tamen anxiæ
Subducit ultrò : parce tuum, pia
Lugere mater; jussa magni
Exequitur veneranda Patris.

Astant frequenti concilio senes,
Quos ille verbo justitiam docet
Magister ambagesque legis
Attonitis animis resolvit.

Laus summa Patri qui creat omnia,
Natoque mundum qui reparat cruce.
Quo Virgo mater, fons amoris,
Laus quoque sit tibi summa, Flamen. Amen.

℣. Homo et homo natus est in eâ.

℟. Et ipse fundavit eam Altissimus. *Psal.* 86. 5.

Ad Magnificat, *Ant.* 2. D. Benedicta tu à Deo tuo in omni tabernaculo Jacob, quoniam in omni gente quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel. *Judith.* 13. 31.

Oratio, Deus, cujus, *infrà ad Laudes.*

Deindè commemoratio de Sabbato ante Dominicam occurrentem.

Completorium, *p.* cij, *cum psalmis de Sabbato.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Jesum de Mariâ natum, * Venite adoremus. *Matth.* 1. 16.

Hymnus.

Suum decus superbiâ
Humana gens amiserat:
Lucem Deus sed pristinam
Se deprimendo reddidit.

Pœnæ reos ut eximat,
In se reatum suscipit:
Heu! quo salutem munere,
Quantis emit doloribus.

Suplex humi prosternitur;
Ruptis fluit venis cruor,
Quem nempe nostrorum gravis
Effundit horror criminum.

Nudum flagellis turpibus
Nefanda verberat cohors:
Ah! contine, tortor, manum;
Quem cædis, ille Christus est.

Artus carentes jam cute
In frusta pendent lividi:
Vultumque fœdant tempora
Diris cruenta vepribus.

Cessas, Deus, suspensaque
Adhuc retardas fulmina:
Est ille, quem vides, tuus;
Tu deseres natum, Pater!

Oportuit Christum pati;
Libens ad aram victima
Procedit, et nostris gravem
Subit crucem reatibus.

Jàm corpus affixum trabi;

Terramque pendet ac polum
Inter; truci vultu ferox
Prædæ fremens mors incubat.

Orbis Deum gemit mori;
Dirupta luctu dissilit
Natura. Quanto nos decet
Mœrore sontes confici!

Qui Filium tradit Patri,
Natoque sit laus victimæ:
Sit par tibi laus, qui sacram
Succendis aram, Spiritus. Amen.

IN I. NOCTURNO.

In Psalm. 18 Cœli enarrant, *p.* 37.

Ant. 1. a. Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem, et ingressus ad eam, dixit: Ave, gratiâ plena, Dominus tecum. Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. *Luc.* 1. 26.

In Divis. Psalm. 18. Lex Domini, *p.* 38.

Ant. 3. C. Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione, et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth; et ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus. *Luc.* 1. 39.

In Ps. 47. Magnus Dominus, *p.* 134.

Ant. 2. D. Impleti sunt dies ut pareret (Maria), et peperit filium suum primogenitum, et reclinavit eum in præsepio. *Luc.* 2. 6.

v. Benedixisti, Domine, terram tuam.
r. Avertisti captivitatem Jacob. Ps. 84. 2.

Lectiones de Scripturâ occurrente.

R. j. Separabis omne quod aperit vulvam Domino : quidquid habueris masculini sexûs consecrabis Domino * Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis pretio redimes. *Exod.* 13. 12. v. Postquàm impleti sunt dies purgationis Mariæ, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino; sicut scriptum est in lege Domini. *Luc.* 2. 22. * Omne autem.

R. ij. Filii Sion, exultate et lætamini in Domino Deo vestro : quia * Dedit vobis doctorem justitiæ. *Joël.* 2. 23. v. Cùm factus esset annorum duodecim, remansit puer Jesus in Jerusalem et post triduum invenerunt illum (parentes ejus) in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos. *Luc.* 2. 42. * Dedit.

R. iij. Creavit Dominus novum super terram : Femina circumdabit Virum. Hæc dicit Deus Israel : * Quia inebriavi animam lassam et omnem animam esurientem saturavi. *Jér.* 31. 22. v. Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes. *Luc.* 1. 53.* Quia. Gloria. *Resumitur.* R. Creavit.

IN II. NOCTURNO.

In Psal. 44. Eructavit cor meum, *pag.* 92.

Ant. 6. F. Factus in agoniâ (Jesus) prolixiùs orabat; et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. *Luc.* 22. 43.

In divis. Ps. 44. Audi, filia, *pag.* 93.

Ant. 8. G. Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. *Joan.* 19. 1.

In Psal. 84. Benedixisti, Domine, *pag.* 96.

Ant. 7. G. Milites plectentes coronam de spinis, inposuerunt capiti ejus et veste purpureâ circumdederunt eum. *Joan.* 19. 2.

v. Circumdederunt me dolores mortis.

R. Et torrentes iniquitatis conturbaverunt me. *Psalm.* 17. 5.

Benedictiones, p. 161. Exultet, *etc.*; Nobiscum, *etc.*, Invocet, *etc.*; *Post. Psalterium.*

Lectio IV.

Cùm Albi gentium hæresis per Tolosatium regionem impiè grassaretur atque altiùs in dies radices ageret, Sanctus Dominicus, qui nuper Prædicatorum ordinis fundamenta jecerat, ad eam convellendam totus incubuit. Id ut præstaret validiùs auxilium Beatæ Virginis, cujus dignitas illis erroribus impudentissimè petebatur, cuique datum est cunctas hæreses interimere in universo mundo, enixis precibus imploravit; à quâ (ut memoriâ proditum est), cùm monitus esset ut Rosarium populis prædicaret, velut singulare adversùs hæreses ac vitia præsidium, mirum est quanto mentis fervore et quàm felici successu, injunctum sibi munus sit executus.

R. iv. Tulit Abraham ligna holocausti et imposuit super Isaac filium suum; ipse verò *portabat in manibus ignem et gladium.* * Per-

gebant ergo pariter. *Gen.* 22. 6. v. Susceperunt Jesum, et bajulans sibi crucem, exivit (Jesus) in eum qui dicitur Calvariæ locum. *Joan.* 19. 16. * Pergebant.

LECTIO V.

EST autem Rosarium certa precandi formula, quâ, quindecim angelicarum salutationum decades, oratione Dominicâ interjectâ, distinguimus, et ad earum singulas, totidem nostræ reparationis mysteria, piâ meditatione, recolimus. Ex eo ergò tempore, pius hic orandi modus, mirabiliter, per sanctum Dominicum, promulgari augerique cœpit. Innumerabiles porrò fructus ex hâc tam salubri institutione in Christianam rempublicam dimanârunt; inter quos meritò numerantur, hæreses debellatæ, mali mores in bonos mutati, pietas et virtutes excultæ, homines à variis periculis erepti, multis diversisque gratiis, tùm temporalibus, tùm spiritualibus donati. Romani vero Pontifices, Rosarium recitantibus, ejusdemque Rosarii sodalitatibus, indulgentias penè innumeras concessêre.

R. V. Foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea. * Ipsi verò consideraverunt et inspexerunt me. *Ps.* 21. 17. V. Postquàm venerunt in locum qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum et latrones, unum à dextris, et alterum à sinistris; et stabat populus spectans. *Luc.* 23. 33 * Ipsi.

Sermo S. Bernardi Abb.

Sermo 4. de Assumptione.

LECTIO VI.

SILEAT misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est qui invocatam eam in necessitatibus suis, sibi meminerit defuisse. Nos quidem servuli tui, cæteris in virtutibus congaudemus tibi; sed in hàc potiùs, nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur; sed misericordia dulciùs sapit; misericordiam amplectimur cariùs, recordamur sæpiûs, crebriùs invocamus. Hæc est enim quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit. Per te, ô Genitrix beata, cœlum repletum, infernus evacuatus est, instauratæ ruinæ cœlestis Jerusalem, expectantibus miseris vita perdita data. Sic potentissima et piissima caritas et affectu compatiendi, et subveniendi abundat affectu, dives in utroque. Totis ergò medullis cordium, totis præcordium affectibus et votis omnibus, Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus qui totum nos habere voluit per Mariam.

R. vj. Supra modum Mater mirabilis et bonorum memoriâ digna * Bono animo ferebat propter spem quam in Deum habebat: repleta sapientiâ et femineæ cogitationi masculinum animum inserens. 2 *Mac.* 7. 20. V. Stabat juxtà crucem Jesu Mater ejus, cùm vidisset ergo Jesus Matrem et discipulum quem

diligebat, dicit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus; deindè dicit discipulo: Ecce Mater tua *Joan.* 19. 23. * Bono. Gloria. *Resumitur.* R. Supra modum.

IN III. NOCTURNO.

In Psal. 86 Fundamenta ejus. *p.* 135.
Ant. 3. a. Christus resurrexit tertiâ die secundùm scripturas. 1. *Cor.* 15. 4.
In Psal. 96. Dominus regnavit, exultet terra; *p.* 45.
Ant. 4. E. Eduxit eos Jesus forâs; et elevatis manibus suis benedixit eis. Et factum est dùm benediceret illis, recessit ab eis et ferebatur in coelum. *Luc.* 24. 50.
In. Psal. 97. Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia, *p.* 98.
Ant. 5. a. Erant perseverantes unanimiter in oratione cum Mariâ, Matre Jesu; et repleti sunt omnes Spiritu Sancto. *Act.* 1. *et* 2.
V. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo.
R. Consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. *Ps.* 93. 19.

De Epistolâ B. Pauli Apost. ad. Rom.

LECTIO VII. *c.* 8. *v.* 22. *ad* 27.

OMNIS creatura ingemiscit et paturit usque adhuc. Non solùm autem illa, sed et nos ipsi primitias Spiritûs habentes, et ipsi intrà nos gemimus, adoptionem filiorum Dei ex-

pectantes, redemptionem corporis nostri. Spes autem quæ videtur, non est spes, nàm quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus: per patientiam expectamus. Similiter autem et spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nàm quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus: quia secundùm Deum postulat pro sanctis.

R. vij. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? * Ascendit de deserto deliciis affluens. *Cànt.* 6 *et* 8. v. Apertum est templum Dei in cœlo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus. *Apoc.* 11. 19.

De Epistolâ B. Jacobi Apostoli.

Lectio VIII. *c.* 1. *v.* 2. *ad.* 7.

Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis: scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. Si quis autem vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus, affluenter et non improperat: et dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans: qui ènim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur et circumfertur. Non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino.

R. viij. Surrexit Rex in occursum ejus, *Positusque est thronus matri Regis quæ sedit ad dexteram ejus, et dixit ei Rex : Pete, mater mea ; neque enim fas est ut avertam faciem tuam. 3. *Reg.* 19. v. Signum magnum apparuit in cœlo ; mulier amicta sole et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus, corona stellarum duodecim. *Apoc.* 12. 1.

Lectio S. Evangelii secundùm Lucam.

LECTIO IX. *c.* 1. *v.* 26. *ad.* 33.

MISSUS est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis, Maria. Et reliq.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

Super *Missus est* Sermo 2.

ECCE missus est Angelus ad Virginem. O admirandam, et omni honore dignissimam Virginem! O feminam singulariter venerandam, super omnes feminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem. Missus est, inquit, Angelus ad Virginem ; Virginem carne, Virginem mente, Virginem professione, Virginem denique, (qualem describit Apostolus) mente et corpore sanctam. Nec noviter nec fortuitò inventam ; sed à seculo electam, ab Altissimo

præcognitam et sibi præparatam, à Prophetà promissam. Deus ad serpentem ait : Inimicitias ponam inter te et mulierem.... Et si adhuc dubitas an de Marià dixerit, audi quod sequitur : Ipsa conteret caput tuum. Cui servata est hæc victoria, nisi Mariæ? Ipsa procul dubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem, tàm de carnis illecebrà, quàm de mentis superbià, deduxit ad nihilum.

R. IX. Videns, Regina non habebat ultrà spiritum, dixitque ad Regem : Beati servi tui qui stant coràm te semper. * Rex autem dedit Reginæ omnia quæ voluit et petivit ab eo. 3. *Reg.* 10. 5. V. Petite, et accipietis ut gaudium vestrum sit plenum *Joan.* 16. 24. * Rex autem. Gloria. *Resumitur.* R. Videns. Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

V. *Sacerdotalis.* Confiteantur tibi populi, Deus; confiteantur tibi populi omnes : R. Terra dedit fructum suum. *Psal.* 66. 6. 7.

Psalmi de Dominicà.

Ant. 1. g. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus; Deus in medio ejus non commovebitur; adjuvabit eam Deus manè diluculò. *Ps.* 45. 5. 6.

Ant 5. a. Quis novit, utrùm idcircò ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris? *Esth.* 4. 14.

Ant. 6. F. Regina, que est petitio tua?

bonus : * quoniam in sæculum mis
ejus.

Benedixit te Dominus in virtut
quia per te ad nihilum redegit
nostros.

Benedicta es tu , filia , à Dom
excelso : * præ omnibus mulierib
terram.

Benedictus Dominus qui creavit
terram : * qui te direxit in vulne
principis inimicorum nostrorum.

Quia hodie nomen tuum ità magi
* ut non recedat laus tua de ore h
qui memores fuerint virtutis Do
æternùm.

Pro quibus non pepercisti anim
propter angustias et tribulationem ge
* sed subvenisti ruinæ ante conspe

CAPITULUM. *Eph.* 3. 2.

AUDISTIS dispensationem gratiæ Dei quæ ata est mihi in vobis; prout potestis legentes ntelligere prudentiam meam in mysterio hristi.

HYMNUS.

GAUDEAT cœlum paveantque diræ
Tartari portæ; redivivus ora
Christus extollit propriisque mortem
Conterit armis.

Jàm fugit terras rutilante nimbo:
Redditur Patri; sobolem Maria
Suscipit; fratrem querulo reposcunt
Murmure fratres.

PARCE lamentis, pia turba, cœli
Expedit Christum remeare tractus:
Hinc tibi præsens adhærit, suumque
Mittet amorem.

HUJUS adventu novus ordo rerum
Nascitur; longam fugat alma noctem
Lux fovens mentes, recreansque sacris
Pectora flammis.

QUAS ubi flammas peritura Virgo
Intimis hausit penitùs medullis,
Volvitur letho, placidoque lapsu
Mens fugit artus.

ABNUIT summo Deus axe corpus
Debitum cœlo necis esse prædam:
Alites adsunt, redivivaque astris
Membra reportant.

Hic throno Mater sedet eminenti,
Celsior cunctis; minor at tonante:
Hinc preces audit, populique rebus
Subvenit arctis.

Lætus æternum celebret parentem
Orbis, æterni celebret parentis
Filium; par sit tibi laus per omne,
Spiritus, ævum. Amen.

v. Circumdedisti me lætitiâ, Domine.

r. Ut cantet tibi gloria mea. *Ps.* 29. 12. 13.

Ad. Benedictus. *Ant.* 4. E. Benedixerunt eam omnes, unâ voce dicentes: Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri. *Judith.* 15. 10.

ORATIO.

Deus cujus Unigenitus, per vitam, mortem et ressurrectionem suam, nobis salutis æternæ præmia comparavit: concede, quæsumus, ut hæc mysteria sanctissimo B. Mariæ Virginis Rosario recolentes, et imitemur quod continent, et quod promittunt assequamur: Per eumdem.

Deindè commemoratio de dominicâ occurente, per lect., etc.

Ad Horas, DOXOLOGIA.

Qui natus es de Virgine,
Jesu, tibi sit gloria,
Cum patre et almo Spiritu,
In sempiterna secula. Amen.

Psalmi de Dominicâ.

Non dicitur ad Primam symbolum: Quicumque.

AD PRIMAM.

Ant. Sanctificavit.

CAPITULUM. 2. *Reg.* 23. 4.

Sicut lux auroræ, oriente sole, manè absque nubibus rutilat.

In R. *brevi.* V. Qui natus es de Mariâ Virgine. *Matth.* 1. 16.

CANON.

Ex Decreto Gregorii decimi tertii, in honorem Sanctissimi Rosarii.

FESTUM solemne sub nuncupatione Rosarii in primâ Dominicâ mensis Octobris, singulis annis, perpetuis futuris temporibus, per universi orbis partes, in Ecclesiis in quibus Altare, vel Capella Rosarii fuerit, ab omnibus et singulis utriusque sexûs Christi fidelibus, ad instar aliarum solemnitatum, de apostolicæ potestatis plenitudine, celebrandam et sanctificandam esse decernimus.

AD TERTIAM.

Ant. Quis novit.

CAPITULUM. *Zach.* 12. 20.

Effundam super domum David et super

habitatores Jerusalem, spiritum gratiæ et precum; et aspicient ad me.

R. *Breve.* Benedictus Deus.* Alleluia, alleluia.

R. Benedictus. V. Qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam à me.* Alleluia. Gloria. R. Benedictus. *Ps.* 65. 20.

V. In quàcumque die invocavero te.

R. Velociter exaudi me. *Ps.* 101. 3.

AD SEXTAM.

Ant. Regina.

Capitulum. *Jac.* 5. 16.

Orate pro invicem ut salvemini: multùm enim valet deprecatio justi assidua.

R. *Breve.* Vesperè, et manè, et meridiè; * Alleluia, alleluia. R. Vesperè. V. Exaudiet vocem meam. * Alleluia. Gloria. Vesperè. *Ps.* 54. 18.

V. Repleatur os meum laude.

R. Ut cantem gloriam tuam, totà die magnitudinem tuam. *Ps* 70. 8.

AD NONAM.

Ant. In omni.

Capitulum. *Matth.* 18. 20.

Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo: ibi sum in medio eorum.

R. *Breve.* Confitebor tibi in toto corde meo; * Alleluia, alleluia. R. Confitebor. V. In

concilio justorum et congregatione* Alleluia. Gloria. R. Confitebor. *Psal.* 110. 1.

V. Magnificate Dominum mecum.

R. Et exaltemus nomen ejus in idipsum. *Ps.* 33. 4.

AD VESPERAS.

In Psal. 109. Dixit Dominus, *pag.* 26.

Ant. 2. D. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1. 42.

In Psal. 112. Laudate, pueri, Dominum, *pag.* 27.

Ant. 1. f. Beata quæ credidisti; quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. *Luc.* 1. 45.

In Psal. 121 Lætatus sum, *pag.* 146.

Ant. 3 a. Undè hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? *Luc.* 1. 43.

In Psal. 126. Nisi Dominus, *p.* 70.

Ant. 5. a. Non est in verbis tuis ulla reprehensio : nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es. *Jud.* 8. 26.

In Ps. 147. Lauda, Jerusalem, Dominum p. 99.

Ant. 6. F. Memorare dierum humilitatis tuæ ; et, tu, invoca Dominum, et loquere Regi pro nobis, et libera nos de morte. *Esth.* 15. 2.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 4. 14.

Ut filios meos carissimos moneo. Rogo ergo *vos; imitatores* mei estote, sicut et ego Christi.

HYMNUS.

AVE, maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta.

Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.

SOLVE vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

MONSTRA te esse matrem;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

VIRGO singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac et castos.

VITAM præsta puram;
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum,
Semper collætemur.

SIT laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui Sancto;
Tribus honor unus.

Venite, filii, audite me.

℟. Timorem Domini docebo vos. *Ps.* 33. 12.

Ad Magnificat, *Ant.* Adamavit eam ... ex ... habuitque gratiam et misericordiam coram eo super omnes mulieres, et posuit diadema regni in capite ejus, fecitque eam regnare. *Esth.* 2. 17.

Deindè commemoratio de Dominicâ occurrente.

COMPLETORIUM, *p.* cii.

Cum Psalmis de Dominicâ.

NAMNETIS, apud MELLINET-MALASSIS, Cleri Typographum.

Oratio S. Martyris.

Omnipotens sempiterne Deus qui Beatum N. apostolici principatus, & evangelii compiscuum [illegible], martyrii corona illustriorem effecisti; da Ecclesiae tuae ejus patrocinio adjuvari, cujus laboribus exculta floruit et sanguine extat fecundata. per Dom.

Oratio Monachi —

Deus, bonorum operum auctor et remunerator, qui in beato N. humilitatis et poenitentiae [illegible] exemplar ostendisti; da, quaesumus, ut angustam viam per quam ille praecessit, fideliter insistentes, ad coeli regnum pervenire mereamur per D. —

Oratio Abbatis —

Deus, qui Beatum N. abbatem in viae perfectionis evangelicae incedere et aliis [illegible] dedisti, ejus intercessione gressus nostros dirige secundum eloquium tuum; ut viam mandatorum tuorum dilatato corde curramus: per D.

Oratio abbatis:

[illegible] ... perpetua ... [illegible]

... Oratio pro monacho.

Intercedat pro nobis, quaesumus, Domine, [illegible] ... Beati N. ... [illegible]

... [illegible] ... [illegible] ... [illegible] ... [illegible] ... intercessione da ... [illegible] ... [illegible]

... [illegible] ... pietate ... [illegible]

S. Aegidius Athenis natus, adolescens patriam propter Christum reliquit, et Massiliam oppidum Arelatem, ut traditur, ad Beatum Caesarium audita sanctitatis ejus famā contendit. Per biennium ejus magisterio eruditus, cum vitae solitariae desiderio flagraret, Eremum petiit, et non procul a Rhodano flumine quā jacens Nemausenses ac Arelatenses principatus, sedem fecit. Ibi diutius [illegible]

[illegible] barbarum [illegible] Demum per
magna[illegible] quandam de familia regis qui
[illegible] Gothorum tenebat [illegible]
[illegible] et ceteris [illegible]
[illegible]
[illegible] monasterium extra [illegible]
[illegible] abbas, jubente rege, creatus
[illegible]
[illegible] qui creditur [illegible]
[illegible] Romam missus a [illegible]
[illegible] ejus discipulus [illegible] Papa
[illegible] in gratiam [illegible] Ecclesia
[illegible] protegimur ab
[illegible]
[illegible]
Childeberto Francorum regi [illegible]
[illegible]
[illegible] traditur
[illegible]
[illegible] paucitate, in
monasterio suo [illegible] anno
circiter 5[illegible]

In Nativitate B. M. V.

De Isaia propheta.

Lectio 1a. 35:1.6. Florebit quasi lilium: germinans
germinabit, et exultabit laetabunda et laudans; gloria
libani data est ei: decor Carmeli et Saron, ipsi videbunt
gloriam domini, et decorem dei nostri. Confortate
manus dissolutas, et genua debilia roborate. Dicite
pusillanimis: confortamini et nolite timere: ecce
Deus vester ultionem adducet retributionis; Deus
ipse ve , et salvabit vos. Tunc aperientur
oculi caecorum et aures surdorum patebunt.
Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta
erit lingua mutorum. — Venite &

Lectio 2a 60:15.18.

ponam te in superbiam saeculorum,
gaudium in generationem et generationem,
et suges lac gentium, et mamilla regum
lactaberis: et scies quia ego dominus salvans te,
et redemptor tuus fortis Jacob. Pro aere afferam
aurum, et pro ferro afferam argentum, et pro lignis
aes, et pro lapidibus ferrum; et ponam visitationem
tuam pacem, et praepositos tuos justitiam. Non audietur
ultra iniquitas in terra tua, vastitas et contritio
in terminis tuis, et occupabit salus muros tuos,
et portas tuas laudatio. — Sanctificavit & —

Lectio 3a. 19.22. Non erit tibi amplius sol ad
lucendum per diem, nec splendor lunae illumin-
abit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiter-
nam, et deus tuus in gloriam tuam. Non occid ultra
sol tuus et luna tua non minuetur, quia

-ubi dominus in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus omnes justi, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum. Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam; ego dominus in tempore ejus subito faciam istud. — [illegible]

Die 15. oct. nativitas B. M. V. — et festum S. nominis [illegible] — invit. Domine tui x — hym. gloriosi.

1a antiph. — Vocavit dominus nomen ejus: amabilis omn...
2a Vocavit nomen ejus: dominus exaltatione —
3a Vocavit nomen ejus: tabernaculum solis —
V. Beneplacitum est Deo habitare in eo. R. Etenim dominus habitabit in finem.
1a et 2a Lect. de Script. occurrente —

R. 1mum Sciant quia ego dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel — nomen civitatis Dei mei.
— voco &. —

R. 2um Novit e nomine et invenit gratiam coram me. — nomen virginis Maria — invenit &.

3a Lectio: Sermo S.ti Bonaventuræ Episcopi
Nomen virginis, Maria — hoc nomen sanctissimum, nomen dulcissimum, nomen dignissimum, tam sanctissimæ — tam dulcissimæ — tam dignissimæ virgini convenientissime est impositum. Maria enim, amarum mare, Maria stella maris — Maria illuminata vel illuminatrix. Maria Domina interpretatur — Maria autem est amarum dæmonibus — et stella maris hominibus et illuminata vel illuminatrix angelicis spiri...

× Doemaika

domina creaturis omnibus. — Maria, inquam, + et [illegible]
amarum spiritualiter, et Maria hominibus ut stella maris
officiatiter et Maria angelis illuminatrix et ornatrix,
et Maria et creaturis domina universaliter.

℟. 3um Haec dicit Dominus: feci tibi nomen quasi
unius magnorum qui sunt in terra — mater Jesu
dicitur Maria. — Spiritui et gloria et feci etc.

Commemoratio S. Leobini per lectionem:

Leobinus apud pictavos, regnante Clodoveo I°, natus
amore et obsequiis erga pios sed tenuioris fortunae parentes,
ac minime discendi litteras, inter arandi et armenta pascendi
labores, ovinitate a pueritia claruit. Suscepto monachorum
habitu, dies orationi et injunctis a superioribus curis,
magnam vero noctis partem sacris lectionibus impendebat
multo tempore ... in cenobiis irreprehensibiliter
diversatus, ad sanctum Avitum in Perticio abbatem
secessit. post ejus mortem desertum petiit, et solitariam
vitam duxit. Brevi diffusa sanctitatis ejus fama, editis
etiam miraculis, Etherio carnotensi Episcopo notus, ab ipso
Diaconus primum deinde presbyter ordinatus et monasterio
brajacensi praefectus fuit. Cui post aliquot annos defuncti
Leobinus omnium maxime proborum suffragiis, ...
licet ac timens, suffectus est. Nihil in pontificatu de
vitae austeritate remittens, vigilantis et pii pastoris
virtutibus enituit. potens in verbis et in operibus,
ad reparandam in Galliis ecclesiasticam disciplinam
plurimum contulit. Conciliis aurelianensi V° et par-
isiensi 2° interfuit. Demum pastoralibus laboribus et infirmi-
tatibus multis patientissime toleratis migravit ad Dominum
anno salutis quingentesimo quadragesimo septimo

[illegible]

Canticum.

[illegible] honore [illegible]

sempiternam gloriam.

Circumdabit te Deus diploide [illegible]

imponet mitram capiti honoris [illegible]

Deus enim ostendet splendorem [illegible]

omni qui sub caelo est.

Nominabitur enim tibi nomen [illegible]

sempiternum: pax justitiae [illegible]

gloria.

Ut perficeretis [illegible]

[illegible].

Et [illegible]

[illegible]

Capitulum.

ad 1am capit.

[illegible]

ad 2am hac die dominus; [illegible]

[illegible]

[illegible] melius est nomen bonum, quam [illegible]

[illegible]

ad capitul.

[illegible] 1o [illegible] factum est [illegible]

[illegible]

[illegible]

4o nomen [illegible] in omni terra

5o [illegible]

[illegible]

capit.

[illegible]

[illegible] virtute [illegible]

[illegible]

hymnum: [illegible]

[illegible]

antip. ad magnif. – [illegible]

[illegible]

Canticum.

[illegible]

sempiterna gloria.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

gloria.

[illegible]

[illegible] virginitas.

[illegible]

[illegible]

Capitulum

ad [illegible] Capit.

[illegible]

ad [illegible] hac die [illegible] Domini; [illegible]

[illegible]

1º [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

ad [illegible].

Ant. 1º [illegible] [illegible]

2º [illegible]

[illegible]

3º [illegible]

[illegible]

4º [illegible]

5º [illegible]

[illegible]

Capit.

[illegible]

[illegible] virtute [illegible]

[illegible]

Hymnus: [illegible]

[illegible]

Ant. ad Magnif.